This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

P. R.

732.

Per. 3974 e. 111/3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS

ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT, SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT, PRÆFATIONEM PRÆMISIT,

FRID. OTTO MENCKENIVS,

PH. ET I. V. DOCTOR, REGIS POL. ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLÆ, URBIS PATRIÆ SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS.

VOLVMINIS TERTII PARS PRIMA.

LIPSIÆ,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHII HAEREDES.

MDCCXLIV.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
ERNESTO CHRISTOPHORO
S. R. IMPERII COMITI
DE
MANNTEUFFEL,
EQVITI POLONICO ORDINIS AQVILAE ALBAE, S. CÆS. MAI. A CONSILIIS INTIMIORIBVS, POT. POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIÆ ADMINISTRO STATVS, ET CONCILIO INTIMO ACTVALITER ADSCRIPTO, CAPITANEO NOVODVARIAE, DYNASTAE KERSTINII, KRVCKENBECAE, GANDELINI, KRVHNII, LAVREAE, GONSDORFII, &c. &c.

INCOMPARABILI IN TOGA HEROI, MAECENATI NESTOREA AETATE DIGNO, MVSARVM LIPSIENSIVM HONORI AC DELICIO,

TERTIVM HOC MISCELLANEORVM VOLVMEN RELIGIOSISSIME CONSECRANT

AVCTORES,

INTERPRETE

FRIDERICO OTTONE MENCKENIO.

Digitized by Google

Ite, vos blando vocat, & vocatis
Annuit, vultu, patrii putari
Dux amans Pindi, meritis togaque
Maximus Heros;

Ite, nam vestros, ita nempe spondet,
Audiet mitis placidusque, Musæ,
Rusticos quamvis, inamabilique
Murmure, cantus.

Scilicet, tali placuisse Phœbo,
Maximum vobis decus est, & artis
Pulcher ac splendens honor, & laborum
Optima merces.

Digitized by Google

LECTORI

S. D.

FRID. OTTO MENCKENIVS.

Quod bene & literis, & harum ſtudioſis, eveniat, abſoluto nuper laboris noſtri curſu altero, in tertium nunc, nec id ſine certo proſperi ſucceſſus omine, ingredimur. Non improbabit fortaſſe hoc conſilium, ſi quis ita ſe nobis amicum præbeat, ut, coniunctum cum aliquo literarum commodo hoc Opus *Miſcellaneorum* eſſe, ſibi patiatur perſuaderi. Nos, ſive in re ſatis per ſe ipſam laudabili verſemur, ſive ab initio laboris huius ad hunc uſque diem ita nos geſſerimus, ut proſpectum per nos aliqua ex parte ſtudiorum artiumque dignitati videatur, non, dum ſupereſſe nobis ad conatus bonos quendam

ætatis,

Digitized by Google

ætatis, aut ingenii, vigorem intelligimus, deserendam hanc, quæ esse bonis omnibus commendatissima debet, communem literarum caussam, nec prius discedendum ab hac statione, quam nos iusserit fatalis quædam lex, putavimus. Quo igitur animo honestum hoc, &, si quam suavitatem habent literæ, etiam iucundum, susceptum olim a nobis munus est; eodem nunc etiam de eo, si non ornando, at saltem recte gerendo, cogitamus, &, si Deus voluerit, deinde cogitabimus. A te, Lector, hanc non tam petimus, quam certissime exspectamus, æquitatem, ut, si, quod partium nostrarum est, a nobis bene fuerit ac diligenter actum, eo nos loco, quo bonos quosque in republica cives, habeas; sin offenderimus aliquando, aut non satis hæc, quæ scribimus, accommodata ad utilitatem publicam existimentur, nullam monendi nos, &, qua ex parte optime a nobis procurari salus literarum possit, docendi, occasionem prætermittas, ceterum, si laudare ipsos labores non possis, saltem nostro huic, bona omnia conandi, studio, &, laudis materiam habenti non omnino nullam, instituto, faveas. Latior est scientiarum artiumque ambi-

Digitized by Google

ambitus, quam ut complecti hunc aut ingenio, aut industria, vel sapientissimorum hominum quisquam possit; nec ulla ad hunc diem inter tot illustres atque splendidas Societas inventa est, quæ hanc aut sumat sibi, aut sumere iure possit, gloriam, ut de omni literarum, tam sublimiorum, quam quæ elegantiam & suavitatem habent, genere præclarissime promerita credatur. Fecisse igitur nos tantum, quantum satis est, & a facultatibus nostris exspectare liceat, videbimur, cum melioris doctrinæ parti uni aut alteri allatum aliquid a nobis incrementi fuerit, &, qui dediti sunt hisce studiis, nostra hæc cum voluptate, aut, quod maius est, cum insigni quodam fructu, legerint. Nimirum, ut omnibus probaremur, nec optavimus unquam, nec nisi dementis fuerit, optare. Habet quisque suam de aliorum scriptis iudicandi legem, quam, in libera hac literarum republica, sibi cupit integram servari; isque valde sit morosus oportet, qui non æque ferre hanc iudiciorum diversitatem possit, ac ipsis literis contemtus nonnullorum ac fastidium ferendum est. Gaudebimus inter hæc, si, qui minus nobis, quam vellemus, favent,

hos

Digitized by Google

tuas eo ferri in bonas literas amore videamus, ut in tali, qualis noster est, labore vires ipsi suas periclitentur, &, qua ratione melius, quam factum a nobis est, iuvari liberales quæque artes possint, præclaro nos exemplo doceant. Invidiam certe nemo nobis unquam obiiciet; aut, si qua nos tenebit, non ignava illa, non ieiuna, non imbecilla, sed actuosa quædam, sed rectæ laudis cupida, sed cum magno, emendandi errores nostros, studio coniuncta, tenebit.

Digitized by Google

I.

IO. CONR. SCHWARTZII, S. TH. DOCT. ET GYMNASII COBVRGENSIS DIRECTORIS, OBSERVATIO, QVA LOCA 2 SAM. XIII, 16, ET IES. XXIII, 6, EXPLANANTUR.

I.

Perſpicientia ſententiarum divini ſpiritus res eſt, quam intelligentes ac periti recte in divinis bonis numerant. Neque enim aliunde proficiſcitur, quam ex ipſa Dei, ſcripturarum auctoris, gratia. Nam ex diverſitate interpretationum, quibus uſi ſunt, qui in hoc genere ſibi aliqui eſſe videbantur, ſatis apparet, non ita notum ipſis & familiarem fuiſſe divini ſpiritus ſermonem. Quibus enim familiaris eſt, iis non magis obſcurus eſſe poteſt, quam ſua cuique domeſticorum vox eſſe conſuevit. Criticorum præſertim artes adeo hic nihil valent, ut pæne affirmare audeamus, a via recta nullos crebrius deflexiſſe, quam qui Grammaticorum ſubſidiis uſi ſint. Verum quidem eſt, immutationem

Digitized by Google

literæ, vel commutationem, interdum exigui videri ponderis; sed usus docet atque experientia, aptiorem fere sententiam ex immutatis literis existere. Masorethæ saltem cum conscientiæ suæ, tum lectorum commodis, præclare consuluerunt, cum vel aliorum codicum scripturam, vel coniecturæ suæ solertiam, orationis margini, quam contextui, adscribere maluerunt.

II. Verum tamen, cum nimis facile unius literæ vel protractio, vel deminutio, fiat, atque ea re primum oculi, deinde mens, lectorum falli queant ac soleant; sæpe accidere videas, ut vel acerrimi singulorum apicum defensores frontem remittant, si qui forte, desperatis omnibus auxiliis, unius apicis vel productione, vel contractione, sententiam expediant commodam, probam, veram. Veritas quidem certe ac germanitas sententiæ eo videtur iure esse, ut non modo scripturæ ineptias, sed omnino omnes suspicionum & coniecturarum lusus ac figmenta repellat, ne possessio sua fuco & alieno colore dedecoretur. Quam ob rem in libris *Samuelis*, ubi literarum quarundam vel contractio, vel extensio, lectoris cursum identidem remoratur, iam ab antiquis temporibus ea servata est & præoptata lectio, quam scriptoris sententia ceteris legendi rationibus anteponi iuberet. In quo ea simul adhibita est cautio, ut litera pro litera non substitueretur, sed vel aliorum Codicum auctoritas, vel manifesta ratio, valeret margini adscribenda.

III. Ego

Digitized by Google

III. Ego igitur eos, quibus manuſcriptorum ac vetuſtiſſimorum Codicum facultas ac copia eſt, curate velim attendere, quænam *2 Sam. XIII, 16*, literarum ſit ratio. Spero enim, fore, ut diligens earum conſideratio germanam nobis ſcripturam reſtituat. Nam liera ר in vocabulo ארות ex ו protractionis unci orta eſſe videtur, quam librarius imperitior pro ר temere acceperit, ac lectoribus male obtruſerit. De tota cauſa ut Lector noſter facilius iudicare poſſit, apponemus hic verſum illum totum ex Hebræo: תאמר לו אל־ארות הרעה הגדולה הזאת מאחרת אשר עשית עמי לשלחני ולא אבה לשמע לה

IV. *Io. Clericus* (nam, veteriores citare, nihil attinet,) in Commentario non parum laborat, ut commodam nobis huius loci ſententiam ſuppeditet. Sed ad extremum nihil tamen profert veri, & ipſa ſimplicitate commendandi. אל putat in על commutandum eſſe; neque tamen ex ea re conficit, quod ferre nos poſſimus toleranter. Ego vero, ſi ſuperiorem ductum literæ ו longius protractum dixero, nihil aſſeverarim, quod exemplis huius ipſius libri, cuius locus noſter pars eſt, demonſtrare non poſſim. Nam *1 Sam. IV, 3*, יך natum eſt ex protractione ד nominis יד. Et *2 Sam. III, 15*, ו in לוש ex י longius producto coortum cernitur. Quod idem accidit *2 Sam. V, 8, XVI, 12, XVIII, 13*. Sic *1 Reg. XII, 33*, מלבד pro מלבו invenitur. E contrario ו nonnunquam detruncatum eſt, ut nonnullis י viſum ſit. Vide

Digitized by Google

2 Sam. XIV, 30, XVIII, 3, XX, 5, Masorethæ quoque *2 Sam. XIV, 22*, in aliis Codicibus עברו, in aliis עבדך, repererunt. Ubi quidem librarii quidam literam ו ab extremitate utraque truncatam invenerunt, quidam literam ד integram deprehenderunt. Si ergo a lectoris æquitate hoc impetraverim, ut Codicis cuiusdam antiquioris opem sperare liceat; nihil iam dubito, quin ei lectionem, quam suspicor, omnino probem. Emerget enim ex ארות vox nota, idonea, consentanea, & proinde exoptata, אַוֹּת. Nam illud lector intelligens ne monendus quidem est, Hebræorum infinitivos sæpissime tempora verbi sui finita subintelligere. Hac enim admonitione non modo Grammaticæ ipsæ, sed ceteri quoque libri Grammaticis affines, dudum abundarunt. אַוֹּת igitur iungendum erit cum תְּאַוֶּה. Ita habebimus formulam loquendi Hebraicam, per quam exprimebatur demonstratio *continuandi desiderii*, *propagatæ cupiditatis*, *aviditatis sensim & in horas magis inflammatæ & exardescentis*. Habes igitur iam, Lector benevole, sensum loci nostri, a multis anxie quæsitum, a nemine, quod equidem sciam, adhuc inventum, rei, de qua hic agitur, mirifice accommodum. Quid habent enim verba ista insciti, duri, inepti? *Et dixit* Thamara *ei* (Amnoni), *ne continenter appetas malum hoc, altero illo, quod iam in me fecisti, maius, ut me domo expellas. Verum* Amnon *eam audire noluit.*

V. Sin

Digitized by Google

V. Sin antiqui Codices ſpem noſtram fruſtrentur; hactenus quidem nobis dolendum erit, quod eventus ſpei non reſpondit; ſed Lector tamen veniam nobis dabit, propterea, quod, bene ſibi nos voluiſſe, & commodam ſententiam indicare, intelliget. Bona enim conata ſemper laudi affinia iudicata ſunt; boni autem effectus, germanæ laudis ſemina & indoles.

VI. Iam ad *Ieſaiam* aggrediemur, cuius ſententias nemo non vult expeditiſſimas, cum earum intelligentia tantum habeat ad ſapientiam lucis, ad voluptatem facultatis, ad ſtudium incitamenti. Nobis præſertim verba *Cap. XXVII v. 6* difficiles explicatus habere videntur: הבאים ישרש יעקב יציץ ופרח ישראל ומלאו פני תבל תבונה. Nemo enim interpres vidit, quid hoc loco באים ſibi vellet. Omnes pro participio acceperunt præciſe poſito. Subintellexerunt igitur primum particulam ב, deinde vel *dies*, vel *tempora*, vel alia quædam nomina. Quam utramque prætermiſſionem eodem tempore & loco fieri, nullis omnino exemplis probarunt, nec probare conati ſunt; cum tamen prætermiſſionis cuiusque cauſa, ratio, conſuetudo, neceſſitas, probanda ſemper ſit, ſiquidem & ſcriptori perſpicuitas, & lectori ſententia veritasque, conſtare debeat. Notæ ſunt hac de re Criticorum admonitiones. Quam ob rem crambem hanc recoquere noluimus. Duplicem certe defectum probare non poterunt exemplis ullis. Simplicem autem e

Digitized by Google

perſpicuo verborum contextu probare ſane poterunt iis in locis, ubi defectus nihil habet obſcuritatis, vel e ſermone ſuperiore nullo negotio expletur. Quod ipſum in locum hunc *Jeſaiæ* dici non poteſt, niſi veritati vim facere audeas. *Abeneſra* fortaſſe primus eſt, qui de ellipſi cogitavit, quæ *Salomoni Iarchio* durior viſa erat, & idcirco de Iſraelitis, in Ægyptum profectis, ſomniare cœperat. Quod quidem pæne etiam ſeptuaginta interpretibus contigit.

VII. Præterea verbum ישׁ רֵשׁ, ut cetera coniugationis Hiphil, citra neceſſitatem in neutralem, quam vocant, ſignificationem detorquendum non eſt temere, ne, ut in malis cauſis fit, non tam veritati, quam opinionis colori ac fuco, deſervitum eſſe, ſuſpicentur intelligentes. Vim verborum ſimplicitati ſuæ & vulgari poteſtati relinquere, animi eſt ingenui, probi, & minime tortuoſi. Iam, ſi verbo יַשְׁרֵשׁ activa ſignificatio incorrupta manet, neceſſitas poſtulat, ut הַבָּאִים in nomen quarti caſus convertatur. Manere autem debet verbo יַשְׁרֵשׁ actio ſua & vis *radices figendi* integra, quia duo alia loca, ubi idem verbum in Hiphil reperitur, actionem quandam declarant. Nam *Pſ. LXXX, 9, 10*, David, *tranſtuliſti*, inquit, o Deus, *vitem ex Ægypto*, & *præparaſti ei* locum, & *radices eius proſperaſti*, *ut terram impleret.* Atque *Hiob. V, 3*, dicitur: *Ego vidi ſtultum, radices agentem*, id eſt, *ſeſe conſtabilientem.*

VIII. Iam vero quæritur, quodnam hic intelligatur nomen & unde intelligatur. Prior

quæſtio

Digitized by Google

quæstio iam supra explicata est, & ab *Iesaia* explicatur. Non enim novum hic nomen confingendum est, & inferciendum, sed quod hic reperitur הבאים, id ipsum diligentius contemplandum, consulendum, audiendum est. Nam הבאים vox est. Voces se ipsæ produnt, indicant, aperiunt; si præsertim inter se iunctæ reperiantur. Contextus verborum est optimus sui ipsius interpres. Ergo sententia est: *Iacob perficiet, ut* הבאים *radices agant, Iacob* הבאים *radicibus magis magisque propagandos curabit, sive Iacob curabit, ut* הבאים *radices defigant, ac magis identidem explicent ac propagent.* Iam ratio ipsa dictitat, הבאים esse vel seminis, vel plantæ, seu sarmenti, aut stolonis, genus, quod terræ commissum radices magis quotidie diffundat.

IX. Unde igitur vis ac potestas huius nominis cognoscetur? Quæris vero? In tanta rei literariæ luce quærere sic non licet. Quis enim ignorat, literatos dudum ad linguas cognatas confugisse, a quibus magna cum lætitia, magno cum laboris fructu, ac desiderii prosperitate, ad lares suos redierunt. Plurimis etiam profuit excursio in regiones finitimas, in quarum linguis vestigia vocum cognoscendarum animadverterunt. Usi sunt hoc subsidio Græci ac Romani scripturarum sacrarum, sive Hebraicarum, sive Græcarum, interpretes. *Cherubim* e. g. *Paradisus*, *Mammonas*, *Zizania*, *Beelzebub*, *Lazarus*, *Bethphage*, *Gethsemane*, *Ierusalem*, *Halleluiah*, & infinita alia, Græcis & La-

Digitized by Google

tinis ignota sunt vocabula, quorum tamen ignoratio nec *Hieronymum*, nec alios, deterruit, quo minus ea ex remotioribus terris explanarent. Multis etiam ea contigit felicitas, ut barbaros, ad se delatos, de barbaris vocabulis interrogare & audire liceret. Vide *Edu. Pocockii Not. miscell. Cap. 3 pag. 36 seq.* Et quis nostrum est, quin e Batavia, vel Anglia, in patriam redux, vel in patria Batavum aut Anglum amicum nactus, plurima identidem audiat, unde linguam patriam rectius ac facilius intelligat? Exemplis in re aperta non est opus. Provocamus ad suam cuiusque conscientiam & usum.

X. Ergo nos de הבאים *baim* e *Porphyrio* quæremus, homine Palæstinæ quondam accola, & in Ægypto, Palæstinæ finitima, versato. Is *βάϊς* commemorat. Vide *Comment. ling. Græc. N. T. pag. 229.* Add. *Polluc. Onomast. I c. 12 s. 14 pag. 143.* At enim, ab homine Christi adversario discere, religio est. Disce ergo a *Ioanne*, Christi amicissimo, qui *Cap. XII v. 13* *βάϊα τῶν φοινίκων* nobis conservavit. Quibus e verbis apertum est primum, quam tritum & usitatum nomen tum fuerit *βάϊα*: deinde quarum arborum frondes ita vocatæ sint, id quod ex comparatione ceterorum Christi historicorum magis etiam liquet, *Matth. XXI, 8, Marc. XI, 8*; tum quid nobis audere liceat in Hebraico sermone, si, ceteris interpretandi subsidiis cessantibus ac deserentibus, hoc unum fidum, efficax, & salutare, arripiamus. Si enim

Ioanni

Ioanni vocabulo uti licet, reliquis Græcis pene ignoto, ad rem aliis tum populis obſcuriorem declarandam; nobis ſane auxilio eius uti licebit ad vocabulum, Hebræis olim uſitatum, reſtituendum. Quod eo fidentius facere poſſumus, quia doctiſſimi quique homines de inſcitia Rabbinorum, a quibus ſignificationes nominum Hebraïcorum ad nos pervenerunt, quam acerrime & graviſſime conqueſti ſunt. *Ioannem Forſterum* & alios teſtes huius rei citare, ſupervacaneum eſt, cum nemo pæne ſit paulo ſapientior, quin, a Rabbinorum interpretum lectione ſe diſceſſiſſe, fateatur.

XI. Video, adhuc nobis conſtare omnia veritatis ac iudicii momenta. Quibus quidem ſi res ipſa ſuffragata fuerit, nihil iam erit, quod aſſenſum aut noſtrum, aut circumſpectioris æquiorisque lectoris, remoretur. Res ipſa autem nobis opitulatur. Id quod ita demonſtramus. *Plinius Hiſt. nat. Lib. XIII cap.* 4: *Procerioribus ſylva, arbore ex ipſa foliorum aculeo fruticante circa totas pectinatim, quas ſylveſtres intelligi neceſſe eſt. Incerta tamen libidine etiam mitioribus ſe miſcent.* Et mox: *Et ab radice avulſæ* (palmæ) *vitalis eſt ſatus, & ramorum tenerrimis. Theophraſtus Hiſt. plant. Lib. II cap.* 2: Ἔνια δὲ ἀπὸ σπέρματος φύεται μόνον, οἷον – φοῖνιξ· πλὴν εἰ ἄρα ἐν Βαβυλῶνι καὶ ἀπὸ τῶν ῥάβδων· ὥς φασί τινες μοσχεύειν. *Quædam autem* arbores *ſolum a ſemine gignuntur, uti palma, niſi quod ad Babylonem etiam e ramulis, ut quidam aiunt, naſcuntur.* Idem *de Cauſis*

plant. Lib. I cap. 2: τὰς ῥάβδους φασὶ μοσχεύειν περὶ Βαβυλῶνα τὰς ἁπαλωτάτας. Καὶ ὅταν ἐμβιώσωσι, μεταφυτεύουσι. *Ramos tenerrimos, aiunt, gignere surculos circa Babylonem, &, cum vitam conceperint, alio transferunt.* Paulo post: Ὁ Φοῖνιξ ἀπὸ μὲν τῶν ῥάβδων βλαστάνει, χώρας εὐβοσίᾳ καὶ εὐφυΐᾳ πρὸς τὸ θᾶττον βλαστάνειν. *Palma ex ramis germinat, terra alentis & proferentis vi ac benignitate celeriorem generationem adiuvante.*

XII. At enim Iudæis ignotior fuit palmarum natura, satio, incrementa. Iudæis autem? At *Iudæa inclyta est vel magis palmis*, quam vel Europa, vel Africa & Ægyptus, vel Syria & Assyria & Arabia & Cyprus & Æthiopia. *Plinius Hist. nat. Lib. XIII cap. 4.* Ergo Iudæis, ac præsertim *Iesaiæ*, natura palmarum, ac transferendarum a palmis locutionum ratio, longe apertissima fuerit, oportet. Quæ causa vel sola satis est idonea, cur hic etiam a palma repetita recte putetur *Iesaiæ* oratio, & proinde nulla alia nominis הכאי[illegible] potestas aut confingenda sit, aut admittenda.

XIII. Unum restat, quod observetur, Criticorum monitum. Id in eo consistit, ut tralationes semel cœptæ continuentur ac propagentur, quo sermo fiat dilucidus & perspicuus. Necesse est enim, ut, si a tralatione ad tralationem resiliamus, mens multitudine diversarum notionum distrahatur, & tanquam tenebris quibusdam involvatur; cum contra mens uni eidemque

eidemque tralationi intenta facile illustretur, ac suavitate quadam perspicuitatis expleatur. Atqui *Iesaias* tralationem, a palmis, & præsertim earum ramulis, depromtam, persequitur ita, ut primum earum sationem ac vitalem vim e terra concipiendam tuendamque memoret, tum natura duce initia ac progressum floris prosequatur, ac denique fructuum ubertate terram impleri perseveret. Ita fit, ut etiam ex hoc loco summa *Iesaiæ* vindicetur eloquentia, summa rerum naturæ perspicientia, singularisque doctrinæ atque ingenii facultas. Quid enim magis cum natura palmarum congruit, quam id, quod in tralatione hac *Jesaiæ* versatum est ante oculos? *Iacobus* enim est exemplum & notio hominis, per spiritum divinum magis quotidie ad imaginem divinam conformandi. Vis igitur quædam & vita, quæ in tali iam est homine, magis in dies debet & solet radicare, & radicare quidem per illum ipsum traducem ac propaginem, qui de vividæ palmæ communitate rescissus terræ committitur, ut explicandis radicibus magis quotidie exsurgat, & invalescat. Talis autem palmes, præter divinam vitam & vim, e Scripturis sacris haustam, humana ope, consilio, admonitione, cohortatione, & sensim conatu quodam proprio, divinitus inflammato, indiget. Quæ omnia e satione palmitum præclare intelliguntur. Primum enim, ut *Plinius Hist. nat. Lib. XIII cap. 4* testatur, *nulla* palma *est in Italia sponte genita; nec in alia parte terrarum, nisi in calida; fru-*

gifera

gifera vero nusquam, nisi in fervida. Gignitur levi sabulosaque terra: maiore in parte & nitrosa. Gaudet & riguis, totoque anno bibere cum amet, anno sitienti. A fimo quidem etiam lædi putant. Deinde, ut *Theophrastus Hist. plant. Lib. II cap. 8* confirmat, ἡ μὲν ὖν ἀπὸ τῶν καρπῶν φυτεία, τοιαύτη τίς· ἡ δὲ ἀπ' αὐτῦ τῦ στελέχυς, ὅταν ἀφέλωσι τὸ ἄνω, ἐν ᾧπερ ὁ ἐγκέφαλος· ἀφαιρῦσι δὲ ὅσον δίπηχυ· σχίσαντες τῦτο κάτω τιθέασι τὸ ὑγρόν· φιλεῖ δέ χώραν ἀμμώδη· διὸ καὶ ὅπυ μὴ τοιαύτη τυγχάνει, περιπάττυσιν ἅλας οἱ γεωργοί. Pro interpretatione horum verborum apponimus illa *Plinii l. c.: Seruntur autem palmæ & trunco, duum cubitorum longitudine a cerebro ipso arboris viridi, fissuris diviso atque defosso.* Ordo nunc postulat, ut de floribus palmitum pauca dicamus. Hic *Plinius Hist. nat. Lib. XVI cap. 25* præclare: *Flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque, quam sunt, ostendunt: tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant.* Et *Lib. XIII cap. 4: Mas* palmæ *in palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum spicæ modo.* Consentit *Theophrastus Hist. plant. Lib. II cap. 8:* Διαφέρυσι δὲ ἀλλήλων, καθὸ ὁ μὲν ἄῤῥην ἄνθος πρῶτον φέρει ἐπὶ τῆς σπάθης, ἡ δὲ θήλεια καρπὸν εὐθὺς μακρόν. *Differunt autem* palmæ *inter sese. Quatenus mascula florem primum in involucro palmulæ gerit; fœmina vero statim fructum profert longum.* Postquam autem palmes iam corroborari cœpit; ad fructus ferendos festinat. Nam, *Plinio* teste *l. c., ferunt statim in trimatu; in*

Cypro

Cypro vero, Syria, Ægypto, quadrimæ, alique quinquennes. Atque hi fructus palmæ masculæ & fœminæ apud Græcos diversa habuerunt nomina, sicut ipsa palmarum genera diversis fructibus alia atque alia fecerunt nomina. Vid. *Pollux Lib. I cap. 12 §. 14 pag. 143 edit. Hemsterh.* & *Plinius Hist. nat. Lib. XIII cap. 4.* Denique palmarum fertilitas obliviscenda hic non est, de qua *Plinius l. c.: Sed, ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudaea, nec in tota, sed Hierichunte maxime. Quanquam laudatæ & Archelaide, & Phaselide, atque Liviade, gentis eiusdem convallibus.* Ex his igitur, quæ attulimus, constat simul, cur ab *Iesaia Iacobus* palmites ad radicandum depangere dicatur. Quocirca mirum non est, cum palmæ & e semine & palmitibus nascantur, iis terram facile impleri posse. Belle igitur *Iesaias* prædicat multitudinem proborum hominum, quæ vi divina generanda sit in iis, qui spiritu divino gubernari se patiuntur. Tales autem in Scripturis sacris præcipue *Israelis* nomine dignantur.

XIV. Sententia igitur *Iesaiæ* in loco nostro est ista: *Iacobus*, id est, homines divina promissione & spiritu regi cœpti, tanquam palmites, e stirpe viva depromti, radicabuntur, ac, postquam scientia & caritate rerum divinarum aucti sunt, efflorescent quotidie magis, hoc est, initia fructuum & incrementa prodent ac maturabunt, ut ad extremum terra tota fructuum ubertate impleatur.

Digitized by Google

II.

IO. CHRISTIANI BIEL,

PASTORIS AD D. ULR. ET IOH. BRUNSUIC.

DIATRIBE PHILOLOGICA DE VOCE סלה.

ARGUMENTUM.

§. I. De variis aliorum de voce סלה sententiis Auctores citantur. §. II. Summa dicendorum. §. III. Ad *Paschii* sententiam de voce סלה animadversiones. §. IV. Nostra proponitur cum argumentis. §. V, VI. Explicationem, qua סלה per *laudationem* exponitur, origo vocis & contextus admittit. §. VII. Optime convenit loco *Psalm. IX, 17*, ubi הגיון cum voce illa construitur. הגיון, *canticum*, ab הגה, quod proprie est *vocem edere, loqui, eloqui*, improprie *meditari*. LXX expositi. Μελετᾷν Græcis aliquando *exercere se* significat. Hebræis שיח tam *eloqui*, quam *meditari*, & אמר *loqui & cogitare*, ut Græcis ἐρεῖν & εἰπεῖν. *Psalm. XIX, 15. XCII, 4, Thren. III, 62*, explicantur. Lux Apostolo *Eph. V, 19*, & *Coloss. III, 16*, affunditur. Ad citharam laudes Dei olim decantatæ. *Apoc. V, 8, 9, XV, 2, 3*, illustrantur. Ἆσμα Græcis aliquando *cantilena* ὀργανική. הגיון *Psalm. IX, 17*, cum סלה construendum. Interpres Anglicanus laudatus & notatus. §. VIII. Explicatio nostra cum antiquissimis Interpretibus optime conciliari potest. Ostenditur de Alexandrinis. Variæ de voce διάψαλμα sententiæ. Propria affertur. Præpositio διὰ in compositione aliquando significat *inter* Ψάλλειν proprie *fides pulsare*, *fidibus canere*, & ψαλμὸς *citharæ pulsus*, vel *sonitus*. LXX scire potuerunt, quomodo

Digitized by Google

modo Psalmi in templo fuerint decantati. §. IX. De aliis Interpretibus Græcis declaratur, quod explicationi nostræ faveant. *Δόξα* illis *ἐλλειπτικῶς* positum pro *δόξα Θεῷ*. Coniectura, quid Levitæ, voce סלה audita, cecinerint. Ratio redditur versionis *Symmachi*, & aliorum veterum de voce סלה. §. *X. Δοξολογίαι Pauli* unde enatæ

I. Vox סלה, quæ in *Psalmis* septuagies semel, & ter in *Chabacuci* cantico, legitur, inter illas numeranda; de qua eruditi interpretes mirum in modum inter se dissident atque discordant. Et fuerunt magni nominis viri, qui dubium eius vexatumque sensum ignorare, quam prostituere, maluerunt. Vide omnino *Io. Paschium* in Dissert. pecul. *de Selah*, Vitembergæ A. 1695 publice ventilata. Confer &, præter Commentatores, *Clericum* maxime *in Psalm. III pag. 190*, *Salomonem van Til de Musie. Vet. Hebr. Sect. VII §. 10*, *Leighium* in *Crit. sacra*, *Ichovium* in *Psalmor. tit. pag. 124*, *Pfeifferum Dub. vexat. Cent. III Loc. 49 pag. 558*, *Buddeum Hist. Eccles. V. T. Tom. II pag. 190*, aliosque, ibi citatos.

II. Nolo iam, quid alii de hac voce statuant, ad examen revocare, præsertim cum laudatus modo *Paschius* in examinandis plerisque eorum sententiis iam otium mihi fecerit; sed ad ipsum saltem *Paschium*, qui, vocem סלה nomen Dei significativum denotare, & excelsam & summe celebrandam eius maiestatem exprimere, putat, & multis probare allaboravit, quædam notabo, & deinde, quid mihi de illa in mentem venerit, in medium afferam

III.

Digitized by Google

III. Ad ſententiam igitur *Paſchii* quod attinet, probavit quidem vir doctus quodammodo, quod vox סלה Hebræis nomen Dei denotare poſſit, parum ſolide autem, quod in *Pſalmis* & hymnis ſacris, in quibus legitur, re vera denotet. Et multum certe illi repugnat, quod, cum toties in *Pſalmis* pro nomine Dei ex ſententia ipſius occurrat, alias nuſpiam in Scriptura Deus illo appelletur, & antiquiſſimi Scripturæ V. T. Interpretes, Alexandrinos puto, quibus Dei nomina in lingua Hebræa, quam ut Græcam callebant, ignota eſſe non poterant, longe aliter, ut poſtea videbimus, vocem סלה interpretati ſint. Præterea varia exſtant loca, quibus *Paſchii* interpretatio admitti minime poteſt. E. c. quando *David* verbis *Pſalm. VII*, 4: *Domine, Deus mi, ſi feci iſtud, ſi eſt perverſitas in manibus meis, ſi retribui pacifico mecum malum, aut ſpoliavi hoſtes meos temere, perſequatur hoſtis animam meam, aſſequaturque, & conculcet in terram vitam meam, gloriamque meam in pulvere habitare faciat*, ſubiungit *Selah*, poſteriora verba *Paſchius* ita exponit: *Et gloriam meam in pulvere habitare faciat* (quis) *Selah*, addens: *Hoc enim Deus vi maieſtatis ſuæ ſolus potuiſſet, ut tanti regis fama vel infamis, vel nulla, eſſet.* Sed cuivis ad oculum facile patet, quod, ſicut antecedentia verba non ad Deum, ſed ad inimicum, ita & ſequentia: *& gloriam meam in pulvere habitare faciat*, ad eundem referenda ſint. Eaque explicatione maieſtati Dei neutiquam detrahitur. Sine eius enim

voluntate

Digitized by Google

voluntate & permiſſione inimici *Davidis* efficere non poterant, ut fama ipſius vel infamis, vel nulla, eſſet. Et, quemadmodum *David* prioribus verbis indigitat, quod, ſi iniquitas in manibus ipſius eſſet, Deus permittere velit inimicis, ut perſequantur animam ipſius, ita poſterioribus innuit, quod ea conditione Deus permittere etiam illis velit, ut gloriam ipſius in pulvere habitare faciant. Et accentus *atnach* in voce חיי, *vitam meam*, ad quem provocat *Paſchius*, æque minus ſuadet, ut ſtatuamus, quod in ſequentibus verbis non amplius de inimico, ſed de Deo, ſermo ſit, ac in antecedentibus verbis, in quibus נפשי, *animam meam*, pariter reperitur, efflagitat, ut verba: *aſſequaturque & conculcet in terram vitam meam*, non amplius de inimico accipiamus. Sic & *Paſchius*, verba *Pſalm. LXXV*, 4, ita accipiens, quod *Aſaphus* ibi ſe firmaturum promittat *columnas eius*, ſcilicet *Selah*, ſive *divini nominis*, omnino fallitur. Nam verba ibi in fontibus ita ſe habent: אנכי תכנתי עמודיה סלה. Si ergo סלה hic nomen divinum ſignificaret, ut vult *Paſchius*, & *Aſaphus* hic ſe firmaturum promitteret columnas eius, certe non עמודיה cum ſuffixo fœminino, ſed potius עמודיו cum ſuffixo maſculino, ſcripſiſſet. Et res manifeſta, quod, ſicuti in hoc eodem verſu יושביה ſunt *incolentes illam*, ſcilicet terram, ita per עמודיו, *columnas eius*, *columnas terræ* intelligere debemus. Pariter, quando *Paſchius* verbis *Pſalm. IV*, 3: *Filii hominum, quousque gloria mea in ignominiam*

erit, & diligitis vanitatem, quousque quaeretis mendacium? τὸ סלה additum, ita accipit, quod Hieropsaltes per apostrophen ad Deum ita provocet: *O Selah! o immortalem Deum! quis tantae malitiae, tantarum persecutionum, conspirationum, finis erit?* & Germanos hanc ellipsin sic supplere putat, *das vergeb euch Gott*, quis non videt, hanc explicationem valde coactam esse, & talem hic ellipsin supponi, qualem alias in Scriptura nuspiam reperimus? Eiusdem farinae explicationes locorum *Psalm. LXXXII, 2, XLIX, 14*, apud eundem legi possunt.

IV. Iam, quid ipse sentiam de voce סלה, si licet exponere, probabile mihi videtur, quod *laudationem* denotet, innuatque, quod post verba, quibus in Psalmis & hymnis sacris addita, in tabernaculo & templo laus Deo canenda fuerit. Hanc enim explicationem non solum origo vocis, & contextus, admittit, sed illa etiam omnium optime convenit loco *Psalm. IX, 17*, ubi הגיון cum voce סלה construitur, imo omium optime cum antiquissimis interpretibus conciliari potest. Singula iam declarare annitar.

V. Originem vocis quod attinet, vel deduci potest a סלה, quod, docente *Schindlero* in *Lexico Pentaglotto*, in Piel metonymice notat *comparavit, aestimavit, laudavit*, vel a סלל, quod significat *elevavit, exaltavit*, & *extollendi, laudandi*, notione sumitur *Psalm. LXVIII, 6*, ubi סלו *Targum, Syrus, R. Salomo, Aben-Ezra, &*

Kimchi,

Digitized by Google

Kimchi, *glorificate*, & *Schmidius extollite laudibus*, exponunt, idemque verbum cum שירו, *cantate*, & זמרו, *psallite*, coniungitur. Nullum ergo est dubium, quin סלה, inde descendens, de *laudatione* commode explicari possit, & statui, quod significaverit, post verba, quibus in Psalmis & hymnis sacris addita, in tabernaculo & templo laudem Deo canendam fuisse.

VI. Hanc vero explicationem & contextum admittere, nemo facile negabit, qui cogitaverit, laudem Dei omni occasione & tempore celebrandam esse. Sic enim Hieropsaltes *Psalm. XXXIV, 2: Benedicam Iehovae omni tempore, semper laus eius erit in ore meo.* Atque inde etiam non mirum alicui videbitur, quod verbis, quibus calamitatem suam deplorat, & Deum tanquam iratum sibi proponit, aliquando vocem *Selah* addiderit, ut *Psalm. LXXXVIII, 8*, & *LXXXIX, 46, 49.* Et certe ipse tandem posteriorem *Psalmum* expressis verbis ita claudit: *Benedictus sit Dominus in aeternum! fiat, fiat.* Notum etiam, quod *Iobus* in summis calamitatibus laudes Dei cecinerit, ex *Iob. I, 21.* Conf. & *Sal. van Til de Mus. vet. Hebr. Lib. II Sect. I §. 3.* Equidem sunt alia quaedam loca, de quibus dubium oriri posset, an ibi significatio, quam voci סלה tribuimus, locum habere queat. E. c. *Psalm. IV, 3: Filii hominum, quousque gloria mea in ignominia erit, amabitis vanum, quaeretis mendacium? Selah. Psalm. XLIX, 14: Haec est via eorum, stolida spes illis, & post ipsos tamen etiam posteri eorum ore suo probant. Selah.*

Digitized by Google

Psalm. LII, 4, 5: Pravitates cogitat lingua tua, sicut novacula acuta faciens dolum. Diligis malum præ bono, mendacium præ loquendo iustitiam. Selah. Psalm. CXL, 4: Exacuunt linguam suam instar serpentis, venenum aspidis sub labiis eorum. Selah. Sed, si omnia illa, & plura eiusmodi, loca paulo penitius, & in connexione sua, introspicimus, & ibi doxologiam intercini potuisse, facile videmus. Sic *Psalm. IV, 3,* & *LXXXII, 2,* illam Hieropsaltes intercini procul dubio voluit, quod tam intrepide hostes suos alloqui, & peccata illorum redarguere, posset, & ut illi, cantum laudis divinæ audientes, de iustitia Dei, imo & gratia eius, cogitarent, qua piis contra impios præsto est, & a peccatis desisterent. Quemadmodum & post verba *Psalm. LXXXII, 2: Quousque iudicabitis perversitatem, & facies impiorum acceptabitis?* ubi *Selah* comparet, laus divina celebrari potuit, quod *v. 1* hæc præmittantur: *Deus stat in congregatione Dei, in medio Deorum iudicabit;* & *Psalm. LII, 4, 5,* ubi post verba: *Pravitates cogitat lingua tua, sicut novacula acuta faciens dolum. Diligis malum præ bono, mendacium præ loquendo iustitiam, Selah* additum, quod modo ante, *gratiam Dei erga pios omni die sese exerere,* prædicaverat. Sic & *Psalm. XLIX, 14,* laudes divinas intercini voluit, quod Deus ipsum de his, quæ tam *v. 14,* quam aliis, quæ in antecedentibus verbis cecinerat, mentem suam illuminare voluerit. Et *Psalm. LXII, 4, 5,* ubi dixerat: *Quousque irruitis in unum hominem, ut oc-*

cidatis

cidatis eum universi vos, tanquam in parietem inclinatum, aut maceriem depulsam. Certe e gradu sublimi deiicere moliuntur, delectantur mendacio, ore suo benedicunt, in interiori autem suo maledicunt, subiungit *Selah*, ad canendam Dei laudem, quod contra inimicos illos dicere poterat secundum antecedentes *versus 2, 3: Utique ad Deum tranquille spectat anima mea: ab illo salus mea. Utique ille petra mea & salus mea, sublime refugium meum, non commovebor*. Et *Psalm. CXL, 4*, post verba: *Exacuunt linguam suam instar serpentis, venenum aspidis sub labiis illorum, Selah* legitur, ad laudandum Deum, quod auxilium eius contra illos secundum *versum 2, 3*, ita implorare poterat: *Libera me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo serva me: qui cogitant mala in corde, omni die congregant se ad bella*.

VII. Sicuti vero contextus explicationem nostram admittit; ita optime etiam illa convenit loco *Psalm. IX, 17*, ubi הגיון cum voce סלה coniungitur. Hoc ut manifestum fiat, primo quidem ostendam, quod הגיון significet *canticum*, *cantilenam*, & deinde, quod cum סלה sit construendum. Lexicographi & recentiores interpretes הגיון de *meditatione, re meditanda, re meditatione digna*, exponunt, sed rectius Alexandrinis est ᾠδή, *canticum*. Nam originem trahit ab הגה, quod proprie significat *vocem edere, loqui, eloqui*. Sic de *rugitu leonis, Ies. XXXI, 4*, de *gemitu*, vel *murmure columba, Ies. XXXVIII, 14*, & de *loquela*, quæ idolis

idolis gentium deest, *Psalm. CXIII*, 15, occurrit. Sic & pro *eloqui* aliquoties usurpatur. E. c. *Psalm. XXXV*, 28, ולשוני תהגה צדקך כל־היום תהלתך, *& lingua mea eloquetur iustitiam, omni die laudem tuam. Psalm. XXXVII*, 30: פי צדיק יהגה חכמה, *os iusti eloquetur sapientiam.* Vide & *Psalm. LXXI*, 24, *Prov. VIII*, 7, *Ies. LIX*, 3, 13. LXX in posterioribus locis הגה verbo μελετᾷν reddunt, illudque ibi procul dubio non in propria significatione, qua *meditari* denotat, sed potius eo sensu, usurparunt, quo *exercere se* significat. Nam de *ore* & *lingua* proprie dici non potest, quod *meditentur*. Verba igitur *Psalm. XXXV*, 28: Ἡ γλῶσσά μȣ μελετήσει τὴν δικαιοσύνην σȣ, ὅλην τὴν ἡμέραν τὴν ἔπαινόν σȣ, vertenda sunt: *Lingua mea exercebit se in iustitia tua, per totum diem in laude tua.* Et *Psalm. XXXVII*, 30: ςόμα δικαίȣ μελετήσει σοφίαν, *os iusti exercebit se in sapientia.* Sic & alias Græcis μελετᾷν est *exercere sese*, & μελέτη, *exercitatio. Aristophanes Plut.* v. 511:

Οὔτε τέχνην ἂν τῶν ἀνθρώπων, ὔτε σοφίαν μέλετῴη
Οὐδείς.

Neque in arte aliquis hominum, neque in sapientia, se exercet. Diodorus Siculus Lib. V pag. 298: Αἰτίαι δὲ τȣ́των αἱ συνεχεῖς ἐκ παίδων μελέται, καθ᾽ ἃς ὑπὸ τῶν μητέρων ἀναγκάζονται παῖδες ὄντες συνεχῶς σφενδονᾷν. Προκειμένȣ δὲ ὑποπȣ̃ κατάτι ξύλον ἠρτημένȣ ἄρτȣ, ȣ̓ πρότερον δίδοται τῷ μελετῶντι φαγεῖν, ἕως ἂν τυχὼν τȣ̃ ἄρτȣ συγχω-

συγκεχωρημένον λάβῃ παρὰ τῆς μητρὸς καταφαγεῖν τοῦτον. *Efficit hoc crebra a pueris exercitatio, qua parvuli adhuc sub matrum disciplina funda iaculari coguntur. Pro scopo enim illis in ligno quodam suspensus est panis, quo exercenti se non antea vesci licet, quam illum contigerit, & tum demum ille a matre in cibum conceditur. Xenophon Cyrop. Lib. I pag. 5:* αἱ δ' ἂν μένωσαι φυλαὶ διατελοῦσι μελετῶσαι τά τε ἄλλα, καὶ τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν. *Quæ autem domi manent tribus, ut in aliis, sic in sagittando & iaculando, se exercent.* Taceo alia loca, iam observata B. *Raphelio* ex eodem ad *1 Tim. IV, 15, pag. 286 seq.*, & ex *Polybio pag. 605 seq.* Confer & Auctores laudatos B. *Wolfio* ad 1 *Tim. l. c. pag. 466.* Unde *Hesychius:* Μελετᾷ, ἀσκεῖ, ἐπιμελεῖται, γυμνάζεται. Μελέτη γὰρ ἄσκησις. *Meletâ, exercet, curat, exercitatur.* Μελέτη *enim est exercitatio.* Latinis etiam *meditari* de *exercitatione* usurpari, observat B. *Gothofredus Olearius* in Dissert. *de Morte non metuenda pag. 5:* Sicuti vero הגה proprie significat *vocem edere, loqui, eloqui;* ita improprie de illis, qui *meditantur, cogitant, moliuntur*, occurrit, quod illi, qui cogitant, vel meditantur, tanquam apud se ipsos loquuntur. Quemadmodum inde etiam שיח Hebræis tam *eloqui*, quam *meditari*, denotat, & אמר, quod proprie iisdem *locutus est*, significat, haud raro pro *cogitare* reperitur. Vide *Gen. XX, 11, XXXI, 31, Iud. XV, 2, Iob. VII, 13, XXXII, 7.* Adde 2 *Reg. XXI, 16,* ubi LXX verbum illud per διανοέομαι, *cogito*

interpretantur. Sic & *ῥέω* & *ἔπω*, quod proprie Græcis est *loquor*, pro רמה, *cogito*, apud illos legitur *Ef. XIV*, 24, *Esth. IV*, 12. Et in N. T. *εἰπεῖν*, & *εἰπεῖν ἐν ἑαυτῷ*, *εἰπεῖν ἐν καρδίᾳ*, *cogitare* significat. Vide *Luc. XII*, 18, *Matth. IX*, 3, *Luc. VII*, 39, *XVI*, 3, *Matth. XXIV*, 48. Imo Græcis etiam profanis *εἰπεῖν πρὸς σεαυτὸν* est *cogitare*. Vide, quæ ex *Platone* & *Epicteto* observat Cel. *Schwarzius* in *Comm. Crit. Græc. Ling. pag.* 563. Cum ergo dubium non sit, quin הגה proprie sit *vocem edere*, *loqui*, *eloqui*, הגיון etiam, quod inde descendit, proprie potius *canticum*, quam *meditationem*, denotare puto. Et certe de *cantico*, vel *cantilena*, in omnibus, quibus occurrit, Scripturæ locis commodissime exponi potest. Sic *Psalm. XIX*, 15, verba: יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי, procul dubio ita reddenda sunt: *Sint ad beneplacitum*, h. e. grata & accepta, *verba oris mei*, & *canticum cordis mei*. Huc enim, quod Interpretes hactenus non observarunt, manifeste respicit Apostolus *Ephes. V*, 19, ubi a Christianis requirit, ut sint *ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ Κυρίῳ*, *canentes & psallentes corde Domino*, & *Col. III*, 16, ubi præcipit, ut sint *ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ κυρίῳ*, *suaviter canentes corde Domino*, hoc est, *hymnos*, quos ore canant, corde ita agitent, ut Deo, qui motus cordis tanquam altam vocem audit, (conf. *Exod. XIV*, 15,) & sine interno cordis cultu externum aversatur, hymni ipsorum grati esse possint. Et notandum, quod לרצון, quod LXX *Psalm. l. c.* reddunt

Digitized by Google

dunt εἰς εὐδοκίαν, *ad beneplacitum*, Apostolo sit ἐν χάριτι. Illudque verti *suaviter*, quod χάρις alias de sermonis suavitate reperitur. Vide LXX *Psalm. XLIV*, 13, *Eccles. X*, 12, & *Luc. IV*, 22, *Col. IV*, 6. Pariter *Psalm. XCII*, 4, verba עלי הגיון בכנור bene interpretantur μετ' ᾠδῆς ἐν κιθάρᾳ, *cum cantico in cithara*, vel *ad citharam*. Conf. *Psalm. XXXIII*, 2, *XLIII*, 4, *LVII*, 9, 10, 2 *Par. V*, 12, 13, unde patet, quod, ut ad alia instrumenta, ita & ad citharam, in V. T. laudes Dei fuerint decantatæ. Eoque alluditur *Apoc. V*, 8, 9, ubi viginti quatuor seniores habuisse dicuntur *citharas*, & *cecinisse canticum novum*, & *Apoc. XV*, 2, 3, ubi victoriam reportantes a bestia, memorantur habuisse *citharas*, & *cecinisse canticum Mosis*. Gentiles etiam ad citharam laudes Deorum & heroum cecinisse, discimus ex *Homero Hymn. in Mercur. v.* 424 *seq.* Pro *cantico* etiam, vel *cantilena*, vox הגיון legitur *Thren. III*, 62, ubi Propheta Deum audire dicit *labia hostium suorum*, והגיונם, *& cantilenam illorum de se omni die*. Nam, vocem Hebræam sic explicari ibi debere, patet ex *v.* 63, ubi Propheta, se ipsum interpretans, addit: *Sive sedent illi, sive surgunt, intuere, quæso ego*, מנגינתם *modulamen*, vel *canticum, illorum*. Confer & *v.* 14, ubi ita: *Factus sum ludibrio omni populo meo*, & נגינתם, *cantilena illorum*. LXX ψαλμὸς αὐτῶν. Similiter locutus est *Iobus Cap. XXX v.* 9, & *Davides Psalm. LXIX*, 13. Apud profanos etiam eiusmodi locutio occurrit. *Philostratus Apollon. Lib. IV*

cap. 20: Μειράκιον τῶν ἁβρῶν, ὅτως ἀσελγὲς νομιζόμενον, ὡς γενέσθαι ποτὲ Ἀμαζόνων (vel, ut magnus *Bochartus* in *Diss. Epist. ad h. l.* erudite legendum coniicit, Μαισώνων,) ᾆσμα. *Adolescens e mollibus, qui putabatur ita lascivus, ut olim etiam fuerit, Amazonum* (vel, secundum emendationem *Bocharti*, *Masonum*,) *cantilena*. Hic ᾆσμα non intelligitur quodvis, sed σκωπτικὸν, ut הגיון, מנינה, & נגינה, *Thren. l. c.* Eodemque sensu vocem usurpari *Plutarcho* in *Pericle*, observat *Bochartus l. c.* En verba: Ἦδον ᾄσματα καὶ σκώμματα πρὸς αἰσχύνην, ἐφυβρίζοντες αὐτοῦ τὴν στρατηγίαν ὡς ἄνανδρον, καὶ προϊεμένην τὰ πράγματα τοῖς πολεμίοις. *Cantilenas canebant & scommata in* (ducis) *contumeliam, illius imperium ut parum virile sugillantes, quodque hostibus proderet rempublicam.* Itaque non possum non discedere a Lexicographis & Interpretibus, qui hactenus הגיון *meditationem* interpretati sunt, & *Psalm. IX*, 17, etiam amplecti Alexandrinorum versionem, qua vox illa ᾠδὴ redditur. Quemadmodum ab illa alias quoque præter gravissimas causas non recedendum esse, Viri eruditissimi bene & sapienter monuerunt. Vide *Bochartum Hieroz. Part. II Lib. II cap.* 31 *pag.* 345, & *Iacobum Hasæum Bibl. Brem. Class. II pag.* 1032, & *Class. VII pag.* 783. Quod vero הגיון *Psalm. l. c.* non seorsim a sequenti סלה exponendum sit, ut multi Interpretes putant, sed cum illo potius construendum, patet ex accentu *mercha*, qui nihil distinguit, & *Ies. XL*, 6, in השדה

כעיץ,

Digitized by Google

כציץ, *flos agri*, in priori voce ציץ eodem modo reperitur, quo in הגיון *Psalm. l. c.* Sic bene etiam eruditus Interpres Anglicanus in Annotationibus vernaculis, in omnes libros V. T. Londini A. 1651 fol. editis, observat, quod הגיון סלה in statu constructo eodem modo usurpetur, quo הגיון לאי *Psalm. XIX, 15*, quamvis, quid significet, docere non potuerit. *But here*, scribit, *what it signifies, or to what purpose. I know no man that can tel me certainly*, id est, *sed, hic quid significet, vel quo scopo additum sit, neminem scio, qui certi aliquid de illo indicare possit.* In eo etiam fallitur, quando, *Græcos* & *Vulgatam* verba הגיון סלה, tanquam ad textum non pertinentia, ἀνερμήνευτα reliquisse, notat. Licet enim apud *Vulgatam* nullam eorum explicationem reperiamus, LXX tamen pro illis habent ᾠδὴ διαψάλματος, illorumque versione sententia nostra multum firmatur, quod הגיון cum סלה construendum sit. Cum ergo ex hactenus dictis pateat, quod הגיון denotet *canticum*, & vox illa *Psalm. l. c.* cum sequenti סלה construenda, omnino etiam inde manifestum est, quod explicatio vocis סלה, quam dedi, optime loco illi conveniat, & הגיון סלה commodissime exponi possit *canticum laudationis.* Et valde probabile, quod pro סלה, quod alias toties in *Psalmis* occurrit, ibi explicationis causa plenius הגיון סלה dicatur.

VIII. Restat, ut ostendam, quod explicatio nostra optime cum antiquissimis Interpretibus conciliari

conciliari possit. Inter illos primo appellandi sunt Alexandrini, qui omnibus locis, quibus vox סלה occurrit, illam διάψαλμα interpretantur. Licet enim in *Francof. Ed. Psalm. III*, 8, pro διάψαλμα legatur δόξα, & *Psalm. XXIII*, 10, *XLV*, 8, δόξα πάθισμα, & *Habac. III*, 12, in eadem æque ac Alex. εἰς τέλος, hæc tamen ex aliis Interpretibus ibi inserta esse, & alias editiones rectius pro illis διάψαλμα ibidem habere, verisimile ex eo, quod Alexandrini tot aliis locis סלה constanter διάψαλμα reddiderint. Ut vero pateat, versionem illam explicationi nostræ favere, ante omnia de vera eius notione dispiciendum est. Grammatici veteres de illa ambigunt, & non satis inter se conveniunt. In Lexico *Cyrilli* MS. Brem. exponitur μετάβασις, *transitio*, apud *Suidam* μέλους ἐναλλαγὴ, *cantus mutatio*, apud *Hesychium* μουσικοῦ μέλους ἢ ῥυθμοῦ τροπῆς γινομένης, ἢ διανοίας καὶ δυνάμεως λόγου ἐναλλαγὴ, *quando cantus musici, vel rythmi, mutatio fit, vel sensus, & potentiæ sermonis, mutatio*. Et *Euthymius Zygabenus* Præf. *in Psalm.* apud *Steph. le Moyne* in *Var. Sacris pag.* 179 de illo ita: Διάψαλμα μεταβολὴν σημαίνει νοήματος, ἢ μέλους, ἢ ἀναβολήν τινα κρούματος, ἢ τηνικαῦτα θείου πνεύματος ἔλλαμψιν εἰς τοὺς ψάλλοντας. Ἀπογράφοντο γὰρ ταῦτα πάντα διὰ τὴν ἀκρίβειαν. *Diapsalma mutationem significat sensus, vel cantici, vel moram pulsationis instrumentorum musicorum, &, quæ tum fit, illuminationem divini spiritus in canentes. Describebantur enim hæc omnia, ut accurata*

Digitized by Google

rata essent. Vide & aliorum explicationes, hisce similes, apud *Suicerum Thes. Tom. I pag. 59.* Proprie vox illa denotat, *quod fidibus intercinitur.* Est enim a præpositione διὰ, quæ in compositione aliquando significat *inter*, ut διάστυλα, *intercolumnia*, διάστημα & διασφὰξ, *intervallum*, διάφραγμα, *interspimentum*; & ψάλλειν, *fides pulsare, fidibus canere.* *Suidas*: ψαλλομένη τιλλομένη· κυρίως δὲ ψάλλειν, τὸ τῷ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι· ψαλλομένη, *pulsata. Proprie vero* ψάλλειν *est summis digitis chordas* (instrumentorum musicorum) *tangere.* Et *Pollux Lib. IV cap. 9 segm. 62*, de instrumentis, quæ pulsantur, verba λυρίζειν, κιθαρίζειν, ψάλλειν, adhiberi, docet. Confer eundem *Lib. IV cap. 8 segm. 58.* Sic apud *Platonem* in *Lyside*: Ἐπειδὰν τὴν λύραν λάβῃς, ὠ διακωλύσουσί σε -- ἣν ἂν βούλῃ τῶν χορδῶν καὶ ψῆλαι καὶ κρούειν τῷ πλήκτρῳ. *Ubi lyram sumseris, non prohibebunt, quo minus quamlibet chordam pulses & percutias plectro.* Vide *Berglerum* Not. ad *Alciphron. Epist. pag. 70.* Sic etiam apud LXX respondet Hebr. נגן, *pulso*, *1 Reg. XVI, 23*, ubi ita: Ἐλάμβανε Δαβὶδ τὴν κινύραν, καὶ ἔψαλλεν ἐν χειρὶ αὐτοῦ, *accipiebat David citharam, & percutiebat manu sua.* Vide & *1 Reg. XVI, 16, XVIII, 10, XIX, 9.* Inde & ψαλμὸς *citharæ pulsus*, vel *sonitus*. LXX *1 Reg. XVI, 18*, secundum Rom. Ed. de *Davide*: εἰδότα τὸν ψαλμὸν, *scientem fides pulsare.* Et *Amos V, 3*: ψαλμὸν ὀργάνων σου οὐκ ἀκούσομαι, *sonitum instrumentorum tuorum non audiam*, & *Iosephus Antiquit.*

Lib. VI

Lib. VI cap. 14: προσέταξε τῷ ψαλμῷ καὶ τοῖς ὕμνοις ἐξᾴδειν αὐτὸν, *jussit ad citharam, seu κινύραν*, de qua ibi ante, *pulsu & hymnis placare ipsum.* Ita enim bene interpretatur Ill. *Spanhemius Observ. in Callimach. pag. 55.* Sic & *Telestes Selinuntius* apud *Athenaeum Lib. XIV pag. 310:* Τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον Λύδιον ὕμνον. *Illi vero acuto instrumentorum sonitu canebant hymnum Lydium.* Hinc bene *Scholiastes Aristophanis* in *Av. v. 218:* ψαλμὸς κυρίως ὁ τῆς κιθάρας ἦχος. Ψαλμὸς *proprie citharae sonitus.* Διάψαλμα igitur est proprie, *quod fidibus intercinitur.* Cumque propria vocis significatio praeter rationem non deserenda sit, apud LXX etiam illam admitti debere, illosque vocem, quae Hebraeis proprie *laudationem*, vel *canticum laudis*, denotat, eo vocabulo reddidisse, autumo, quod sciverint, post verba, quibus addita, in templo instrumenta musica fuisse audita, & ad illa cantores laudem Dei intercinuisse. Scire autem illos id potuisse, nemo facile in dubium vocabit. Vivebant enim eo tempore, quo musica templi adhuc personabat. Et vel ex aliis audiverant, quomodo *Psalmi* in templo fuerint decantati, vel ipsi etiam, sive ex Iudaea Alexandriam missi, sive in Ægypto nati, cultui Levitico Hierosolymis interfuerant. Nam Deus mandaverat, ut Iudaei, masculini generis, quotannis eo convenirent ad festum Paschatos, Pentecostes, & tabernaculorum. Vid. *Exod. XXIII, 17, XXXIV, 23, Deut. XVI, 16.* Et quod Iudaei etiam, in exteris

& longe

Digitized by Google

& longe dissitis regionibus viventes, soliti sint huic mandato morem gerere, patet ex *Act. II, 5 seq.*, ubi, festo Pentecostes Iudæos ex omni gente sub cœlo Hierosolymis commoratos fuisse, legimus. Sic &, Iudæos tempore *Neronis* ab omnibus regionibus ad azymorum festum congregatos fuisse, testatur *Iosephus de Bello Iudaico Lib. VII cap. 8 §. 24 pag. 244.* Inde ingens & incredibilis multitudo ovium paschalium sub Cestio uno Paschate mactatorum. Vide eundem *de Bell. Iud. Lib. VI cap. 9 §. 3 pag. 399*, & conf. ad h. l. Clar. *Ottii Spicileg. ex Ioseph. ad N. T. illustr. pag. 224 seq.* Sicuti vero inde patet, quod Iudæi post Christum natum ad festorum solennia ex regionibus exteris Hierosolyma concesserint; ita &, iam antea illos morem istum observasse, verisimile. Atque adeo non minus probabile, quod, licet aliquis Iudæos, qui versionem *Psalmorum* Græcam adornarunt, in Ægypto natos statuat, tamen & illi Hierosolymis aliquando fuerint, & audiverint, quomodo *Psalmi* in templo fuerint decantati. Imo manet probabile, quod LXX vocem סלה, quæ proprie *laudationem*, vel *canticum laudis*, significat, non solum in omnibus, quibus occurrit, *Psalmi* locis, sed etiam in *Chabacuci* vaticinio, per διάψαλμα exposuerint, quod sciverint, post verba, quibus addita, cantores laudem divinam ad instrumenta musica intercinere debuisse.

IX. Quemadmodum vero explicatio nostra cum Interpretibus Alexandrinis optime conci-

liari

Digitized by Google

liari potest; ita favent illi alii Interpretes Græci. Nam in *Francof.* edit. τῶν ό *Psalm. III, 8, XXIII, 10, XLV, 11,* סלה ex alio, ut puto, interprete vertitur δόξα, illudque procul dubio positum ἐλλειπτικῶς pro δόξα Θεῷ, *laus sit Deo*, ut secundum eandem editionem Hebr. הללו יה, *laudate Dominum*, per δόξα eodem sensu exponitur *Psalm. CIII, 36, CV, 47, CXLVII, 9, CL, 6.* Secundum illum Interpretem igitur סלה adhortandi vim habuit, ut laus Deo caneretur. Et forsitan, illa audita, Levitæ ad instrumenta musica cecinerunt verba, quæ scripta sunt *Psalm. CVI, 48:* ברוך יהוה אלהי ישראל מן עולם ועד עולם, h. e. secundum LXX: εὐλογητὸς κύριος, ὁ Θεὸς ἰσραὴλ, ἀπὸ τῦ αἰῶνος, καὶ ἕως αἰῶνος, *benedictus sit Dominus Deus Israel a seculo in seculum;* quibus omnis populus respondit: אמן, אמן, γένοιτο, γένοιτο, *fiat, fiat.* Et forsitan ad posteriora doxologiæ illius verba respexit *Symmachus*, qui *Hab. III, 3* vocem סלה interpretatur εἰς τὸν αἰῶνα, *in seculum*, & R. *Ioseph*, Paraphrastes Hagiographorum, qui illam לעלמין, vel לעלמי עלמין, *in secula seculorum* reddit. Inde etiam enatæ videntur Græcorum quorundam, & Rabbinorum, versiones, quibus illi eandem vocem εἰς τέλος, *in perpetuum*, ut VI Edit. *Psalm. III, 3*, & διαπαντὸς, ut V Edit. & ἀεὶ, semper, ut *Aquila*, hi vero לנצח, *in sempiternum*, *perpetuo*, exponunt. Vide de his *Drusium in Fragment. Vet. Int. Græc. pag. 870.* Sic & *Syrus* Interpres vertit לעלם, *in æternum.* Certe vix alia ratio reddi posse videtur, cur Interpretes illi vocem ita interpretati sint.

X. Obiter

Digitized by Google

X. Obiter addo, quod ad imitationem διαψαλμάτων, in *Psalmis* decantatis ad laudem divinam celebrandam solennium, *Paulus* δοξολογίας Epistolis suis interseruisse videatur. Sic, quando *Rom. XI, 36*, de Deo scripserat: Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν, τὰ πάντα, *quia ex ipso, & per ipsum, & ad ipsum, omnia*, addit: αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν; *ipsi sit gloria in secula; Amen!* Vide & *Gal. I, 5, Ephes. III, 21, 2 Tim. IV, 18, Hebr. XIII, 21.* Peculiari Dissertatione δοξολογίας illas illustrasse Ven. *Jo. Iac. Quandtium* Regiomonti A. 1676, docuit me B. *Wolfius* in *Cur. in Quat. Prior. Pauli Epist. pag. 3*, quam tamen nunquam oculis meis usurpare licuit.

III.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PVBLICÆ PRÆFECTI,

FABVLA PARCARVM, EX ANTIQVITATIBVS ORIENTALIBVS, ITEMQVE EX NVMMIS, ILLVSTRATA.

I. *Jobi Capite VII commate sexto* mentio fit de ארג, *a*) quam vocem plerique interpretes per

 radium

a) Verbum ארג *texere* significat *1 Sam. XVII, 7, 2 Sam. XXI, 19*, & in multis aliis Scripturæ locis.

radium textoris exposuerunt, *b*) ipsi etiam Ebræorum magistri. Et sane, cum ibi mentio fiat de *re*, *quæ velocissime transit*, ea autem sumatur a *textore*, cum nihil in textura fit, quod *velociter transeat*, præter *radium*, mirum non est, ita exponi ab interpretibus. Alias *vox* ista ארג *generalis* est, & potius ipsam *texturam*, aut telam, quam aliquod *instrumentum*, significat. Sed ab omnibus interpretibus vox ארג non eodem sensu est exposita. Plane alium, & quidem toto cœlo differentem, sensum reperies apud Seniores: *ὁ δὲ βίος μυ ἐςιν ἐλαφρότερος λαλιᾶς*, *vita mea est levior loquela.* Vulgata: *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur*, ubi quidem loquitur de tela, sed *radii* non meminit. *Utut sit*, inquit *Joannes Braunius c*), *videmus, ita de* textura *& de* instrumentis textoriis *loqui sacram Scripturam, ut dubitare non possimus, quin sit intelligenda subtilior illa* ars texendi, *quæ ad hunc usque diem obtinet post tempora Chanaani, sive Mercurii; ideo verpulis textura est* מעשה..ארגן, *opus artificiosum.* Porro autem apud *Iobum* occurrit vox

Cum vero verbum hoc de *araneis* dicatur *Esaiæ LIX, 5*; vero consentaneum est, inde factum esse nomen τῆ ἀράχνη, non ex fabulosa *Arachne*, quam in *araneam* mutatam fuisse fingunt. Videatur omnino *Samuel Bochartus Parte II Hierozoici Libro IV Capite 23 pag. 606.*

b) Conferatur *Io. Georgius Abicht* in *Observationibus ad Caput II Commentarii Rabbi Esaiæ in Iosuam.*

c) *De Vestitu Sacerdotum Hebræorum Libro I Capite 16 §. 8 pag. 331.*

Digitized by Google

vox תקוה rite explananda. Nimirum Ebræis קו, *cau*, tenue filum est, vel funiculus, LXX σπαρτίον exponunt, & *Symmachus* σχοινίον, *Iobi XXXVIII, 5.* Ex eadem radice est תקוה, unde *Iosuæ II, 21*, תקות השני, *funiculus coccineus*, & hic apud *Iobum*: *Dies mei velociores fuerunt radio* textoris, *& defecerunt*. באפס תקוה *in fine fili*, id est, tramæ, seu subtegminis. Quod ipsum respiciens *Ennius*, *filum gracilentum* nominat: *Deducunt habiles radios filo gracilento.* Rursus ex קו, *cau*, est מקוה, netum, vel opus subtilissimum, *ex Ægypto* advectum *1 Regum X, 28*, & *2 Chronicorum I, 16*, ubi Vulgatus *de Coa*, quasi sit *loci nomen*; nec multo aliter Græci Interpretes. Sed *Kimchius* recte exponit: *opus ex lino*, id est, ex bysso, *textile*, d) *quod excellit in*

d) Præter *Samuelem Bochartum Parte I Hierozoici Libro II Capite IX pag. 172*, operæ pretium fuerit, audire *Ioannem Braunium de Vestitu Sacerdotum Ebræorum Libro I Capite 8 §. 11 pag 181.* Quemadmodum optimi equi educebantur ex *Ægypto*, sic etiam *pretiosissimum linum*, aut *lini netum*. Sunt ex Hebræorum Interpretibus, qui מקוה non quidem *netum* exponunt, sed שש aut *byssum* ex filo, aut neto Ægyptiaco. *Salomon* autem ita cum *Pharaone*, Ægypti Rege, convenerat, ubi sibi soli ius esset, equos & netum inde deducendi, quod ius certo pretio acquisiverat, equos autem illos & netum is deinde solus per per suos mercatores divendebat ceteris populis, quo factum, ut magnas divitias corraserit. Ad clariorem porro intelligentiam verborum hic notatum velim, videri *certum aliquod pretium* con-

Ægypto plus quam ullibi terrarum. Cui firmando citat loca ex *Proverb. VII, 16, Esaiæ XIX, 9, Ezechielis XXVII, 7.* Eodem refert Arabum קוי, *Kowa*, pro *funiculo*, & חבל קו, *chablo Kowin*, pro fune ex funiculis contexto apud *Giggeium* & Sytum, קוין, *Kauvin*, pro filis aranearum in Chaldæa Paraphrasi *Esaiæ LIX, 5, 6.* & Talmudicum קיואי, *Kevvæ*, vel, ut *Aruch* legit, קוואי, *Kavvæ*, pro textoribus in Tractatu *de Sabbatho.*

II. Eadem autem, qua *Iob*, *metaphora Moses* itidem utitur *Deuteronomii XXVIII, 66. Et vita tua*, inquit, pendebit, hoc est, iudicio *Liberii de Sancto Amore*, sive *Ioannis Clerici*, in *Epistolis theologicis pag. 295*, incerta erit, & quasi filo suspensa. *Ennius Ann. III: hac noctu filo pendebit Etruria tota. Ovidius Epist. ex Ponto:*

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

Porro

constitutum fuisse pro neto, non quidem pro equis, quod facile fieri poterat, cum optimum linum eiusdem pretii fuerit, pro equis autem tale pretium statui non poterat, cum procul dubio alter alteri multum anteferendus fuerit. Ideo in sacro textu tam expresse hæc verba adduntur: *& mercatores Regis acceperunt*, sive *emerunt*, *netum pro pretio*, id est, certo aliquo pretio noto, prout ante cum Rege conventum erat. Hic ergo sensus integer istorum verborum: *& educebant Salomoni equos ex Ægypto & netum*; & quidem, quod ad *netum*, *mercatores Regis illud emebant pro* constituto *pretio*, de quo iam conventum fuerat cum Rege.

Digitized by Google

Porro autem, ut ad sacros Scriptores redeamus, eadem metaphora *Ezechias* utitur apud *Esaiam Capite XXXVIII, 12, neque Poetarum Parcis aliunde origo fuit, quam ex tali modo loquendi*, ut ex vero iudicat *Samuel Bochartus. e)* Nimirum, si porro audiamus *Abrahamum Hinckelmannum, f) Parcarum* etymon est a *Pharaka*, sive a voce Hebraica & Chaldaica *Barak*, separavit, scidit, distinxit, quasi nomen acceperint suum a solutione animæ & corporis per mortem. Quid? quod nomina propria *Parcarum* ex *Antiquitatibus Orientalibus* repetenda sunt atque illustranda. *Clotho* est a Calatha, collegit, *Atropos* a Taraba, amputavit, *Lachesis* a Lachas, rosit lanam. Quamvis autem *Parcarum fabula*, quod ad eiusdem *primam originem* attinet, inde ex Oriente sit repetenda; *Scriptores* tamen *Graci Romanique* ita Parcas descripserunt, ut una tantum dicatur filum incidere, duæ vero, altera vitam dare, altera vitæ tractum continuare, quatenus nempe homo gignitur, vivit, moritur. Vide, sis, *Gerardum Ioannem Vossium. g)* Porro autem iidem *Scriptores pagani*, vera in Deum fide destituti, *invehi* solent *in Parcas*. Pertinet huc illa vetus Inscriptio: CRVDELES PARCÆ, QVÆ NEMINI PARCVNT, INVIDERE MIHI. HIC SI-

e) In *Phaleg Libro I Capite 7.*

f) In Præfatione ad *Alcoranum.*

g) *De Origine & progressu Idololatriæ Libro II Capite 44.*

Digitized by Google

TVS EST LIBVRNVS PVER, DOLOR PARENTVM. Iterum in alia antiqua Inscriptione apud *Georgium Fabricium* in *Libris II Antiquitatum*, quas ex ære, marmoribus, membranisve veteribus, collegit, *pag. 82*, & apud *Antonium Augustinum*, *h*) nominantur *infestæ Parcæ*. Mittimus *paganos*, quorum tamen superstitionem commendat *Thomas Correus*. *i*) *Decet*, inquit, *invehi in mortem*, accusare Parcas, *solem, qui adspexit*, & *passus est*, *in lunam* & *diem*, *qui non omnia obduxit nebulis*. Equidem multa feram in Poetis, sed non ut ipsi, innumeris culpis immersi, culpent *bonitatis fontem*, & (verbis utimur *Gerardi Ioannis Vossii*,) *k*) *ore impio ablatrent Fata*, *sive potius divinam voluntatem*, *cui acquiescere semper debet bona Christiana*.

III. Transeamus nunc necesse est, ad *Nummos*, quos inter exhibet, observante *Ezechiele Spanhemio*, *l*) nummus quidam hinc *Diocletianum* IMP. C. VAL. DIOCLETIANVS AVG. illinc tres *mulieres* stantes *cum cornu copiæ*, & inscriptione: FATIS VICTRICIBVS S. C. Vides hic *tria Fata*, ut *Parcas* vocat *Fulgentius*, *m*) ac passim *Græcorum* more *Romani* Auctores;

h) *Antiquitatum Romanarum Hispanarumque in Nummis veterum Dialogo X pag. 158.*

i) In Libro *de conficiendis Epigrammatis Capite 19.*

k) *Institutionum poeticarum Libro III Capite 21 §. 11.*

l) *De Usu & præstantia Numismatum Dissertatione IX pag. 838.*

m) *Mythologiæ Libro I.*

Digitized by Google

ctores; certe *Artemidori n)* regulam, cui tres mulieres vestitæ *Parcas*, nudæ *Horas*, aut *Gratias*, signant. Quanquam & *Furias*, tres mulieres vestitæ, sed facibus insuper ac flagellis armatæ, adumbrent in præclaro *Philippi* nummo, & præterea *Parcas* ac *Fata Ausonius o)* distinguat:

- - tres ordine Parcæ,
Tres Charites, tria Fata.

Equidem *templum* olim in urbe *Parcis dicatum* sub nomine TRIVM FATORVM, cuius meminit aliquoties *Anastasius*, & de quo audiendus, qui illum explicat, *Procopius*: *p)* ἔχει δὲ τὸν νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τῦ βουλευτηρίυ ὀλίγον ὑπερβάντα ΤΡΙΑ ΦΑΤΑ· ὅτω γὰρ Ρωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν. *Ædem vero habet* (Ianus) *in foro pro Curia, paulo super* TRIA FATA; *sic Romani* Parcas *vocare consueverunt*. Vnde non male liceret colligere, sub *Diocletiano* erectum Romæ templum illo nomine. Certe nondum exstabat illud ætate *Tertulliani*, qui *q)* Romanos sugillat, quod non tantum honoris *Fatis* decreverint, a quibus tradita illis erat invita Junone Carthago, quam *lupæ Larentinæ*. Quanquam *Zozimus* *Parcas* quoque recenseat inter ea Numina, quibus in *Ludis secularibus* sacra fiebant in Campo Martio. *Parcæ* autem vel eædem cum *Fatis*

 in

n) Onirocriticon Libro II Capite 49.
o) Eidyllio XI.
p) De Bello Gothico Libro I. Cap. 25.
q) In *Apolog. Libro II.*

Digitized by Google

in Theologia gentilium, iuxta sexcenta Auctorum loca, vel *Fati dominæ*, ut *Ovidio* r) appellantur: *an dominæ* Fati *quicquid cecinere sorores*, & quibus Parcis proinde ab *Horatio* invocatis additum inter alia: Bona *iam peractis iungite* Fata. Neque vero solum *Romæ Parcarum Ædes*, aut cultus, sed & earum sacra apud *Phæacenses*, iuxta *Apollonium Rhodium*. s) VICTRICIA vero vocantur eadem FATA in superiori nummo, cum iuxta consuetam apud gentiles Deorum Dearumve appellationem, ut DIANÆ VICTRICI, & sexcenta id genus, tum iuxta propriam & peculiarem vim ac potestatem horum Fatorum, quibus stat Iupiter ipse, quæ *orbem regere* passim tradita; quorum occurrentes ubique de cupiditatibus hominum VICTORIAS prædicat *Libanius*: t) καὶ τὴν ΝΙΚΗΝ πανταχοῦ τῶν ΜΟΙΡΩΝ: & quæ denique eodem etiam iuxta nummum epitheto a *Claudiano* u) ornata:

In proprium sed ducta larem, Victricia *redDit*
Fata *solo*.

Alioquin, ut *Victricia* hoc loco, sic *Victa*, *Superata*, nonnunquam legas eadem *Fata*, ut apud *Senecam* in *Furente*: *&* Fata vici, *morte contemta redii*, & *Maronem* *Æneid. XI*: *Contra ego vivendo*, vici *mea* Fata *superstes*; & ab

r) *Tristium Libro V Eleg. III.*
s) *Libro IV Argonaut.*
t) *De Servitute pag. 644.*
u) In *II Consul. Stiliconis.*

Digitized by Google

ab *Oedipo* eiusdem *Senecæ:* Fata *superavi impia.* His enim titulis nonnunquam ob præcipitata funera ornantur in antiquis Elogiis, quæ *Sinistra*, *Dira*, *Impia*, *Invida*, frequenter eadem vocant. Audivimus adhuc *Spanhemium*, cuius verba itidem excerpsit *Anselmus Bandurius* in *Numismatibus Imperatorum Romanorum Tomo II pag. 49*, cum idem aliquanto superius *pag. 6* de dicto *Diocletiani* nummo in hanc sententiam dissernisset: *Hac Epigraphe* FATIS VICTRICIBVS, *& hic typus*, *in* Diocletiano *& in* Valerio Maximiano *tantum occurrunt. Nummus rarissimus*, *in quo* tres Fatæ, *seu* tres Parcæ *stantes*, *singulæ* tædas, *ut videtur*, *tenentes*, *dextris vero invicem nexis.*

IV. Mittimus *nummos*, addimus tamen, quæ ad eorundem illustrationem inprimis pertinent. *Ausonius* in *Ternario: Tres Charites, tria Fata;* mirum tamen, aliquanto ante apud eum legi: *tres ordine Parcæ;* quasi aliud sint *Fata*, ac *Parcæ.* Ut liqueat, aliquos ea distinxisse. x) Credo & *Maro*, cuius est illud *Ecloga IV:*

 Talia

x) Apud *Georgium Fabricium* in *Libris II Antiquitatum, quas ex Aere, Marmoribus, Membranisque veteribus, collegit, pag. 87*, hæc legimus:
Sic etenim duxere olim primordia Parcæ,
Et nevere super vobis fatalia fila;
Cum primum Lucina daret lucemque animamque,
Ut vita diversa dies foret, unaque lethi.
Nobis porro alia est Trino de Numine Fati
Dicta dies lethi, quam propagare suopte
Visum illis tacito arbitrio, cum lege perenni,
Sisti qua cunctos iubet ad vadimonia mortis.

Digitized by Google

Talia secla suis, dixerunt, currite fusis
Concordes stabili Fatorum numine Parcæ.

Nempe eos est secutus, quibus *Fata* sunt *Iovis effata*, sive divina voluntas; *Parcæ* autem hæc fata exequuntur. At *promiscue* alii utuntur. Unde & *Fulgentius Planciades Mytholog. Libro I: Tria enim isti Plutoni destinant Fata; quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos.* Et mox: *Quod prima sit nativitatis educatio, secunda vitæ sors, quemadmodum quis vivere possit, tertia mortis conditio, quæ sine lege venit.* His etiam *Procopius*, uti paulo ante vidimus, accessit. Atque hæc in præsenti sufficiant. Plura legantur apud *M. Antonium Muretum* ad III Invectivam in Catilinam, *Gerardum Ioannem Vossium de Origine & progressu idololatriæ Libro II Capite 44*, & in *Etymologico Linguæ Latinæ voce Fatum.*

IV.

CAROLI HENR. ZEIBICHII,

ARTIVM MAG. S. S. THEOLOGIÆ CANDID. ORDINISQVE PHILOSOPHORVM IN ACAD. VITEMB. ASSESSORIS,

DE IMAGINE CHRISTI, IN LARARIO AVREL. ALEXANDRI SEVERI CONSPICVA,

DIATRIBE CRITICO-HISTORICA.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

§. I. *Accessus ad tractationem.* §. II. *Locus Ælii, qui enarrandus est, exhibetur.* §. III. *De Aur. Alexandro Severo.* §. IV. *De Ælio Lampridio.* §. V. *De Scriptore incerto, ad quem Ælius provocat.* §. VI. *Instituti ratio & ordo traditur.* §. VII. *Vera Christi apud Alexandrum existimatio.* §. VIII. *Illustratur paucis meliori Gentilium & Mohammedanorum de Christo opinione.* §. IX. *Explanatur locus Ælii, & principia de veterum Larariis disseritur.* §. X. *Cuinam Lario, utrum superiori, an inferiori, Christum Alexander inserat,* §. XI. *Ex collocatione Christi in Lario ad cultum illius haud argumentandum.* §. XII. *Quæstiones nonnullæ attinguntur.* §. XIII. *Quibusnam Christus adiungatur in Lario, distincte significatur.* §. XIV. *De existimatione Sociorum Christi in Lario, videlicet Apollonii.* §. XV. *Abrahami.* §. XVI. *Orphei.* §. XVII. *In vocum,* & huiuscemodi Deos, *integritatem inquiritur.* §. XVIII. *De phrasi,* rem divinam faciebat. §. XIX. *Vtrum honorem divinum, Christo a Severo exhibitum, meditatio Templi confirmat.* §. XX. *Fontes & caussæ tantæ existimationis Christi apud Alex. Severum aperiuntur, quo refertur primum favor Imperatoris erga Christianos.* §. XXI. *Præterea hominum quorundam aulicorum Christianismus.* §. XXII. *Fons præcipuus, institutio a matre, Iulia Mammaa, indagatur.* §. XXIII. *De Conversione Mammaæ ad fidem Christianam, utrum auctoritate Scriptorum firmetur.* §. XXIV. *Aliæ rationes, quæ disputationi huic inserviunt.* §. XXV. *Institutio Alexandri per Mammaam ex antea dictis evincitur.* §. XXVI. *Conclusio.*

I.

ET dulcedo rei, de qua disseram, & argumenti, quod persequar, gravitas, compel-

lit

lit me, ut præsentem de loco quodam insigni disputationem, non minori animi voluptate, quam circumspectione, ingrediar. Commemorat *Ælius Lampridius*, de vita *Aur. Alexandri Severi* exponens, imaginem *Christi* in *Severi* Larario, aliorum imaginibus iunctam, sed ita ea de re loquitur, ut uberrimam de illa cogitandi, eamque investigandi, materiam lectoribus relinquat. Non quidem negligunt hunc locum *Is. Casaubonus* & *Claud. Salmasius*, illustres *Lampridii* enarratores; sed tangunt tamen potius, quod mirum dictu, quam excutiunt, ut latiorem omninò eorum a sagacitate ac munificentia desiderare explanationem possis. At, quem hi Viri attingunt, hunc prorsus præterit locum *Io. Reiskius*, cuius tametsi diligentia in *imaginibus Christi*, peculiari Diatriba describendis, haud langueat, in recentioribus tamen tantum, quo imaginem *Christi*, ad *Abgarum* transmissam, *Veronicæ* datam, sindoni linteisque sepulcralibus impressam, in statua Paneadensi conspicuam, eas denique, quæ per *Lucam* & *Nicodemum* confectæ, secundum *Lentuli* Epistolam, & Prosopographiam *Nicephori*, delineatæ, itemque per numismata effectæ sunt, referre solemus, subsistit. Operæ igitur pretium facturum me, speravi, si illum ipsum locum, qui & dignitate se commendat, & aliquid difficultatis habet, paucis excutiam, quidque de eo mihi quidem videatur, modeste exponam.

II.

II. Vt eo melius existimari possit de instituto meo, exhibendus est locus *Ælii Lampridii* integer, qui legitur in *Vita Alexandri Severi pag.* 123 editionis *Scriptorum Hist. Aug.* Parisiensis in Fol. *Casauboni* ac *Salmasii* Notis & Emendationibus exornatæ, qua semper usus sum. Ibi enim de *Alexandro* nostro, *Matutinis horis*, inquit *Ælius*, *in Larario suo, in quo & divos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, &, quantum Scriptor suorum temporum dicit; Christum, Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi Deos, habebat; ac maiorum effigies, rem divinam faciebat.*

III. Qualis fuerit *Alexander* ille, sive, ut plenius dicitur, *Aurelius Alexander Severus*, cuius de vita rebusque gestis copiose disserit *Lampridius*, non solum inter omnes, veteris historiæ gnaros, satis convenit, sed cognosci etiam accurate potest cum ex universa *Lampridii* enarratione, tum ex eiusdem *Alexandri* vitæ descriptione, quam compendiario modo *S. Aurelius Victor* tam in *Historia Cæsarum*, quam in *Epitome*, confecit. Dimitto alios, doctos atque elegantioris doctrinæ viros, nostræ ac superioris ætatis, qui res Ecclesiæ, & fata illius, a nato mundi Servatore, magnis voluminum molibus indagant, ac *Severi* nostri historiam, eadem industria, eademque aliorum Augustorum fide, recensent. Vixit enim Seculo post C. N. tertio, distinguendus tamen ab alio, in numero Augustorum Seculi huius primo, vel præcedentis ultimo, a *Septimio Severo*,

patre

Digitized by Google

patre *Caracalla*, quorum utrique *Alexander* noster, multis temporum spatiis interiectis, successit, post *Elagabalum* demum Imperatoriæ dignitati admotus. Ille quidem, ob insignem Christianorum, ex iisque variorum discipulorum *Origenis*, *Potamianæ* virginis, *Perpetuæ* ac *Felicitatis*, fœminarum nobilium, Martyrum inprimis *Scillitanorum*, cædem, haud incognitus est, cum e contrario, *Alexandrum* meliori ac mitiori erga Christianos animo fuisse, inter omnes constet. Illius vitam *Ælius Spartianus*, huius *Ælius Lampridius*, descripsit.

IV. Iam ad Scriptorem ipsum, cuius diligentia res hæc, quam persequor, literis consignata, nostrisque temporibus relicta fuit, *Ælium* inquam *Lampridium*, accedo, Veterum Imperatorum Romanorum enarratorem, & non huius solum, sed & aliorum Augustorum, vitarum recensione clarissimi nominis famam consecutum. Vtrum, melius dicatur *Spartianus*, quam *Lampridius*, breviter inquirere, non prorsus videtur ab hoc loco alienum. Ea de re ab utroque vitæ *Severi*, per *Ælium Lampridium* consignatæ, explanatore nonnulla monita sunt, & a *Casaubono* quidem *pag.* 158, a *Salmasio* vero *pag.* 198. Quanquam enim scriptorem nostrum, cum Mediolanensi editione, *Puteanum*, veteres plerosque, & alios vulgatos Codices, dixisse, sciunt, *Lampridium*, *Spartiano* tamen vindicari, vident, in Excerptis Bibliothecæ Regiæ ac Palatinæ, quibus accedat *Robertus Bononiensis*, *Spartiani* nomen libro illi

aliquo-

aliquoties præmittens. Eamque ob causam iisdem accedere non dubitant. Idem etiam *Casaubonus* in loco alio, ad *Hadrian. Spartiani pag. 1, a viro docto superioris memoriæ* annotatum, meminit, unius hominis, *Ælii Lampridii Spartiani*, nomina, imprudentia librariorum, divisa, ac duplicem inde factum *Ælium*, alterum *Ælium Spartianum*, alterum *Ælium Lampridium*. Quam tamen sententiam nec pro *vera & certâ amplecti* se, nec pro *falsa penitus reiicere*, fassus est. Ergo nec meam facio hanc controversiam; eoque tutius ut res meas agam, *Ælii* plerumque voce Scriptorem appellandum, duxi.

V. Fidem *Ælii* hac in re, quam commemorat, solicitandam haud esse, inducor partim professione gentilismi, eidem haud permittente, ut aliquid, a veritate remotum, in gratiam & favorem Christianorum, in honorem etiam ipsius *Christi*, quem præsens locus ex parte tuetur, excogitaret, partim verbis illis, quibus ad Auctorem provocat alium, quem *Scriptorem suorum temporum* dicit. *Isaacus Casaubonus*, qui & illustrat, & emendat, *Ælium* in locis compluribus, scienter animadvertit, sæpius ita pro, *eorum temporum*, scripsisse veteres. Subnectit tamen, si hoc placere nolit, posse forsan ita intelligi, *scriptor quidam, qui tempora illa, quibus ipse vivebat, descripsit.* Tandem, quia in Regio Codice legit, *Scriptores*, rescribendum esse, iudicat, *quantum scriptores eorum temporum dicunt, pag. 165.* Quocunque modo legatur, videmus, *Lampridium*

ea,

Digitized by Google

ea, quæ refert, fide haud destitutum referre, suamque narrationem non tam ore aliorum, fama ac traditione vulgi, sæpius mendaci ac fallaci, munire, quam auctoritate scriptorum, ad seram ætatem superstitum. Quodsi ad famam provocasset ac relationem vulgi, haud quidem peccasse censendus esset scriptor egregius, non tamen impedivisset, quo minus dubitarent nonnulli de rei veritate. Nam scriptores etiam probatissimi, *Herodotus*, *Diodorus*, *Eusebius*, multa interdum a vero aliena Commentariis suis interferunt, per famam, ac narrationem aliorum, accepta, quam verbis, *ὡς λέγουσι*, vel huiusmodi aliis, indicant, eamque ob rem ab imprudentioribus mendaciorum accusantur, cum tamen non ipsi, sed alii, tum loquantur, quorum verba referunt, neque ipsi fallantur, sed auctores traditionis, penes quos fidem relinquunt. Cum igitur auctoritate scriptoris antiquioris nitatur *Ælius*, eo rectius iniqua imprudentiorum iudicia effugit, illudque impetrat, ut fides narrationi suæ facilius habeatur.

VI. Sed nolo plura præmittere. Hæc tamen præmunienda duxi, antequam locus investigaretur ipse, & res, notatu digna, in eodem commemorata. Loquitur igitur *Ælius*, & cum eo scriptor nominis incogniti, de *Christi imagine in Alexandri Severi Larario conspicua*. Vnde palmaria subnascitur quæstio, utrum *Christus* ab *Alexandro* in Larario, in quo eius imaginem habuit, fuerit etiam cultus, & quo-

Digitized by Google

modo de cultu illo, vel honore, *Christo* a *Severo* præstito, existimare deceat. Quam quidem disputationem universam haud felicius absoluturum me, confido, quam si primo loco, quid de existimatione *Christi*, in qua apud *Alexandrum Severum* fuit, mea quidem ex opinione, sentiendum sit, aperiam, postea sententiam, distincte apertam, excussis fere singulis narrationis *Ælianæ* verbis, latius declarem, postremo in fontes & causas tantæ de *Christo* apud Imperatorem ethnicum opinionis studiose inquiram.

VII. Circumspectis iis, quæ ad locum præsentem excutiendum pertinere videbantur, & subductis probe rationibus omnibus, tantum quidem ego, imbecillitatis meæ probe mihi conscius, assecutus sum, *Christum* non pro Deo quodam ab *Alexandro Severo* coli in Larario, neque eum pari in honore esse cum ipsis *Severi* laribus, tantam tamen eius esse existimationem, ut vulgarem, quam conferre hominibus solemus, longe multumque excedat. Habet enim *Christum* pro homine quidem *Alexander*, sed maxime insigni, illustri, magnaque vitæ sanctitate effulgente. Pro eo, inquam, homine, qui, superioribus temporibus, tantam sibi famam comparaverit, ut totum terrarum orbem sua compleverit laude, & tam sermonis dulcedine, & dicendi facundia, quam rerum gravitate, & pondere argumentorum, magnum ad se pellerent hominum numerum, tanta doctrinæ cum copia, tum præstantia, stupefactum.

Digitized by Google

Pro eo homine, qui non ſolum novam quandam gentibus, ab ſe alienis, credendi normam propoſuerit, ſed ei etiam, omnibus fere terrarum in locis, multa adiunxerit mirabiliter facta, & communes hominum vires ſuperantia, hinc in vivis, hinc in mortuis, perpetrata, iisdemque Prophetæ magni nomen apud gentes etiam, procul diſſitas, fuerit conſecutus. Pro eo homine, qui ſingulari vitæ emendatiſſimæ ſanctitate ſplenduerit, nullaque pallcſcens culpa, omnis vitii, omnis criminis ac labis, expers fuerit habitus, ceterisque hominibus, quibus magnum exemplum ſuum imitandum propoſuerit, vita integra, ſcelerisque pura, ac variis virtutibus, continentia, modeſtia, temperantia, & quaſcunque vita comprehendit ſanctior, præire conſueverit. Pro eo homine, qui non modo ſuo tempore omnium in ſe oculos converterit, hominesque ad ſe pellexerit, ſed &, poſt diſceſſum ſuum e conſpectu aliorum, usque ad hoc tempus cœtum inſignem in terris reliquerit ſectatorum, qui eum laudibus efferant, ab eo beneficia, æternum duratura, ſibi polliceantur, in omni fortuna eidem confidant, eius gratia nixi, adverſa quævis perferant, mortemque acerbiſſimam, diriſſimis cruciatuum generibus aſperatam, ſuſtineant. Et quæ ſunt complura alia, quæ Imperatorem agitaſſe animo, hauddquaquam dubitandum videtur, ex quibus tamen ſanctitatem vitæ ad animum revocatam præcipue, ex infra diſputandis commodius cognoſci poterit.

VIII. Quæ-

VIII. Quæri posset, utrum hæc sibi constent, & ex quo fonte tanta de *Christo* opinio in animo hominis, a civitate Dei excluso, provenerit. Verum, cum hæc summa sit extremæ partis laboris mei, hic, quod dici potuisset, dimitto, tantum tamen illustrationis ergo attingo, quod existimationis *Christi*, tum apud alios ex ethnicorum numero, tum apud Mohammedanos, vestigia varii generis spectare nobis liceat. Ac *gentilium* quidem opinionem de *Christo* meliorem comprobare possem testimoniis & Imperatorum, qui bene de *Christo* locuti sunt, & scriptorum veterum, qui multa, non inique dicta, de eodem consignarunt literis, sed partim instituti mei termini, qui transiliendi non sunt, retrahunt me, partim labores virorum doctissimorum, qui in examinandis iis maxime occupantur. Adeatur igitur, præter scriptorem, qui *Paganos Christianorum laudatores & fautores* descripsit, Max. Rever. *Gottl. Fr. Gudium*, a quo passim ea de re disputatur, alius Vir eruditus, qui, uno colligata fasciculo, nobis dedit *Testimonia Non-Christianorum de Christo Tobias Eckardus*. Nolo ea attingere, quæ in laboriosissimo *Demonstrationis Evangelicæ* opere eruditissimus Abrincensium Episcopus latissime disseruit, utpote nemini doctiorum incognita. Abstineo etiam ab aliis magnis nominibus, quæ tacite veneror. De *Mohammedanis* subnectere varia possem ex systemate fidei Turcicæ, *Corano*. Ibi enim complura deprehendi, quæ honori Servatoris nostri haud adversentur,

Digitized by Google

& cum puriori Christianorum doctrina conspirent, ex lectione tam *Corani* ipsius, quam virorum doctorum, qui fidei Mohammedicæ summam tradiderunt, cognosci potest. Legatur *Compendium Theologiæ Mohammedicæ*, quod, è MSto Codice Arabico divulgatum, Latine vertit, notisque illustravit, *Hadr. Relandus Lib. I de Relig. Mohammedica.* Adiungantur notæ uberiores, quas *Corano* Turcorum *Ludov. Maraccius* subiecit, & examinentur, quæ in *brevi Synopsi Religionis Mohammedicæ*, versioni *Corani*, a *Maraccio* compositæ, præmissa, *Cap. III Loc. X pag. 83 seq.* disserit Clar. *Christ. Reineccius.* Nam hæc tangere tantum, non enarrare, promisi.

IX. Nunc ipsum excutiam locum *Ælii*, nervosque intendam, ut ex verbis huius fere singulis, curatius ponderatis, veram *Christi* apud *Alexandrum* existimationem declarem, quæque adversarii intellexero, solicite expendam. Ac primo quidem loco prætereundum non est, videri omnino in verbis *Ælii* nonnulla latere indicia summi ac divini honoris, *Christo* ab *Alexandro* collati. Spectatur enim simulacrum *Christi* in ipso Imperatoris *Larario.* Revocetur hic in memoriam, quid fuerint illa Lararia, cuique rei dicata. Vocantur a *Laribus*, quod vel tironi perspectum est. De quibus latius dicendum non puto, nec disputo, utrum nomen eorum a *Lara*, sive *Larunda*, Nympha Tyberina, quæ *Ovidio*, in *Fastis*, *tacita*, *Lactantio* vero *Lib. I. de falsa relig. cap. XX Dea muta*, dicitur,

citur, ex qua illi per *Mercurium* prognati fuerint, an, quod melius videtur aliis, ab Hetrusca voce, *Lar*, *προστάτην*, *antistitem*, *præsidem*, *principem*, significante, arcessi debeat. Breviter duntaxat hoc annoto, *Lares* fuisse Deos tutelares, a veteribus publice privatimque cultos. Horum enim alii *publici* dicti, *domestici* alii. *Lares publici* curæ ac tutelæ integrarum regionum, urbium, compitorum, vicorum, viarum, marium etiam, præfecti sunt, indeque *Larium Vrbanorum*, *Compitalium*, *Vialium*, *Marinorum*, & *Permarinorum*, nomine vocati. *Domesticos* autem *Lares*, sive *privatos*, curam habere, creditum fuit, domuum ac familiarum, quibus auxilio suo præsint, ob eam rem etiam *Dii familiares*, *patrii*, *præstites*, *Prisciano* vero *Lib. V* *θεοὶ κατοικίδιοι* dicti. Conf. *Barn. Brissonius Lib. I de Formul. Rom. pag. 50.* Hos respicit *Tranquillus*, ubi de *Laribus Cubiculi* loquitur, *Vit. Domit. Cap. XVII*, & loco alio, quo, *subversis templis*, *Lares a quibusdam familiares in publicum abiectos*, refert. *Calig. cap. V.* Sino iam priores, quos operose describunt, qui de *Diis* veterum *Vialibus* singulari studio differunt, *Everard. Otto*, *Christ. Weisius*, ὁ *Μακαρίτης*, alii. Et *domesticos* tantum considero, qui, ut olim privatorum etiam domibus præerant, sic virorum inprimis Principum, atque Imperatorum Romanorum, palatiis consecrari solebant. Erant autem Lares illi affines & cognati Principum, parentes maxime & majores, qui non solum de Republica, sed &

Digitized by Google

de Domo Augusta, & familia eius, præclare fuerant meriti, &, post mortem in Deorum numerum adsciti, Divorumque nomine compellati, Deorum honore afficiebantur. Nec videtur aspernandum, quod nonnulli, ut *Thom. Dempsterus* ad *Io. Rosini Antiqu. Rom. Lib. IV pag.* 423, & *Sam. Pitiscus Vol. II Lex. Ant. Rom. voc. Laralia*, coniiciunt, tantæ venerationis originem a sepultura maiorum repetendam, ipsis in domibus antiquo more facta, qua de re oportuniori tempore dicam. Cum enim corpora maiorum ipso illo in loco defossa essent, quem occupabant hæredes, manes eorum superesse, existimatum est, qui mala quævis & infortunia ab universa Domo Augusta arceant, & contra quosvis aliorum insultus fortiter defendant. Quia igitur non solum pro Diis consecrati erant, sed salutem etiam domus præsidio promovere putabantur; mirum non est, cultum Laribus, veluti Diis, fuisse exhibitum, primis quidem temporibus privatum, posteris vero etiam publicum, quo *Lares* pertinent *publici*, quos hic tamen prætereo. *Domesticus* autem *Larium cultus* peragebatur ipso in *Larario* illo, de quo in loco nostro *Ælius* dicit. Est enim illud in *Glossis* ἱδρύσιον, a *collocando*, quia in eo Lares, Dii tutelares, ordine *collocati*, comparent. Atque, hunc locum *foco* proximum fuisse, accepimus, propterea, quod foco domestico Lares præfecti, isque pro ara Larium haberi solebat. Testis clarissimus est *Scholiasta Horatii ad Epod. II: Iuxta focum Dii*

Penates

Penates positi fuerunt, *Laresque inscripti idcirco, quod ara Deorum Larium focus fuerit habitus.* Exinde intelligitur, quid sibi velint scriptores, ubi *Lares nigros*, *fumosos*, *fuliginosos*, producunt. Formam Larium, qua in Larariis conspecti, hanc veteres dant, quod *exuviis caninis* involuti fuerint, addunt etiam canem, lateri Larium assistentem, eoque more, ut testis est *Plutarchus* ad naturam canum respiciunt, qui alienos & peregrinos ab æde domini prohibent, domesticos custodiunt, & vim, ab aliis illatam, vel inferendam, modis omnibus ulciscuntur. *Io. Rosinus* in *Antiq. Rom. Lib. II pag. 207.* Ipsa tamen simulacra, quibus canina forma per pelles collata est, ex cera confecta legimus, aliquando ex argento, aliaque, vel consimili, vel pretiosiori, materia. Cultus Larium non una ratione persolvi debuit, sed partim, incensis præstantioribus odoramentis, partim, oblatis sacrificiis quotidianis, ex cibo, thure, vino, oleo, apparatis, præterea etiam diebus festis anniversariis, publicis privatisque laribus sacris, quibus larium simulacra expolita, varii generis floribus conspersa, & coronis exornata, commemorantur. Testis huius rei locuples *Tranquillus*, qui & *temporis*, quo dies Larium præcipuus actus, & *ornatorum* eo die *Larium*, ipsius etiam *sacrificii*, Laribus oblati, meminit. *Calendis*, inquit, *Ianuariis exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt.* *Vit. Neron. cap. 46.* Cognoscitur ex his, latissimum me ingredi campum, in quo diu multumque versari possem,

 nisi

nisi instituti mei ratio me ad alia vocaret, quæ etiam confestim persequar.

X. Occurrit tamen hic, ubi de Larariis disputatur, aliquid, quod alienum a proposito non est, videlicet, ut indagetur, *quonam in Larario Christum* collocaverit *Alexander*. Duplicia enim fuisse Lararia veterum, cognoscere licet ex loco quodam clarissimo *Ælii* nostri. Quem quidem locum ideo produco, quod non de Larariis veterum, generatim consideratis, nec tantum de Larariis, qualia ætate *Severi* fuerint, sed de ipsius Augusti nostri Lario, quod *geminum* ille habuit, spectatissimum testimonium exhibet. Unum enim ex his Larariis *secundum* vocat *Ælius*, alterum *maius* dicit. In illo, *secundo* puto, *Virgilii*, ait, *Alexandrum* imaginem, cum simulacro *Ciceronis*, *Achillis*, & *magnorum virorum*, sed in *maiori* illo *consecrasse* eum *Magnum Alexandrum inter Divos & Optimos*. *Vit. Alex. pag.* 124. Multum hic *maius* illud dignitate superat alterum illud, sive *secundum*. In hoc enim, in *secundo*, imagines tantum *Virgilii* & *Ciceronis* collocat *Severus*, vel *habet*, ut *Ælius* inquit, in illo vero, *maiori*, non solum *Alexandrum*, vere Magnum, collocat, sed eum etiam *consecrat*, divino honore dignum habet, eundemque ei confert, & pari cum Laribus cultu ac religione prosequitur. Nam consecrat eum *inter Divos & Optimos*, vulgarium hominum numero exemtos, ipsorumque in Deorum consortium post obitum adscitos. Quodsi iam exqui-

Digitized by Google

quiras, quonam in *Severi* Larario imago *Christi* fuerit conspicua; profecto multum ad probandum honorem insignem, *Christo* ab Imperatore habitum, dixeris, si, in *Larario maiori* conspectam imaginem eius, edocere possis. At, hoc quin facili fieri negotio possit, dubitandum non est. Quanquam enim in loco nostro *Ælius* non nominat clarissime *maius* illud, ut in priori loquitur, *Lararium;* adiicit tamen, eodem in loco *Christum* collocatum, in quo & *divos principes*, *optimos electos*, & *animas sanctiores*, Imperator habuerit. In loco vero, quem iam produxi, & *Divos & Optimos* Larario maiori *Ælius* vindicaverat. Relinquitur, ut, *Christum* vere in ipso illo *Larario maiori*, in quo *Alexandri M.* simulacrum consecratum, credamus constitutum. Et recte ideo non solum *Tob. Pfannerus*, ubi locum nostrum paucis excitat, in *Larario maiori Christi* conspicit imaginem, *Theol. gentil. pag. 49*, sed & magnus *Casaubonus Not. & Emend. ad h. l. pag. 165*, quia infra de *Larario secundo* legatur, duce nostro *Ælio*, Lararium, in quo Christus fuit, ingreditur, illudque *sanctius* vocat. Quam ob rem, non dubitandum esse, putem, de integritate sententiæ nostræ.

XI. Si quis tamen velit ex eo, quod in Lario *Severi* imago *Christi* compareat, ad divinum ipsius argumentari cultum, ab Imperatore præstitum, sciat ille, quod veterum Larariis non solos Deos, vel Divos, sed imagines etiam hominum, ac virorum, dignitate præcel-

 cel-

cellentium, inferre licuerit. Hoc confirmo ex *Iulio Capitolino*, qui de *M. Antonino*, Augusto, refert, tantum eum magistris suis, Oratoribus, Grammaticis, Philosophis Stoicis & Peripateticis, detulisse honorem, *ut imagines eorum aureas in Larario haberet. Vit. Antonini pag. 23 ed. Paris.* Posses quidem ad hunc *Capitolini* locum obvertere, non significari, in quo Larario magnos illos viros habuerit *Antoninus*; verum, quia non commemoratur, quod & hic geminum, ut *Severus*, habuerit, dici potest, si habuerit duplex, potuisse eos inferre *maiori* Larario, sin unum duntaxat, in numero sanctissimorum Larium eos habuisse. Sed, qualecunque fuerit, Deos eos fecisse, magistros suos *consecrasse*, inter *Divos* retulisse, ex verbis *Capitolini* probari non potest. Assumam tamen & illud, quod viri quidam docti annotant, omnium Imperatorum, ideoque & *Antonini* nostri, Lararia fuisse duplicia, quorum *inferiori* clari tantum viri dedicati fuerint. Ita *Sam. Pitiscus Vol. II Lex. Antiq. Rom. voc. Lararium*, qui provocat ad locum *Ælii*, *§. X* adductum. Exinde tamen argumentari illud liceat, cum *inferius* etiam voce compelletur *Lararii*, dari Lararium, in quo non soli Lares, hoc est, Dii, sed homines etiam dignitate præditi, collocentur. Ex hoc *Antonini* Larario ingredior aliud, illudque *Vitellii*, de quo locus est insignis apud *Tranquillum*, in eius Vita, *cap. 2: Narcissi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit.* Erant hi duo *Claudii* Imperatoris liberti, ut

Digitized by Google

ut vocantur ab eodem Scriptore in *Claudio cap.* 28, sed, quam perditi, quantæque nequitiæ, fuerint homines, non solum ex cæde *Messalinæ*, *Claudii* coniugis, & *Appii Syllani*, itemque stupro *Agrippinæ*, sed ex iis quoque, quæ loco posteriore *Tranquillus* refert, cum quo *Plinium Lib. VII Ep.* 29, & *Lib. VIII Ep.* 6, comparari velim, cognosci potest. Et eorum tamen imagines Larario infert *Vitellius*. Ex quo confirmetur id, necesse est, quod dixi, non solos Deos in veterum Larariis fuisse conspicuos, sed homines etiam, Deorum in numerum nunquam relatos.

XII. Multifariæ proferri possent quæstiones, ex hactenus expositis subnatæ, quibus tamen indagandis atque excutiendis imparem me video. Quæri, inquam, posset, cuius ab artificis manu imago illa *Christi* profecta, ex quo typo delineata, quomodo fabrefacta, quibusue ornamentis decorata, utrum simulacri & statuæ, an alia, specie efficta, quo tempore, quave occasione, a *Severo* comparata, quibus cerimoniis Larario dedicata, & quæ tandem subsequentibus temporibus fata fuerit experta. Sed earum quæstionum pleræque non solum curiosæ magis, quam necessariæ, sunt, sed &, ob altum scriptorum silentium, expediri nullo modo possunt. Duo tamen tantum annoto, quorum unum est, dubitandum haud videri, quin *Alexandri* etiam *Severi* ætate imagines *Christi* permultæ fuerint hic & illic conspectæ, quarum aliæ aliis meliores & accuratiores, aliæ ab otio-

sis

Digitized by Google

sis hominibus, lucrique cupidis, alia a magistris artis suæ peritissimis, delineata, ut mirum non sit, *Alexandro* copiam fieri potuisse *Christi*, a typo quodam effictì. Alterum, materiam imaginis *Christi*, quam *Severus* habuit, aurum fuisse, vero simillimum omnino videri. Nam, cum tam in *Marci Antonini*, quam eodem *Severi* nostri, Larario imagines collocatæ fuerint aliorum hominum, de quibus magna fuit opinio, eæque ex auro confectæ, quod & *Capitolini* & *Ælii* fide supra confirmatum est, non video, quam ob rem de viliori imaginis *Christi* pretio certi quid statui debeat. Ceterum ab his quæstionibus facile discedo, memor propositi mei, quod non tam ad hanc *Christi* imaginem describendam, quam potius existimationem, exinde dimanantem, investigandam, me instigare video.

XIII. At, si fortassis aliquid præsidii, pro stabiliendo divino *Christi* apud *Alexandrum* cultu, in eo quæri velit, quod in Larario maiori, inter *Divos Principes*, eosque *optimos electos*, atque *animas sanctiores*, imaginem *Christi* referat *Ælius*, neque hoc succedere, respondeo. Nam, hic primum illud observandum, ab aliis iam fuisse monitum, etiam in *maiori* Larario non solos Deos, sed & homines vitæ emendatissimæ, collocatos. Conf. *Sam. Pitiscus* in *Lex. Ant. Rom. Vol. II voc. Lararium*, firmans hoc auctoritate loci nostri. Inprimis autem distincte consideranda sunt atque expendenda verba *Ælii* singula, ut, quibusnam *Severi* imaginibus accenseatur

featur *Christus*, liquido appareat. Duplex vocula *&*, qua scriptor utitur noster, multum obscuritatis tollit ac difficultatis. Loquitur ergo *Ælius* tam de *Divis Principibus*, quam de *animabus sanctioribus*, sed ita, ut per dictionem illam & has a prioribus seiungat. *Alexandrum*, testatur *Ælius*, in Larario suo habuisse Divos Principes, hoc est, maiores suos, non omnes ac singulos absque discrimine, sed meliores duntaxat, quorum in Domum Augustam & Rempublicam illustria erant merita. Addit enim, *sed optimos atque electos*. Hos omnes vita functos, ut insignem, qua eos prosequatur, venerationem significet, memoriam eorum diutius conservet, atque ad posteros extendat, tanto honore afficit, ut Deorum in numerum referat, pro Diisque colat. Huius rei indicio clarissimo est illud, quod *Divos* eos *Ælius* vocet *principes*. Sed, ubicunque in veterum monumentis *Divi* nomen donatur alicui mortalium, toties indicat hominem quendam *ἀποθεωθέντα*, Deorum in numerum relatum, divinoque cultu affectum. Copiose ea de re atque eleganter disseruit Celeb. *Io. Dan. Schoepflinus* in *Commentationibus Hist. & Criticis*, ubi *Apotheosin* persequitur Imperatorum Romanorum. Conf. *Nova Acta Erud. Lips.* 1742 *pag.* 486 *seq.* Habet igitur *Alexander* suo in Larario primum *Divos Principes*, quos pro Diis colit, eorumque societati adscribit Magnum *Alexandrum*, quem dixerat *Ælius* in illo Lario *inter Divos & Optimos*, (habes eadem verba, qui-

quibus hic utitur,) *consecratum*. Cumque tantus honos, præter viros, meritis in Rempublicam insignes, aliis etiam, tum magnitudine rerum gestarum clarissimis, tum eruditionis laude florentibus, fuerit collatus, admirandum non est, cum principibus & *Alexandrum M.* in Divorum, hoc est, Deorum, numerum cooptari. Iam ab his Divis separat *Ælius animas sanctiores*, quæ eorum sunt hominum, qui singulari vitæ sanctitate atque integritate eminuerant, alios ad imitationem spectatissimæ virtutis suæ excitaverant, insignemque vitæ emendatioris laudem reliquerant post obitum. Harum *animarum sanctiorum* imagines habet in Larario *Severus*, sed non eodem habet in pretio, quo simulacra divorum Principum, non colit, non consecrat pro Divis, nihilo tamen secius haud vulgari prosequitur veneratione. Quibusnam igitur vindicanda sit imago *Christi*, si scire aveas, ipse verborum *Ælii* ordo, & sermonis Latii regulæ, docent, Christum in societate *animarum sanctiorum* conspicuum fuisse. In qua quidem sententia, præter verborum ordinem, & illud me confirmat, quod ipse *Christus* ab Heroibus ac Dæmonibus gentilium *piæ* ac *sanctioris animæ* titulo fuerit insignitus. Testem cito *Porphyrium*, qui chorum produxit Heroum, quibus anima *Christi* ψυχὴ ἀνέρος εὐσεβὴν nuncupatur, quæ post corpus, cruciatu debilitatum tormentorum, venerit εὐσεβέων εἰς ἱεράνον στέδον. De ipsa autem *Christi*, velut viri, exempli sanctissimi, pietate iidem canunt:

canunt: τὸν δὲ Χριςὸν οἱ Θεοὶ εὐσεβέςατον ἀπεφήναντο, καὶ ἀθάνατοι εὐφήμως τε αὐτȣ̃ μνημονεύειν. Adeatur, si copiosius & distinctius ea de re erudiri quis velit, *Eusebius Lib. III Demonstr. Evang. cap. 9*, eique adiungatur *Augustinus Lib. XIX de Civ. Dei cap. 23.* Qua phrasi cum neque Heroes ipsi, neque *Porphyrius*, qui eos excitat, *Christum*, ut Deum, celebrent, sed ut hominem singularis exempli, cur aliter de eodem, in loco nostro, existimare velimus? Si quis tamen adversari nobis hic velit, propter ἀποθέωσιν, Servatori nostro ab Imperatore Romano *Tiberio*, post significata a *Pilato* mirabilia illa, vereque divina, opera decretam, & contra maximum Romani senatus dissensum nihilo minus collatam, exeaque receptionem *Christi* inter Divos factam confirmare annitatur, huic etiam, quod respondeatur, supererit. Illud ipsum factum, quamvis ab *Eusebio*, *Tertulliano*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, & recentioris ævi Patribus, relatum sit in literas, multis habetur dubium atque incertum. Quam in rem legantur, quæ disputant utramque in partem, suppeditata occasione, viri eruditissimi, ac, præter eos, Diatribis singularibus, *Theodor. Hasæus* & *Arnoldus Grevius*. Etiamsi vero, *Christum* a *Tiberio* Deorum in numerum relatum, argumentis probari validissimis possit, ac testimoniis, magna fide præditis, quo nonnulla Patrum referenda videntur; exinde tamen non ad *Christum* ab *Alexandro Se-*

vero,

vero, ſed a *Tiberio* duntaxat, *ἀποθεωθέντα*, argumentandum eſſe, nemo non intelligit.

XIV. Quod *Apollonio*, itemque *Abrahamo* atque *Orpheo*, adiungitur *Chriſtus*, non tam honoris divini ac ſummi, huic delati, documentum eſt, quam potius minoris, videlicet humani. Et rectiſſime exinde conficitur, cum *Apollonio*, *Abrahamo*, *Orpheo*, cultus divinus præſtitus haud fuerit, neque Chriſtum tantam in exiſtimationem veniſſe apud *Alexandrum*, opinandum eſſe. Prius autem viri magni, qui verum diſcernere a falſo norunt, recte negant. Sic tam *Caſaubonus*, quam *Salmaſius*, *Ælii* explanatores, ubi a recepta lectione, ut ſtatim docebo, diſceſſionem faciunt, *Chriſto*que divinam in Larario venerationem negant exhibitam, ad imaginis *Apollonii*, *Abrahami*, *Orphei*, quæ pari cum imagine *Chriſti* in honore fuerit, animum advertunt. Iisdem viris, tectis licet eorum nominibus, accedit *Sam. Petitus* in *Var. Lect. Lib. I pag. 67, 68*. Eandem rem approbat, quamvis non muniat ſe auctoritate aliorum, cuius non eget, ſumme Reverendus Abbas, *Io. Laur. Moshemius* in *Obſerv. ſacr. Lib. I pag. 237*. Indignum quidem conſortium eſt, in quo cum *Apollonio* atque *Orpheo* non ſolum *Abrahamum Alexander* habet, ſed ipſum etiam *Chriſtum*. Inſignemque ideo animi eius ſtuporem hic accuſat laudatus *Moshemius l. c. pag. 327*. Idem etiam factum caſtigat in *Alexandro Tob. Pfannerus Theol. gentil. pag. 150*, ex quo liceat conſimile advocare exemplum

Mar-

Digitized by Google

Marcellinæ, fœminæ, Carpocratianorum sectæ addictæ, quæ non *Iesu* solum & *Pauli*, sed cum iisdem *Homeri* etiam ac *Pythagoræ*, effigies tum adoratione, tum suffitu, coluisse fertur. Legatur *Augustinus Lib. VI de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 7. Ex hoc tamen consortio confirmatur id, quod in superioribus dixi, *Christum* non in divis Principibus, sed in *animabus sanctioribus*, numerari, neque ut Deum, verum ut magnum aliquem sanctumque hominem, coli. Eiusmodi enim cultus & illis exhibitus est, quos, insigni sanctitate eminentes, *Christi* lateri associat *Alexander*. Quod attinet ad *Apollonium Tyanæum*, eius vitam ideo non persequar, quod a multis eruditorum de ea expositum est. Et plura profecto dici de eadem possent, si antiquioris vitæ *Apollonii* enarratores, cuiusmodi non solum *Damis* fuit, sed etiam *Maximus*, quem suo tempore legit *Eusebius*, itemque *Mæragenes*, qui *Origenis* adhuc ætate superstes fuit, his temporibus in usus nostros converti possent. Excutiantur igitur, quæ *Philostratus*, magno tamen cum iudicio hic legendus, collegit in *Vita Apollonii Tyanæi*, Venet. A. 1501 divulgata, atque e sermone Hellados in Anglicum A. 1680 Londini translata per *Carolum Blountium*. Comparetur cum ea Dissertatio singularis, ab *Oleario* confecta, & præstantissimæ *Operum Philostrati* editioni adiecta. Præcipuum tamen saxum hic volvit Celeberrimus *Io. Laur. Moshemius*, tam in *Dissertatione* ad *Matur. Veiss. la Croze* exarata, & *Bibliotheca*

Brem. Tom. III P. I pag. 1 *seq.* inserta, *de Figuris telesticis Apollonii Tyanæi*, quam in *Observationibus sacris cap. VI pag. 260 seq.* ubi de existimatione viri huius copiose disputat, & *cap. VII pag. 383 seq.*, quo scripta illius recenset. Ac primo quidem *Observationum sacrarum* loco, quanquam multo eruditionis apparatu evincit, *Philostrati* auctoritatem, qua pro Deo venditare velit *Apollonium*, laborare magnopere, & Apotheosin post mortem nullis rationum firmamentis inniti, nihilo tamen minus, magnam eius tum apud gentes, tum ipsos Christianos, existimationem fuisse, præclare docet, partim ob doctrinam, partim ob integritatem vitæ, temperantiam, castitatem, virtutesque alias insigniores. Quo refert locum *Augustini* Vir Eruditissimus *pag.* 357, in quo ille, facilius se, confitetur, toleraturum, si *Apollonio*, quam si *Iovi Maximo*, compararetur *Christus*. Sino alia, quæ, huc spectantia, leguntur apud eundem *Mosbemium*, & confero me ad *Abrahamum*.

XV. Insignem viri huius, qui φίλος τȣ̃ Θεȣ̃ graviter olim dictus est, *Abrahami*, inquam, pietatem, spectatissimamque virtutem, vel gentibus etiam aliis haud fuisse ignotam, ex eorum Commentariis accipimus. Est enim *Abrahamus* Chaldæorum sapienti, *Beroso*, vero illi, cuius fragmenta veteres studiose colligunt, non commentitio isti *Annii Viterbiensis*, & μέγας & δίκαιος ἀνὴρ, ut refert in Archæologia sua *Flavius*, & ex hoc *Eusebius Lib. IX de Præp. Evang.*

cap.

cap. 16. Idem Ecclesiæ Cæsareæ Episcopus ex *Nicolai Damasceni Lib. IV Histor.* locum advocat, ad quem ab eodem provocatum erat *Flavio*, & in quo de ἀρετῇ ac δόξα *Abrahami* disserit, vitæ emendatissimæ studio clarissime respecto. Præterea præstantissimus ille scriptor, quem denuo excitare non tædet, *Eusebius*, ex *Alexandro Polyhistore* excerpit *Eupolemi* testimonium, qui, ubi de Iudæis Assyriis disserit, singulari laude *Abrahamum* dignum habet, veluti virum, ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν ὁρμήσαντα εὐαρεστῆσαι τῷ Θεῷ. Quæ quidem, ab antiquioribus gentium scriptoribus consignata, fideque *Eusebii* relata, ad hunc omnino locum pertinere, putavi.

XVI. Tandem neque illud prætereundum, *Orpheo*, qui pro Deo nunquam cultus fuit, inter *animas sanctiores* locum ab *Alexandro* dari in Larario. Namque ille vir tanta, præter doctrinæ præstantiam, morum probitate insignem se præstitit, ut vel auctor vitæ humanioris, mansuetiorisque, crederetur. Locus profecto clarissimus Venusini Poetæ, *de Arte poetica v. 391 seq.* canentis:

Sylvestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.

Quem ubi profert *Io. Alb. Fabricius*, summam illius paucis complectitur, quando *Orpheum repertorem vitæ humanioris* dicit *Bibl. Gr. Lib. I cap. XX pag. 135.* Inde nomen singulare, eidem impositum, constat ex *Sexto Empirico Lib. II*

 adver-

adversus Rhet. pag. 295 ed. Fabric. ut Ὀρφεὺς ἠθολόγος usurpetur, in quo quidem loco *Fabricius*, se θεολόγε vocem substituere velle, submonet, quod encomium ipsi fere proprium sit, nisi MSS. Codicum obstaret auctoritas, quæ constanter priorem dictionem tueatur. Evolvatur præterea ipse *Plato*, cui Ὀρφικοὶ βίοι pro *vita frugali, sobria, temperantiæ observantissima*, adhibentur *Lib. VI de Leg. Oper. Tom. II pag. 782.* Quo respicit haud dubie *Io. Lomeirus*, ubi, vitam adeo frugalem vixisse, refert, *Orpheum*, ut vel in *proverbium* eadem abierit. Locum enim illius in Diss. *de Veterum Scytharum Philosophia* introspicere non potui, sed intellexi viri sententiam ex *Actis Erud. Lips. A. 1694 pag. 135.* Tanta vitæ emendatioris laude cum floreret *Orpheus*, factum exinde est subsequentibus temporibus, ut Christiani in Cœmeteriis suis *Orphei* collocarent imaginem, sub eaque ipsum Servatorem nostrum, qui, correctis hominum moribus, ferocissima antehac ingenia ad frugem perduxit, repræsentarent. Hoc singulari, si quisquam, studio docet *Paul. Aringhius* in *Roma subterran. Lib. VI cap. 21.*

XVII. Ab his *Christi* sociis, quos ei dat *Alexander*, revertor ad ipsum *Christum*, illiusque cultum, in Larario præstitum, nondum dimitto. Novum enim argumentum, ex quo de honore præclaro, eodemque summo, eidem ab *Alexandro* habito, disputari possit, deprehendi videtur in verbis, quibus *Apollonio*, *Christo*, *Abrahamo*, *Orpheo*, *huiuscemodi Deos* adiicit

Impe-

Imperator. Quis exinde colligere nollet, *Christum* cum viris ceteris, de quibus magnifice *Alexander* sentiat, tali cohonestari cultu, qui vel ipsi Deo conveniat? Verba hæc torquent viros eruditos, quorum tamen plerique dictionem aliam pro voce Deorum substituunt, propterea, quod ad honorem divinum, quem lectio vulgaris indicat, ex loci *Ælii* contentis haud videatur argumentandum. Idque non sua, sed Codicum, auctoritate faciunt. Sic *Is. Casaubonus* ad *h. l. pag. 165.* Regium profert Codicem, ubi legitur, *& huiusmodi ceteros habebat.* Et *Claud. Salmasius* in *Not. pag. 207* evolvit membranas Palatinas, *& huius ceteros* scribentes, præter eas vero & veterem ac primam editionem, ubi expressum, *huiusce Deos.* Ex hac postea correctores, censet, protrusisse lectionem hodiernam, *& huiuscemodi Deos.* Neuter illorum virorum hanc recipit, propterea, quod neque *Apollonium*, neque *Orpheum*, pro Diis habuerit *Alexander*, ideoque eundem negat uterque *Abrahamo* & *Christo*. Subiicit igitur *Casaubonus* Regii Codicis lectioni: *Non temere respuendum.* *Salmasio* ob eandem caussam *suspecta* est vulgaris lectio, simul confesso, *hoc quidem tempore nihil aliud succurrere, quod melius, aut verius, existimet, quam* & huiuscemodi ceteros. Eandem lectionem exhibet in hoc loco ex editione *Obrechti* Celeberr. *Moshemius Observ. sacr. Lib. I pag. 327*, sed ita, ut etiam annotet, habere eam *Codices optimæ notæ.* Novam loci nostri explicationem suppeditat *Sam.*

Petitus Lib. I Lect. Var. cap. XVI pag. 67, 68, qui primum viris summis, *Casaubono* ac *Salmasio*, quorum tamen nomina tacet, *suspectam* dicit lectionem, *& huiuscemodi Deos*, subiuncta epicrisi sua, *nec immerito*. Allegat primam editionem, itemque membranas Palatinas, ad quas viri illi provocaverant. Ipse vero rescribi iubet: *Et huiusce eteros*, hac quidem mente, ut per *eteros*, vel *heteros*, intelligat Graecorum ἑταίρους, *amicos*, *socios*, & significari credat Argonautas, heroes, socios *Orphei*, quibus ille in expeditione Argonautica fuit usus. Habemus quatuor viros eruditos, qui, Codicum praestantissimorum auctoritate fulti, hodiernae lectionem veterem anteponunt. Si copiosius hac de re disputare vellem, producerem *Sam. Pitiscum Vol. II Lex. Antiq. Rom. voc. Lararium*, aliosque viros doctos, qui, ubi locum nostrum exprimunt, eandem lectionem vulgari anteferre se, haud obscure produnt. Provocarem ad *Iac. Gutherium*, qui locum nostrum exhibet, sed verbis illis, *& huiuscemodi Deos*, in eo expunctis, *de Offic. Domus Augustae Lib. III cap. 29 pag. 806*. Non video autem, quid impedire possit, quo minus accedam magnis illis nominibus, inprimis cum ab iis, praeter fidem probatissimorum Codicum, caussa, non contemnenda, ab aequa, cum *Christi, Apollonii, Abrahami, Orphei*, existimatione petita, adiecta fuerit, de qua praecedente loco iam satis expositum est.

XVIII. Postremo neque, in verbis *Aelii*, *rem divinam faciebat*, & quidem *matutinis horis*,

ris, fulcrum aliquod latere ad firmandum honorem ſummum, *Chriſto* ab *Alexandro* delatum, perſuadere mihi poſſum. Non inficiari quidem auſim, prioribus verbis divini cultus, prout ille a gentibus olim fuit præſtitus, ſignificationem ineſſe. Nec quidquam video, quod obſtet iis, quæ *Caſaubonus* annotat, aut *ſacrificia* intelligi, quod proprie dicatur *rem divinam facere*, aut *adorationem* ſolam, & *incenſum*, qui mos multorum fuerit. Verum, quanquam rationibus non ſpernendis inducor, ut largiar, *rem divinam facere* cultum inferre divinum, &, cuicunque res divina fiat, ei divinos ac ſummos exhiberi honores, ſiue per oblata ſacrificia, ſive per incenſa odoramenta, ideo tamen, *Chriſto* deferri tanti honoris cultusve ſpeciem, dici non poterit. *Alexander* enim rem divinam facit quidem in Larario, non vero ideo eam facit imagines in Larario collocatis, quarum in numero *Chriſtum* habet, ſed iis facit ſimulacris, a quibus Lararium nomen habet, hoc eſt, Laribus, veris Diis, Divis Principibus ac maioribus, quos conſecraverat, & a quibus aliæ imaginibus dignitate diſtinguebantur. Ergo vim quidem phraſeos concedimus, ſed accommodationem ad *Chriſti* & ceterorum imagines, adverſante vel ipſa verborum ſerie, repudiamus.

XIX. Hæc ſumma eorum, quæ refert de *Alexandro* in loco noſtro *Ælius*, quæque ita mihi expoſuiſſe videor, ut, exinde ad ſummum honoris gradum, *Chriſto* collatum, difficulter

argumentari aliquem posse, existimem. Unum tamen adhuc superest, quod expediendum videtur. Dignum enim quid memoria de *Severo* literis prodidit *Ælius*, ubi, cum meditatum esse templum, Christo exstruendum, his quidem verbis vindicat: *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Vita Severi pag. 129.* Videtur omnino *Casaubonus* ex hoc loco coniicere, *Severum* de *Christo*, tanquam Deo, opinatum. *De Christo, inquit, quid crediderint, non potest dubitari, cum infra scribat Lampridius, voluisse illi Alexandrum templum facere, & inter Deos eum recipere.* Not. & Emend. in *Severum Ælii pag. 165.* Sed, alia ex his verbis colligere, video, doctos & elegantis ingenii viros, & ea quidem, quæ meæ sententiæ, hactenus propositæ, haud adversentur. Prætereunda enim non est animadversio Summe Rever. *Moshemii, Obs. sacr. Lib. I pag. 327* strictim proposita, quam tamen cum primum legerem, quo ea redeat, difficulter me perspexisse, haud diffiteor. Nam, cum neget Vir summus, *Christo* in Larario *Severi* divinos honores collatos, eamque ad sententiam corroborandam, ad meditationem templi, *Christo* ædificandi, provocet, videbatur locus *Ælii* omnino adversus. Aliquoties tamen legendo verba *Ælii*, singulaque considerando & expendendo aliter opinari cœpi, & vidi, Virum Celeberr. ad vocem *Ælii voluit* animum advertere. Cognoscitur enim exinde, *Severum* voluisse *Christo* templum facere. Si

voluit

Digitized by Google

voluit igitur duntaxat, sed non perfecit, nihil in honorem *Christi* laude dignum fecisse censendus est. Nam ea de re neque a *Lampridio*, neque ab alio vitæ *Severi* scriptore, literis mandatum quid est, ne de primis quidem templi fundamentis iactis, de apparatu rerum necessariarum, de loco, tanto ædificio delecto, & quæ alia sunt, de quibus cum altum ubique silentium sit, parum ex hoc loco pro cultu *Christi* disputandum videtur. Verus enim Dei cultus non in volendo, cogitando, & meditando, subsistit, sed postulat, ut voluntas, loquor cum Philosophis, perducatur in actum, ut conata perficiantur, &, quæ meditamur, & molimur, labore improbo expediamus. Quodsi igitur *Alexander Christo* struxisset templum, edidisset documentum venerationis, qua eum prosequatur, publicum, quod perduraret etiam ad posteros. Sed, ubi tantum vult, nec perficit, testimonio hoc est, quantum dubitet, quantum fluctuet, quantum iactetur variis de *Christo* opinionibus, quarum alias vero congruas, alias a veritate remotas, putet. Poterat igitur de *Christo* bene sentire, verum ad tempus duntaxat, multaque cum dubitatione, ea tamen re cum aliis temporariis ac fluctuantibus *Christi* cultoribus exigua laude dignum se præstat.

XX. Id tandem a me officii mei partes expetere video, ut in fontes verasque causas, unde tanta *Christi* apud *Alexandrum* existimatio profluxerit, inquiram. Advoco igitur huc

 prin-

principio *favorem Alexandri*, *quo Christi nomen professos est prosecutus*, nec transeundum duco, quod de *Severo* refert *Ælius* in vita ipsius *pag.* 130, si vel Rectores provinciis dandi, vel præpositi constituendi, & procuratores ordinandi, propositis eorum nominibus, populum excitasse Imperatorem, ut, si cuius criminis convinci possint, illud probet populus manifestis indiciis. Subiicit Scriptor: *Dicebatque, grave esse, cum id Christiani & Iudæi facerent, in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Qui locus eo pertinet, quando quæritur de studio gentilium, imitandi Christianos, de quo non solum Summe Ven. *Moshemius* peculiari Disputatione disserit, sed sui etiam pro instituti natura Max. Rever. *Gottlob Frid. Gudius*, Capite singulari, in quo, præeunte *Moshemio*, imitationem hanc partim quoad *formulas loquendi*, Christianis receptas, considerat, partim quoad *doctrinas* Christianorum, tandem etiam quoad *disciplinam* Christianam, ad quam, præter exemplum *Iuliani*, *Severi* nostri mores laudabiles refert *Pagan. Christian. Laud. & Faut. pag.* 77. Eundem *Severi* favorem, quo res Christianorum promovit, in loco alio, *pag.* 131, *Ælius* tuetur. Sicubi enim de occupando loco quodam publico, inter Christianos ac popinarios contentio fuerit suborta, utrisque sibi vindicare locum illum annitentibus, rescripsisse, tradit, Imperatorem: *Melius esse, ut quomodocunque illic*

Deus

Digitized by Google

Deus colatur, quam popinariis dedatur. Quod eo maiori admiratione dignum, quo facilius divinare Imperator poterat, locum illum nulli rei, præterquam cultui Numinis illius, quod die nocteque venerari Christiani consueuerint, consecratum iri. Eundem adhuc testem cito, quem sæpius advoco, *Ælium*, eumque volo locum, in quo hæc de *Severo* nostro, laude non indigna, commemorat: *Iudæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est*, pag. 121. Recte dico, hæc verba ad *Severum* pertinere *nostrum*, eoque alienius mihi quidem videtur ab instituto maxime Rev. *Gudii*, quando Vir eruditissimus in libro antea producto *pag.* 43 per hoc testimonium *Lampridii* corroborari existimat verba *Tertulliani ad Scapul. cap. IV. Severus, pater Caracallæ, Christianorum memor fuit.* Loquitur *Tertullianus* de *Severo* quodam, non vero de nostro, sed de eo, quem in superioribus a nostro distinxi, de primo Augusto Seculi III, decurrente iam Seculo II imperium adepto, ab eoque ætate remoto, videlicet de *Septimio Severo.* Hoc intelligi poterat ex adiectis verbis *Tertulliani: pater Caracallæ.* At, diu post illum *Septimium*, eiusque filium, *Caracallam*, imperavit noster, qui *Elagabalo* demum successit. De hoc *Ælium* loqui in loco nostro, non tantum institutum *Ælii* arguit, quo vitam illius describit, sed verba proxime antecedentia idem confirmant, quibus, oleum, ab *Elagabalo* imminutum, in integrum restituisse *Alexandrum*, perhibet, quod dici non poterat de Se-

ptimio,

Digitized by Google

ptimio, qui ante *Elagabalum* vixit, sed de *Alexandro*, qui *Elagabalo* successit. De quo igitur hæc dixerat, de eodem etiam accipienda sunt verba nostra. Itaque, qua ratione *Tertulliani* verba corroborare possit *Ælius*, perspicere, mihi difficillimum esse, fateor. Ceterum omnino ex his tribus locis clarissimis favor *Alexandri*, quo Christianos excepit, cognosci potest. Ex eoque omnino fiebat, ut Christum, velut Deum, quem hæc gens, Imperatori non invisa, sancte & assidue colebat, haberet in pretio, a maledictis aliorum & conviciis abstineret, eiusque imagine & vultu, forsan mansuetiori, quam imago præferebat, delectaretur.

XXI. Confero me ad fontem alium, quem deprehendere mihi videor in *hominibus aulicis, Christi nomen professis*, quorum plures in Palatio aluit *Alexander* Imperator. Horum mores, quos ad omnem humanitatem composuisse in aula videntur, quotidie videbat, horum etiam de fide, qua longe discedebant ab ethnicorum moribus, quamque non ubique dissimulasse coram Imperatore, Christianis haud minaci, existimandi sunt, satis ei constabat, horum Deum, quem insigni venerabantur mentis constantia, noverat, ab his tandem didicerat vocem illam, quam non tantum sæpius *clamasse & tenuisse*, sed & *per præconem, cum aliquem emendaret, dici iussisse*, atque *in Palatio & publicis operibus* præscribendam curasse, significat *Ælius*: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne fece-*

Digitized by Google

feceris. Vit. Sev. pag. 132. Sed hanc vocem, quod scienter submonet idem Auctor, *a quibusdam sive Iudæis, sive Christianis, audierat.* Recte omnino; eam enim non solum *Iudæis* familiarem fuisse, ex *Cod. Bab-Schabbath* & *Avoth R. Nathan* declarat *Io. Lightfootus Hor. Hebr. & Talm. Oper. Tom. II pag.* 305, & *Christ. Schœttgenius Hor. Hebr. & Talm. pag.* 80, sed *Christianis* inprimis, ex doctrina magistri sui, qua legis & Prophetarum summam tradiderat, illam cognitam, locus probat *Matth. VII,* 12. Ex hoc *aulicorum hominum consortio fieri* potuisse, ut vitam suam ad eorum mores accommodaret *Alexander, Tob. Eckhardus* existimat *Testim. non Christian. de Christo pag.* 107, cui quo minus subscribam, nihil impedire video. Atque hi efficere omnino poterant, ut aliter de Christianis existimaret, quam delatores, ad quævis conviciorum genera excogitanda parati, ut eos, eorundemque cultum, toleraret, ut de Deo ipsorum, *Christo* inquam, melius iudicaret, eundemque, si non tanto, quantum ei Christiani tribuebant, eximio tamen, dignum honore, opinaretur. Quanquam igitur eo permovere Principem suum non poterant aulici, ut *Christum* pro Deo agnosceret, ut mores suos in omnibus Christianorum moribus conformaret, ut cultum cum iis æque sanctum ac religiosum institueret; efficiebant tamen forsitan, ut eum honorem, quem viris perspectæ sanctitatis, vitæque probitatis, deferebat, nec Deo Christianorum denegaret.

XXII.

XXII. Verum, non propter alios solum, quo ea, quæ iam dixi, pertinent, tantam de *Christo* opinionem concepisse *Severum*, sed per suam etiam ipsius de *Christo* notitiam ad hoc perductum fuisse, ex insigni quodam loco iam distinctius ostendam. Subnascitur quæstio, utrum inter fontes illos, ex quibus tam insignis *Alexandri* de *Christo* existimatio dimanarit, referri etiam possit institutio salutaris, a matre accepta. Quem quidem fontem eorum, qui hic indicari possunt, omnium præcipuum esse, arbitror. Illustris est, & præclari exempli, fœmina, mater *Alexandri* nostri, cui *Iulia Mammaea* nomen est, & subinde in monumentis, Græcis pariter atque Latinis, in ipsis etiam numismatis, comparet. At *matrem* quidem *Alexandri* eam vocat *S. Aurel. Victor*, tam in libri *de Cæsar. cap. 24*, quam in *Epit. cap. 24*, ipse *Ælius* noster in *Vita Alexandri*, *Eusebius* etiam, cui est Ἀυτοκράτορος, *Severi* puta, Μήτηρ, *H. E. Lib. VI cap. 21*, ceteri omnes, quotiescunque fere de ea disserunt. Non mirum igitur, iunctas *Mammaea* atque *Alexandri* statuas urnasque sepulcrales, Romæ olim conspectas a *Bern. Montefalcone*, ut commemorat ipse, *Diar. Ital. pag. 114.* Inde nomen Augusti nostri apud plerosque Scriptores, quo *Alexander Mammaea* usurpatur, quemadmodum iidem versa vice matrem ipsam *Mammaeam Alexandri* dictitant. Sic annotat præter alios *Casaubonus* ad *Alex. Lamprid. pag. 159*, quod Græcis *Alexander* ille dicatur ὁ Μαμμαίας, vel Μαμαίας. Castigat etiam

Digitized by Google

etiam *Euthymium*, qui in *Panoplia* minus accurate *Mammaeum* dicit *Alexandrum*, deceptus depravatis *Theodoreti* Codicibus Graecis, in quibus perperam, ut & in hodiernis, scriptum, τῆ Μαμμαίῃ, pro τῆς Μαμμαίας. Tandem & illud attingit, quod utroque modo, & per literam geminam, & per solitariam, hinc *Mammaea*, hinc *Mamaea*, scribatur; quod utique verissimum est, quanquam scriptio prior Graecis Latinisque scriptotibus magis familiaris sit, posterior tamen Numis arrideat. Ceterum addo adhuc locum *Suidae* clarissimum, *Tom. II Lex. pag. 481 ed. Kust.* Μαμαίας, Αλέξανδρος βασιλεὺς Ῥωμαίων. Recte *Æmil. Portus* in versione, quam subinde emendat *Kusterus*: *Mammaea* (filius fuit) *Alexander*, *Imperator Romanorum*. His praemissis, accedo ad rem, cuius cardo cum in indaganda institutione filii, a matre profecta, vertatur, de ea strictim iam breviterque agam.

XXIII. Id si doceri feliciter atque accurate debet, hoc prius investigandum est, utrum *Mammaea Alexandri* salutari fidei fuerit addicta, *Christique* nomen professa. Et hoc quidem plerisque plane persuasum est, inprimis propter colloquium, cum *Origene*, Ægyptio, primae patre Ecclesiae, qui praeter *Beryllum*, *Heraclam*, *Ammonium Alexandrinum*, aetate *Mammaeae* floruit, institutum. Sic ea de re, veluti certissima, nullisque dubiis exposita, loquitur recentissime *Gottl. Fr. Gudius*, qui, ubi de fide *Philippi Arabis* Christiana dubitaverat, *eo certius*

Digitized by Google

tius esse, ait, *Mammæam, Alexandri Severi matrem, iis annumerandam, qui Christo nomen dederint*, muniens se loco *Eusebii* de colloquio *Origenis*, de quo deinceps dicam. *Pagan. Christian. Laud. pag. 61.* Sed ante hunc iam dudum modo consimili verba facit *If. Casaubonus* ad *Ælii Alex. pag. 165.* Ecce verba: *Christi notitiam habuit* (Alexander) *per matrem, quam Christianæ religionis mysteriis initiatam, & ab Origene constat informatam.* Et, qui primo nominandus erat loco, Summe Ven. *Moshemius*, ubi, multis viris eruditis haud difficile videri, dixisset, illis accedere veterum, qui, *Mammæam Christiana suscepisse sacra*, referant, subiicit verba clarissima: *Equidem veri valde simile arbitror, Iuliam, quæ Origeni valde favit, religionem Christianam probasse. Institut. Histor. Christ. Antiq. P. I pag. 203.* Sed, quod his certum indubitatumque est, de hoc cum titubatione pronuntiandum videtur *Tob. Eckhardo*, viro variæ doctrinæ, & industriæ haud vulgaris, qui, *Incertum esse*, ait, *quo eventu, & num sacra Christianorum publice sit amplexa*, Testimon. Non-Christian. *pag. 107.* Videamus paucis, & quantum instituti patitur ratio, quomodo hac de re, quæ alicuius momenti, atque hic curatius expendenda est, sit existimandum. Ac primum quidem inficiandum non est, *Mammæam Alexandri*, ut laudatissimi exempli fœminam, repræsentari ab omnibus fere superioris ætatis scriptoribus. *Religiosam fœminam* vocat *Hieronymus Catal. Script. Eccles. cap. LIV*

pag.

Digitized by Google

pag. 63 ed. Cypr. Virtutem illius honestamque vitam, ἀρετὴν καὶ βίον σεμνὸν, effert *Io. Zonaras Tom. II Annal. pag. 225. ed. Bas. Eusebius* magnæ fidei testis est, quem nemo temere reiicit veteris historiæ intelligentium. Huic vero *Mammaea* est γυνὴ θεοσεβεστάτη εἰ καί τις ἄλλη γεγονυῖα καὶ εὐλαβὴς τὸν τρόπον, *Lib. VI H. E. cap. 21.* Et *Paul. Orosius*, digna notatu voce, *Christianam* nuncupat *Lib. VII Histor. cap. 18.* Ad hæc laudis præconia adiicimus iam ipsam institutionem *Origenis*, e qua prima Christianismi *Mammaea* stamina scriptores plerique repetunt. Hunc enim prioris Ecclesiæ antistitem, posteaquam de fama nominis eius, de laude insignis doctrinæ, eloquentiæ, & facundiæ singularis, feliciſſimique succeſſus in tradenda fide sanctiori, ad aures *Mammaea* narratio pervenerat, accitum fuiſſe, constat, Antiochiam, quo in loco mater cum filio commorabatur, ibidemque ab ea auditum, de rebus divinis graviter copioseque disserentem. Quo quidem tempore *Mammaeam* comitatam esse filium, in Orientem, ad bellum, Persis inferendum, profectum, ex *Herodiani Lib. VI* discimus. Huius ergo viri præstantiſſimi doctrina & facundia cor *Mammaea* emollitum, ferunt, & gliscentes in pectore igniculos in flammam, *Christo* devotam, sufflaminatos, ipsamque, ut sanctiori *Christi* coetui se addiceret, huiusque nomen profiteretur, adductam. De quo colloquio referunt complures veterum. Ex his *Paulus Orosius*, *Origenem Presbyterum*, inquit,

Digitized by Google

audire curavit, *Histor. Lib. VIII cap.* 18. *Hieronymi* industria hoc solum proditum est, quod ad *Mammaeam rogatus venerit Antiochiam Origenes*, *& summo honore habitus fuerit*, inde tamen apparere, existimat, *quantae gloriae fuerit Pater. Catal. Script. Eccles. cap. LIV pag.* 63 *ed. Cypr.* Exstant etiam ea de re *Suidae* verba, difficultate carentia, *voc.* Ὠριγένης, *Tom. II Lex. pag.* 762: Κατὰ τῦτον δὴ τὸν χρόνον καὶ ἡ Ἀλεξάνδρυ, τῶν Ῥωμαίων βασιλέως, μήτηρ, Μαμμαία εἰς λόγυς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνῆλθεν Ὠριγένει, καὶ παρ' αὐτῦ κατηχήθη τὸν λόγον. *Zonaras* autem *Mammaeam* commemorat, Antiochiae cum filio degentem, *Origene* arcessito, ab eo in doctrina fidei eruditam, Deum sanctissime coluisse, indeque factum, ut Christianorum eo tempore vexatio conquiesceret, & cultoribus Christi maximus honos exhiberetur, *Tom. II Annal. pag.* 225. Tandem praeclarum *Eusebii* testimonium, cuius praecipue fide narratio haec munienda est, huc pertinet. Hic enim non solum, per longum temporis intervallum, commoratum apud *Mammaeam Origenem*, testis est, sed eo etiam tempore, documentis innumerabilibus, tum divinam gloriam, tum praedicationis divinae virtutem & efficaciam, declarasse eum, commemorat, quo quidem in labore cum foemina illa ethnica tanto tempore occupari eum absque fructu potuisse, nulla veri specie se commendat. Ita enim ille: ἐπ' Ἀντιοχείας δῆτα διατρίβουσα, μετὰ στρατιωτικῆς δορυφορίας, αὐτὸν ἀνακαλεῖται. Παρ' ἣ χρόνον διατρίψας,

πλεῖστά

πλεῖστά τε ὅσα εἰς τὴν τοῦ κυρίου δόξαν καὶ τῆς τοῦ θείου διδασκαλείου ἀρετῆς ἐπιδειξάμενος, ἐπὶ τὰς συνήθεις, ἔσπευδε διατριβάς. H. E. Lib. VI cap. 21. Ex his ſcriptorum teſtimoniis, quorum tamen aliud alio clarius eſſe, intelligimus, eo adducor, ut, de matris *Alexandri* ad doctrinam *Chriſti* converſione non ſatis feliciter dubitari poſſe, credam. Et, licet *Eckhardi* verba, ſupra adducta, obſtare videantur, ſcriptor tamen ille recentior eſt, nec, ubi breviter diſſerit, rationibus, vel auctoritate virorum aliorum, ſe tuetur, loquitur etiam de profeſſione fidei publica, qua negata, non confeſtim negatur tacita in corde *Mammaeae*. Et hanc non inficiantur alii, qui publicam quidem ſcriptorum fidei relinquunt, plus tamen, quam alii forte putant, factum, docent, in corde *Mammaeae*, foeminae, ſenio confectae, in viduitate viventis, & ab aulae atque aulicorum ſtrepitu remotioris. Vid. *Gothofr. Arnoldi Haereſiol. P. I Lib. III cap. 1 pag. 90.* In his, quae, ne ſtatim diſputanda fulcris carere crederentur, differenda erant, ſubſiſto, ac teſtimoniorum firmitate commotus, *Mammaeae Alexandri* initiationem, ſacris Chriſtianorum factam, ſi non publicam, tacitam tamen ac privatam, admitto, eamque non parum firmamenti diſputationi meae afferre, credo.

XXIV. Neque tamen deſunt & aliae rationes, quae fonti huic, eo facilius conſtituendo, multum inſerviunt. Ac primo quidem, ut ex ſuperioribus diſpaleſcit, inſtitutionem *Mammaeae* ab *Origene* non ſolum, vivo *Alexandro*,

sed in eodem etiam loco, in quo mater cum filio commorabatur, videlicet Antiochiæ, factam, accepimus. Id si verum est, de quo dubitari nequit, poterat omnino & ipse *Alexander* eandem, cum *Mammaea*, *Origenis* doctrinam percipere, quamvis non eundem in corde sentiret fructum. Deinde & hoc patrocinatur iis, quæ hactenus disputata sunt, quod severa mater *Mammæa* exstiterit filio. Huius severitatis documentum suppeditat *S. Aurel. Victor Epit. cap. XXIV*, *eo filium a matre coactum*, referens, *ut illa ipsa, quamvis permodica, si mensæ prandioque superessent, alteri convivio reponerentur*. Præterea revocetur inprimis in memoriam pietas filii, qua matrem est prosecutus, singularis exempli. Hunc enim *Victor* dicit *matris cultu plus, quam pium, de Cæsar. cap. 24*. Citetur alius testis, *Ælius* noster, in *Vita Sev. pag. 122*, cui *Severus* est *erga matrem Mammæam unice pius*. Publicum pietatis huius testimonium spectatum olim in *Diætis nominis Mammaæ*, Romæ in Palatio, cura ac sumtu filii, confectis, quas *ad Mammam* dici, sed a *vulgo imperito*, idem *pag. 122* testatur. Aliud, non minus insigne, Palatium exhibet, cum stagno, *Mammææ* nomine ætate *Ælii*, ut refert ipse *pag. 122*, in Bajano adhuc superstite. Tandem considerentur, cum pueris Mammæanis, puellæ illæ, alimentariæ, in honorem matris ad eum modum institutæ ab *Alexandro*, quo, in honorem *Faustinæ*, ab *Antonino*, puellæ *Faustinianæ*, ut eiusdem *Ælii* fide *pag. 134* relatum legi-

Digitized by Google

legitur. Et intelligetur, quam vere de *Alexandro* *Victor* atque *Ælius* scripserint. Novum locum, ex quo disputari possit, deprehendo in iuniori ætate, qua imperio admotus fuit *Alexander*, & qua factum est, ut mater dirigendis filii moribus, & componendis ad modestiam, temperantiam, & prudentiam imperatoriam, præficeretur, molemque imperii in se susciperet, quæ filii humeris inniti debebat. Audiatur *Ælius*, de *Alexandro*, in eius Vita, *pag.* 118: *Cum puer ad imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut illa videretur pariter imperare.* Quod ex ipsis etiam Numis haud obscure cognoscitur, in honorem *Mammaa* cusis. In his enim cernitur *Iulia* illa *Mammaa*, (ita enim in Numis, non *Mamaea*, scribitur,) non solum cum Calatho *Isidis*, ut *Vaillantio* videtur, sive, ut *Begero*, cum corona turrita, sed repræsentatur etiam sub symbolo Fortunæ, itemque cum Palma, cum simulacro *Cereris*, postremo cum epigraphe: *Fæcunditas Augusta. Felicitas publica.* Horum numorum aliquot exhibet *Laur. Begerus Thes. Brandenb. Vol. II pag.* 715, eosque testari, significat, de abundantia rerum & victoria, ex felici *Mammaa* imperio oriunda. Matri igitur potius, quam filio, cum beneficium annonæ, tum universum imperii florem ac felicitatem, acceptam referri in Numis, liquido apparet. Atque hæc ea sunt, quæ a disputatione nostra haud aliena esse, opinabar.

XXV. Iam comprehendantur paucis, quæ exposita hactenus sunt de fonte ultimo, ut,

Digitized by Google

quid exinde colligi possit, intelligatur. Videlicet, si, ut videtur omnino, doctrina *Origenis* ad veram & salutarem de *Christo* opinionem *Mammaea Alexandri* perducta est, facile mutam in existimationem de *Christo* per matrem adduci potuit *Alexander*. Quia enim cum matre Antiochiæ præsens fuit, eandem haud dubie *Origenis* institutionem audivit filius, quam mater ab eo accepit, quanquam ab hac sola, non ab illo, asportatus fuerit doctor egregius. Quia severa mater *Mammaea* fuit filio, potuit eum non solum instigare, & cohortari, ad opinionem de Deo Christianorum meliorem, sed fere compellere, si non minis & verberibus, qui mos fidem propagandi iniquissimus est, repetitis tamen severioribus monitis, maternis præceptis, sermonibus aliis & colloquiis, opportuno tempore institutis. Quia pietate erga matrem singulari enituit filius, facilius obtemperare potuit *Mammaeæ* monitis, & acquiescere in iis, quæ mater de *Christo* narraverat, de eoque ratione quadam, a vulgari ethnicorum multum aliena, sentire, ut, quanquam, *Christum* pro vero habere Deo, gentilismi præcepta difficulter admitterent, nihilo tamen secius opinio de insigni quodam, sanctiorisque vitæ, homine, in animo proveniret, ac sensim paulatimque confirmaretur. Qua de sententia uti hactenus prolata argumenta parum, vel nihil, dubitationis relinquunt; ita &, in ea me non falli, ex sæpius laudati Cel. *Moshemii* verbis intelligo,

telligo, quibus de religione *Philipporum* illius ætatis ſic diſſerit: *Ad Philippos quod attinet, eos nec totos Chriſto, nec totos Diis, fuiſſe deditos, ſuſpicor, verùm, Alexandri Severi more, ita Numina coluiſſe commentitia, ut Chriſtum ſimul venerarentur. Inſtit. Hiſt. Chriſt. Antiq. P. I. cap. 1. pag. 203.*

XXVI. Ex his omnibus, quæ ad diiudicandam, accurateque explanandam, *Ælii* narrationem pertinere viſa mihi ſunt, liquido conſtare, confido, *Alexandrum Severum* præclarum exiſtimationis ſuæ, qua *Chriſtum* proſequatur, exhibere documentum, quod eum *animarum*, quas Larario ſuo comprehendit, *ſanctiorum* ſocietati adiungat, eandem tamen exiſtimationem tantam non eſſe, quanta quidem, haud ſatis examinatis *Ælii* verbis, minusque perſpecta ſcriptoris mente, haberi forſitan a nonnullis poſſit. Quemadmodum a moribus eorum, quibus, cum ſemel *Phryne* quædam placuit, præ hac vel ipſa *Iuno* deſpicitur, optimum quemque alienum eſſe, decet, ita etiam, ſi loci huius explanatio, copioſe ſatis ſuppeditata, rationum adverſarum virtute labefactari, &, velut infirma, convelli, poſſit a doctrinæ elegantioris intelligentibus arbitris, quanta par eſt, modeſtia, & obſervantiæ ſignificatione, mutata ſententia, obtemperaturum me, polliceor, quibus ideo, plura diſſerendi ſpatio excluſus, iam lampada trado.

Digitized by Google

V.

I. C. HARENBERGII

HISTORIA ATESTINO-WELFICA, DUCUM BRVNSUICO-LUNEBURGENSIVM ORIGINEM ILLVSTRANS.

SECTIO I.

DE VERA STIRPE MASCVLA EX ATESTINIS DERIVANDA.

I. Este, *Ateste*, *Heste*, oppidum est Marchiæ Tarvisinæ, Venetorum ditioni obnoxium inde ex Seculi XV medio; olim patrimonium Principum, qui Seculo XI cognomen inde trahere cœperunt. De huius municipii Patavini antiquitate nonnihil commemorarunt *Christophorus Cellarius* in *Descriptione orbis antiqui T. I pag. 699*, Chorographus Ravennas *Lib. IV cap. 31*, *Lib. V cap. 14*, ac inprimis *Carolus Silvestri*, generosa *Rodiginorum* familia natus, in libro, cui index præfixus: *Istorica e geografica descrizione delle antiche Paludi Adriane, ora chiamate Lagune de Venezia*, & qui A. 1736 in forma, quam quartam appellant, Venetiis fuit in lucem editus.

II. Crediderant maiores nostri, Marchiones, quibus ab Ateste hæsit cognomen, ab Actiis, seu Acciis, esse derivandos. Errorem hunc errarunt ac propagarunt *Henricus Meibomius* in *Genealogia domus Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium continua patrum serie supra 1200 annos e nobilissimo Acciorum sanguine repetita*, quæ prodi-

Digitized by Google

prodiit Helmstadii A. 1585, 4. Origo fabulæ apud Italos nata, & ex *Hieronymo Falleta* ad Germanos translata. Repetierunt id commentum *Wolfgangus Lazius*, *Ioannes Leznerus*, *Hieronymus Henningerus*, *Reinerus Reineccius*, *Philippus Iulius Rehtmeierus* in *Chronico Brunsuico-Luneburgico*, & ii, qui vestigia virorum tantorum premere consultum duxerunt. Erat ea quondam Germanis indoles & consuetudo, ut amplissimorum Principum suorum cunabula vel in equo Trojano, vel intra Romæ veteris pomœria, investigarent, fictionibus velificati. Ætas nostra testimoniis Historiographorum fide dignorum niti cœpit, & ea sedulo adhuc conquirit. Quo studio, nunquam satis laudando, fictiones historiæ sensim corruunt & exterminantur.

III. Rectius itaque *Ioannes Baptista Pigna* in libris *de Principibus Atestinis*, *Volaterranus*, *Blondus*, *Sabellicus*, *Leander*, & inprimis *Franciscus Sansovinus* in *Familiis illustribus Italiæ* (delle Famiglie illustri d' Italia) masculum Ducum Brunsuico-Luneburgicorum stemma e Marchionibus Atestinis, æque ac Duces Mutinenses, deduxere. Distinctius hoc ostendit *G. G. Leibnitius* in Epistola, Gallice scripta, & A. 1695 Hannoveræ edita, *de Nexu familiarum Brunsuicensis & Estensis*. *Welfus IV*, qui hæredia Altdorfii & Ravensburgi ad lacum Potamicum tenuit satis ampla per matrem a) *Cunigundam*, fuit filius *Azonis*, Italorum Marchionis, ac Ducatum Bavariæ, *Ottoni* Northemensi ademtum, in do-

 mum

a) Monachus Weingartensis *cap.* 5, 8.

mum suam *b*) A. 1071 intulit. Mater ipsius exstitit hæres terrarum, a Welfis in Suevia ad lacum Constantiensem, & in Bavaria superiori ad Ambronem, possessarum. Pater autem *Azo* in Italia Marchionis dignitatem summa cum laude tenuit, variis castellis terrisque præsidens, inprimis Comitatui Mediolanensi ac Genuensi. Non est huius loci, recensendis *Welfonis* patribus immorari. Commemoravit illos ex chartis & historicis antiquis libellis *Ludovicus Antonius Muratorius* in Epistola ad *Leibnitium*, quam hic *Scriptorum rerum Brunsuic. T. III* præfixit, ac in libro: *delle Antichità Estensi & Italiane, Parte prima, in Modena, 1717, fol.* Ordinem chronologicum observavi, atque *Muratorium* plerumque secutus fui, cum dux viæ melior haud suppetit, in *Historia Eccl. Gandersh. pag. 1222 seq.* Diplomata Estensia, a *Muratorio* producta, exstant maximam partem in *Christiani Lunigii Codice Italiæ diplomatico T. I cap. 5 pag. 1517 seq.* Diplomata paucula denuo produxit Cel. *Ioannes Lamius*, Professor Florentiæ, in *Deliciis eruditorum*, quarum iam *Partes* complures luci publicæ expositas vidimus. Marchiones Thusciæ, inter quos inveniuntur Domini Estenses, recensentur a P. *Francisco Orlendio* in *Orbe sacro*

b) *Lambertus Schafnaburgensis ad A. 1071 pag. 181, Marianus Scotus ad e. a. Helmoldus* in *Chron. Slav. I, 27*, Chronicon Monasterii Mellicensis ad A. 1071 *pag. 226 T. I Pezii*, Chronicon Salisburgense, Claustro-Neoburgense, & Austriacum, ad e. a. apud eundem in *Scriptoribus Austriacis*, Annalista Saxo *ad A. 1071 pag. 504* & *pag. 600*.

Digitized by Google

cro & profano P. II Lib. III cap. 33, ac ab eodem *Ioanne Lamio P. II pag. 60 seq.* & *pag. 295 seq.*

IV. At non Duces Mutinenses tantum ex stirpe communi cum Ducibus, Brunsuico-Luneburgicorum Ducum progenitoribus, fuerunt procreati, sed Marchiones quoque supersunt stirpis eiusdem in Italia, *de Malaspina* appellati. Diplomata nonnulla, ad hosce spectantia, produxit *Christianus Lunigius* in *Codice Italiæ diplomatico T. II cap. 20 pag. 247 seq.* Originem horum Marchionum repræsentavi in *Historia Gandersh. pag. 1223.* Plenam vero generis *Malaspinensis* delineationem genealogicam, ad nostrum usque tempus productam, adhuc desideramus. Exstant, opinor, aliæ etiam per Italiam familiæ illustriores, ad eandem stirpem reducendæ, quarum in præsens memoriam dimittemus intactam.

V. Tabulam genealogicam breviorem dedit Cel. *Kælerus*, quæ sic habet:

Bonifacius I, Comes Lucensis & Dux Thusciæ, A. 811.

Bonifacius II, Comes & præfectus Corsicæ A. 819. Ux. *Berta.*	*Beraldus*, seu *Berengarius*, A. 819.	*Richilda*, Abb. A. 823.

Adalbertus I, Marchio & Dux Thusciæ, A. 847-884. Ux. 1) *Anonsuara*, 2) *Rotildis*, filia *Guidonis*, R. Italiæ.

Adalbertus II, Dives, Marchio & Dux Thusciæ, † 917, 16 Sept. Ux. *Berta*, filia Regis *Lotharii*, vidua *Theobaldi*, Comitis Arelatensis, † 925, 8 Mart. — *Bonifacius*, Comes, A. 884.

Guido I,

Guido I, Marchio & Dux Thusciæ, † 929. Ux. 1) N. N. 917, 2) *Marozia.*

Lambertus, Marchio & Dux Thusciæ, 931.

Adalbertus III, Marchio Italiæ, 940, per probabilem coniecturam.

Obertus I, seu *Obizo*, Marchio Italiæ, Comes sacri Palatii, 951, 972.

Obertus II, M. Ital. 994, † ante 1026.	*Adelbertus IV.*	*Albertus I*, M. unde *Malaspinenses.*	*Anselmus.*	*Theodisius*, Comes.

Albertus Azo I, M. Italiæ & Comes, 1014, 1029. Ux. *Adela*, filia *Odelrici.*

Albertus Azo II, Marchio, Comes *Lunigianæ*, Dominus de Este & Rovigo, natus A. 996, † 1097, 13 Apr. Ux. 1) *Cunigunda*, *Welfi II* filia, 2) *Garsenda*, 3) *Mathilda*, vidua *Guidonis III.*

1.	2.	2.
Welfo IV, Dux Bavariæ, 1071, † 1101, a quo Duces Brunsuico - Luneburgici.	*Fulco I*, M. Ital. † 1136, a quo Duces Mutinenses.	*Hugo*, cuius genus intercidit.

VI. *Welfo IV*, *Azonis*, Marchionis, & *Cunizæ*, seu *Cunigundæ*, filiæ *Welfonis II*, & sororis *Welfonis III*, Ducis Carinthiæ, filius, primo in Germaniam venit, ut adiret bona materna & avita Guelfica, teste Weingartensi Monacho *cap.* 5, 8. *Welfo III* Guelfica bona Cœnobio Altorfensi

Digitized by Google

fenfi contulerat, cum liberis orbus moreretur. Verum eius mater, *Irmengardis* Luxenburgica, *Welfonis II* coniux, tum superstes vidua, hæredi ex filia *Cunigunda* destinaverat hæc bona, atque penitus, donatione illa abolita, hæredem designaverat ex iure eundem. *Welfoni IV* A. 1071 in comitiis Goslariensibus Ducatum Bavariæ fuisse ab *Henrico IV* attributum, iam supra demonstravimus. Sunt, qui *Welfoni IV* tribuunt Italicas possessiones, nominatim Sardiniam, Spoletum, Veronam. At nihil harum regionum ad bona Dominorum Estensium referri potest. Intercessisse *Welfoni IV* controversiam cum fratribus suis, ex alia matre genitis, nempe *Fulcone* & *Hugone*, filiis *Gersendæ*, testatum reddidit *Bertholdus* Constantiensis ad A. 1097. Paucula protulisse *Muratorium* de hac controversia, novimus ex eius *Antiq. Estens. cap. 28 pag. 276.* Sed ea, quæ momentum trahant, neuter exposuit, impeditus indubie tenebris rerum eius temporis historicarum. Si quid iudico, *Welfo IV* repetivit matris dotem, quæ complectebatur curiam *Elisinam*, mille & centum mansis constantem. Abbas Urspergensis ad A. 1126 de hac dote nonnihil commemoravit. Locus Elisina nunc vocatur *Polesine*, haud procul Atesto situs.

SECTIO II.

DE PROGENIE WELFICA VSQVE AD HENRICVM NIGRVM.

VII. Welfones, si ultimam respicias originem, exstiterunt Suevi, qui ad Lacum Constan-

tien-

Digitized by Google

tiensem præstantissima hæredia possederunt, nominatim Altorfium, *a*) Ravensburgum, & Potinum, *b*) in Baioaria autem superiori *c*) tractum, lacui fluvioque Ambroni adiacentem. *Hermannus Contractus*, cuius fides refelli haud debet, vir patriæ suæ peritissimus, Guelfos ad A. 1025 & 1047 *Suevigenas Comites* appellavit. Ipse etiam *Conradus Urspergensis* in *Chronico pag.* 169 *Welfonem III* vocavit *natu Suevum*. *Henricus Leo*, Dux Saxoniæ & Bavariæ, ex *Welfonibus* procreatus, fassus fuit, *sese de Suevia oriundum esse*, teste *Arnoldo Lubecensi Lib. II cap.* 24. Frustra idcirco originem *Welfonum* Suevicam negavit *Blondellus T. II plenioris assertionis genealogica Franc. pag.* 215.

VIII. Undenam ipsis inditum fuerit nomen *Welfonum*, haud constat. Quæ de *Catulis* duodecim circumfertur fabula, sic habet. Aiunt scilicet, *Isenbardum* ex coniuge *Irmentrude* progenuisse duodecim gemellos, huius iussu pro catulis exponendos; supervenisse eum expositioni destinatæ, eandemque impedivisse, & 12 gemellos in vita conservasse. Fabulam dudum exposuerunt *Wolfgangus Lazius*, *Aventinus*, *Beatus Rhenanus*, *Bruschius*, aliique, qui didicerunt pronuntiata historica idoneis testimoniis veterum æstimare. *Warinum* quendam & *Isenbardum* quo-

c) Anonymi *Vita Conradi Constantiensis Episcopi pag. 4 T. II Leibn.*

d) *Chron. Weingart. cap. VII pag. 784 T. I Leibn. Sandhemius pag. 801* ibidem.

e) *Theganus* §. 19.

quoque exstitisse, haud inficiamur. At duodecim illos gemellos expungimus merito ex historia gentis nostræ.

IX. Alii *Welfos* ex gente Romanorum deducunt, quibus nomen fuit *Catulorum*, seu *Catilinarum*, subnixi mera allusione nominum *Wel-f*) & *catulus*. Opinio hæc satis est antiqua, sed cui fundamentum & ratio solida deest. Monachus Weingartensis *cap. 1*, & *Guntherus* in *Ligurino IX pag. 419.* allusionem eam iam meminerunt. Ille ita tradit: *Dicitur, quod quidam ex antiquissimis istis filiam cuiusdam senatoris Romani, qui Catilina vocabatur, in uxorem duxit, & filium ex ea progenitum Catilina nominavit, quod, quia teutonisatum Welfene, placuit omnibus, ut lingua naturali satisfacerent, &, Romano nomine refutato, Guelfum eum Teutonice nominarent.* g) Hic vero de *Welfone* sexto ita cecinit:

Hunc ex Romano Catulorum sanguine clarum
Et genus & nomen, nisi fallit fama, trahentem,
Teutonicus verso Welfonem nomine sermo
Dixerat, ambiguæ deceptus imagine vocis.

Licet vero hæc ipsa etiam originatio sit fallax; id tamen exinde perspicitur, commemorationem

f) *Plin. H. N. X, 72*, lupum tenerum vocavit *catulum.*

g) Eadem fere *Ladislaus Sundhemius* in *Narratione historica de Familia Guelphorum pag. 801 Tom. I Leibn.*

Digitized by Google

nem illam de duodecim gemellis olim incognitam fuisse. *b*)

X. Referunt alii *i*) *Welfonum* origines ad stirpem Agilolfingicam, sic dictam ab *Agilolfo*, quem fuisse Hasbaniæ in Austrasia, regnantibus in Francia occidentali Merovingicis dominis, ex quo progeniti sint *Theodones*, Bavariæ Duces antiquissimi, refert *Bucelinus T. I Germaniæ sacræ.* Verum & hæc derivatio generis Welfici meris nititur coniecturis, testibus *Henrico Meibomio* in *Notis ad Diploma Tassilonis T. III rer. Germanic. pag.* 193, & *Conrado Samuele Schurzfleischio* in *Notis ad Michaelis Boemi Historiam Alberti III, Saxoniæ Ducis, pag.* 108.

XI. *Ioannes Georgius Eccardus* in Epistola ad Ven. *Hermannum van der Hardt*, A. 1713, 21 Decembris, data, credidit, vocem *Welf* & *Wolf* idem esse, ac *hülpe*, *auxilium*, *benefactum.* Addidit: *Hinc Welfus, Princeps Bavarus, a Ludovico Pio Comes Luccæ & Sardiniæ constitutus, & Principum nostrorum, secundum meam quidem sententiam, sator, ab Italis Bonifacius vocatus est.* Vide *Hermanni van der Hardt Auroram in Reuchlini senio*, A. 1719, 4, Helmstadii editam, *pag.* 13 *seq.* At vero nostra ætate coniecturam hanc auda-

b) Videtur illa exinde enata, quod XII Welfici sanguinis Principes fuerunt domini terrarum quarundam in Suevia, quas tandem *Henricus Leo* A. 1157 cum Imperatore *Friderico* permutavit.

i) *Adlzreiterus Annal. Boic. P. I Lib. IX n.* 24, & *Andreas Brunnerus P. III Annal. Boic. Lib. I.*

Digitized by Google

audaciorem quilibet negotio facili explodit. *Bonifacius* enim ille *Azonum* fuit progenitor, cum *Welfone* primo nequaquam confundendus.

XII. Vetustatem & nobilitatem singularem gentis Welfonum celebrarunt merito *Conradus Urspergensis* in *Chronico pag. 274, 312, 512*, *Otto Frisingensis de Gestis Friderici Imperatoris Lib. I cap. 19, Lib. II cap. 2*, *Ladislaus Sundhemius pag. 801 T. I Leibn.* *Auctor Fragmenti Urstisiani pag. 801*, *Æneas Sylvius* in *Vita Friderici III pag. 180*, *Ioannes Vadianus de Collegiis & Monasteriis Germaniæ Lib. II pag. 46*, ac alii complures. Ob eximiam nobilitatem & auctoritatis præstantiam *Welso* primus, cuius filiam *Ludovicus* Imperator, *Caroli Magni* filius, in matrimonium posterius adsciverat, appellatus fuit ab Auctore *Vitæ Ludovici pag. 373 nobilissimus Comes*, & a *Thegano* §. 23 *Dux de nobilissima stirpe Bavarorum*, nec non a *Mariano Scoto* ad *A. 821 pag. 637 Dux Baioariæ.* Nam nec Ducatum, nec Comitatum, videtur a Rege Francorum, Suevis Bavarisque dominante, obtentum administrasse. Ipse potius fuisset appellandus *dominus*, siquidem patrimonia hæreditaria ipse haud secus ac filius *Ethico* possedit. Nepos, ex *Ethicone* natus, *Henricus*, demum fiduciaria, seu feudalia, bona a Rege accepit. *Welso I* exstitit sui iuris dominus, *vir egregiæ libertatis*, k) qualis erat *Ditericus*, antequam homo *Ottonis III* esset factus, quem meminit *Annalista Saxo* ad *A. 983 pag. 337.*

 XIII.

k) Ita eum vocat *Annalista Saxo pag. 660.*

Digitized by Google

XIII. Quaeritur plerumque, a quonam potissimum viro in historia Welfica sit exordiendum. *Weingartensis Monachus*, a *Welfone* primo sibi primordia esse capienda, existimavit, licet ipse Seculo vergente duodecimo diligentissime coenobia, eorumque codices, perrepserit. Ita enim ipse infit: *Generationes Principum nostrorum summa diligentia investigantes, ac multum in diversis Chronicis, Historiis, sive antiquis privilegiis, quaerendo laborantes, nullum nominatim ante Guelfonem Comitem, qui tempore Caroli Magni fuerat, invenire poteramus. Necessario igitur generationis huius seriem ab eodem incipere oportebat.* Sed *Simon Fridericus Hahnius* olim a *Warino* seniori telam ordiri solebat, patre *Warini* iunioris ac *Isenbardi*. *Isenbardo* autem adiungebat idem filium, *Welfonem* primum. Subministrabimus Lectori speciem huius vestibuli, *Welfonem* primum exornantis. Floruit *Warinus* senior medio Seculo octavo, mirifice insectatus sanctum *Othomarum*, A. 759 defunctum. Hunc enim A. 748 relegavit in insulam Rheni, in qua iam quidem coenobium Stein apparet conspicuum. Testes sunt huius facti *Hepidanus* in *Annal. ad A. 748 Tom. I Scriptor. Alemann. Goldasti*, & *Anonymus* in *Arbore genealogica Guelficae domus pag. 668 T. III Leibn.* Ipse, partibus *Carolomanni* studere solitus, hoc A. 771 mortuo, ad amicitiam *Caroli Magni*, fratris alterius, sese applicavit. *b*)

Wari-

l) *Annales Metenses, Bertiniani, & Adelmus ad A. 771.*

Digitized by Google

Warino ad hæc amplissimi fuerunt fundi in Helvetia atque Burgundia, Bavaria, & Suevia. De bonis in Suevia sitis testimonium perhibent *Charta 42* & *44* apud *Goldastum m)*. Nec illud est omittendum, præfuisse ipsum Comitatui Turgoviensi *n)*. Quod ipsum quoque planum fuit *Davidi Blondello o)*. *Warinum* in ipsa Burgundia tenuisse in agro Catalaunensi possessiones, innotescit ex *Actis Sanctorum Ian. Mens. Tom. I ad n. 13 pag. 814*. Uxor ipsius vocatur *Aria*, *Arara*, *Avara*. Utrique coniugum attribuit *Habnius* filios *Warinum* iuniorem & *Isenbardum*. *Warini* iunioris mentionem iniicit Auctor Anonymus *de Vita Ludovici Pii ad A. 830 pag. 302* apud *Pithœum*. Ipse *Iuditham*, *Ludovici* coniugem, eo anno ex cœnobio S. *Mariæ* ad *Pipinum* privignum deduxit. *Isenbardum* exstitisse *Warini* senioris filium, patescit ex Monachi Sangallensis *Vita Caroli Magni Lib. II cap. 3*. Commemorat eundem *Ekkehardus de Casibus monasterii S. Galli*, quem *Goldastus Tom. I Scriptorum rerum Alemannicarum* in lucem emisit. *Theganus §. 26* eundem appellavit *Ducem*. Ipse Dux A. 806 *Ludovicum Pium*, tunc Aquitaniæ Regem, in Hispaniam *p)* comitatus fuit, specimina intrepidi animi sui passim contra Saracenos ostendens. A. 808 eidem

m) *T. II rer. Alemannic. pag. 34.*
n) *Goldasti T. II pag. 38, 39.*
o) *T. II plenioris assertionis Genealogia Francorum pag. 215.*
p) Anonymus in *Vita Ludovici Pii pag. 332.*

Digitized by Google

dem *Ludovico*, Hispanias repetenti, ac Dertosæ munimenta expugnanti, comes fuit *q*). Uxor ipsi fuit *Irmentrudis*, quam habent pro *Hildegardis* sorore, *Caroli M.* in thoro sotia secunda. Id vero restat distincte demonstrandum, *Welfonem* primum ex *Isenbardo* fuisse procreatum.

XIV. *Welfo* primus, Princeps & dominus possessionum hæreditariarum in Suevia & Bavaria, vir egregiæ libertatis, ea floruit unus maxime auctoritate, ut *Ludovicus Pius* A. 821 eius filiam *Iuditham* in coniugii comitem expeteret. *Welfonis* uxor exstitit Saxonici generis, dicta *Hegilwich*, quæ, marito defuncto, velum elegit sacrum, virginibusque votivis in monasterio Kala præfuit *r*). Ipsam fuisse *Brunonis* filiam, coniicit *Ioannes Georgius Eccardus* in *Notis ad Vitam Hathumodæ Abbatissæ pag.* 32, 33. *Welfonis* primi liberos accepimus exstitisse *Ethiconem*, *Iuditham* Imperatricem, *Conradum*, & *Rudolfum*. Duos postremos vocant *Theganus* § 36, & *Nithardus de Dissensionibus filiorum Ludovici Pii Lib. I, fratres Iudithæ.* De utroque conferendus est *Fellerus* in *genealogischer Historie des Hauses Braunschweig-Lüneburg pag.* 39-109. Ex *Conrado* derivandi sunt Reges medii Burgundiæ, quod ipsum in *Gundlingianis s*) copiose demonstratur. Evolvi *F. I. du Nod* librum,

q) Idem *ad A.* 808.
r) *Theganus* §. 23, Auctor *Historia translationis Bathildis reginæ* §. 2 *pag.* 747 *T. II Mens. Ian. Act. Sanct. ad d.* 26, & *Seculo IV Benedictino P. I pag.* 450.
s) *P. VII pag.* 104 *seq.*

Digitized by Google

librum, cui titulus: *Histoire du second Royaume de Bourgogne sous les Rois Carlovingiens, Dijon, 1737, 4, t)* ut certiora de origine Regum Burgundiæ explorarem. Verum desiderio meo nihil inibi respondit. Quare petimus a Gallis & Burgundionibus, ut in posterum hanc historiæ partem luculentioribus nos edoceant argumentis. Errat *Annalista Saxo pag. 659. u)*, qui scribit, *Welfum* hunc quoque appellatum fuisse *Etichonem*. Id quoque caute accipiendum est, quod ipsum vocat *quendam de Principibus Bavarorum*.

XV. De *Ethicone* admodum pauca literis sunt memoriæ prodita. Ipse patri in hæerediis successit, avitæ tenax libertatis. Filius eius, *Henricus*, simul ac ex ephebis excessit, patre insciente ad Imperatorem sese contulit, eique amicus redditus, & subiectionis constrictus iureiurando, avitam imminuit nobilitatem. Licet vero Imperator hominem suum novum, seu vasallum, 4000 mansibus agrorum, in Bavaria superiori sitorum, per modum beneficii, seu feudi, donaret; *Ethico* tamen hoc moleste tulit, assumtisque fidissimis suis amicis duodecim, secessit in solitudinem ad villam *Ambirgo*, nunquam posthæc filium x) conspecturus.

t) *Iournal des Scavans 1738 Ian. pag. 66.*

u) *T. I Corporis historici, a Io. Georgio Eccardo* editi.

x) *Monachus Weingartensis cap. 3 pag. 782*, Chronicon vetus Ducum Brunsuicensium *pag. 14, 15, ed. Mader. Sundhemius pag. 801, Annalista Saxo pag. 660.*

ctarus. Locus hic ad amnem lacumque Ambronem in Bavaria superiori y) positus est. Suspicatur Abbas *Gothfredus*, z) ibi inveniendas esse *Welfica* gentis origines. Collegit eo monachos nonnullos *Ethico*, & ad eos excipiendos honorificentius *Cellam*, seu monasterium, construxit, in quo ipse cum 12 suis amicis inhumatus a) requiescit.

XVI. *Henricus*, *Ethiconis* filius, vulgo fuit cognominatus *cum curru aureo.* Rationem denominationis hanc solent reddere ii, qui Seculo duodecimo sunt iuniores, quam Auctor Chronici veteris Ducum Brunsuicensium literis consignavit hoc modo: *Temporibus Karoli* (Magni) *erat quidam Ethico, Princeps magnus, qui pro generis sui excellentia nulli hominum pro pheodo humiliare se volebat, cuius filiam* (sororem intellige,) *Ludewicus rex, filius Karoli, duxit in uxorem. Hac persuasit Henrico, Ethiconis filio, fratri suo* (nepoti ex fratre), *ut vasallus fieret mariti sui, Lodewici. Quo renuente, tandem de hoc facto a Rege conventus est. Cui & a rege promissum est, quod præter alia beneficia tantum de prædiis suis in proprietatem ei daret, quantum in die æstatis longissima cum curru aureo circuiret; quo promisso illectus, de auro*

y) *Sundhemius l. c.* Charta *Welfi*, Ducis Bavariæ, apud *Gewoldum Addit. Tom. III ad Hundii Metropolin Salisburg. pag. 159.*

z) In *Chronico Gottwicensi.*

a) *Monachus Weingartensis l. c.*

Digitized by Google

auro curriculum fabricans, & eum in sinu reponens, socios & equos veloces sibi adhibuit, & in die æstiva montem, qui Mersborch b) dicitur, circuivit. Deinde ad Regem rediit, & Rex ei montem cum Ducatu Bavariæ dereliquit. (Ethico, de facto filii indignatus, in solitudine vitam agens, moritur, nec ulli esse subditus dignabatur.) Unde cum curru aureo dicebatur. Parenthesin hanc, a me insertam, res postulat ipsa. *Conradus Botho* in *Chronico picturato pag.* 297, & *Aventinus Lib. VI Annal. Boicorum*, rem ipsam repetunt. Miramur merito, Monachum Weingartensem nihil de illo retulisse aureo curru. Montem *Mersborch Botho* vocavit *Merenbarch*. Id certe, quod de Ducatu Bavariæ in *Ethiconem* collato adiicitur, veritati haud respondet. Dabimus certiora. Aula *Henrici* prorsus regio more erat conformata, instructa quippe officiis hæreditariis ministerialium, Dapiferi, Pincernæ, Mareschalli, & Camerarii, ac Signiferi. Quæ munera per Comites virosque dignitate consimili spectabiles expediri obirique solebant. Ne quid dicamus de *Maioribus curiæ*, ac eorum uno, quem *Advocatum* vocabant, qui pro iuribus aulæ & possessionum conservandis stabat, vel actiones aliis intentando, vel eas excipiendo c). Nomen suum *Ethico* immortalitati consecravit gemino collegio votivo, uno mona-

b) Locum vocat *Merenberg* ex equa *Mere*, & fabulam illam de curru aureo aliter exponit *Annalista Saxo pag.* 660.

c) Idem *l. c.*

Digitized by Google

chis proprio, altero virginibus Benedictinis accommodato. Nam, defuncto parente, Monachos ex Amberga ad villam Altenmünster, ubi S. *Alto* Confessor sepultus fuerat, transtulit, eisque Abbatem praefecit. Interiecto temporis nonnullius spatio, exstruxit monasterium pro virginibus votivis Benedictinis in villa Altorfii in loco, ubi posthaec templum parochiale exsurrexit. Uxor eius satis cognita, matrem ignoramus. Uxorem duxit *Beatam de Hochwarte* in Bavaria, ex qua suscepit *d*) tres filios, *Conradum Sanctum*, postea Episcopum Constantiensem, cuius Vitam ediderunt *Ioannes Pistorius Tom. III Script. rer. Germ. pag. 638 seq. pag. 711 seq.* edit. *Struvii*, & *Guilielmus Gotfredus Leibnitius Tom. II Script. Brunsuic. pag. 1 seq.* porro *Etichonem*, & *Rudolfum*. Hohenwarte fuit castrum Comitis prope S. *Leonhardum* ad Inichehofen situm, nunc monasterium virginum Benedictinarum, distans quinque milliaribus ab Augusta Vindelicorum. *Conradus* A. 934 *Notingo*, Episcopo Constantiensi, successit, &, ecclesia sua insigniter locupletata, ad 26 Nov. A. 974 e vita abiit. *Eticho* ex concubina unicam filiam procreavit, ac deinde monasticae vitae addictus Constantiae in templo S. Mauritii humatus fuit. Latet tempus, quo *Henricus* decessit. Testimoniis haec singula firmavi in *Historia Ecclesiae Gand. pag. 264.*

XVII. *Rudolfus* placidam exegit vitam. Uxor ipsi fuit *Ita, de Oninge*, filia *Conradi* & *Rich-*

d) *Annalista Saxo pag. 660.*

Digitized by Google

Richluida e). *Richluidam*, tradunt, ex *Ottone Magno* fuisse natam. Videtur hic *Conradus* cum *Conrado Sapiente*, Comite Franconiæ, Duce Lotharingiæ, esse confusus. *Oninge* est locus in Hegovia ad lacum Potamicum situs, nunc villa Episcopo Constantiensi subiecta *f*). *Rudolphus* ex *Ita* generavit *Henricum*, *Welfonem II*, & *Richardam*. *Henricus* in flore ætatis, ad pubertatem adspirantis, interiit in valle iuxta villam Lenau ad Athesin inter Meranum & Botzenam, saxo percussus, cum venatione sese oblectaret, testibus Monacho Weingartensi, *Sundhemio*, & *Aventino g*). *Richarda* uni ex Comitibus Bavariæ præcipuis in matrimonium obtigit, liberis infœcundum. Ipsi coniuges *Welfoni II* donarunt villas Ultingen & Selmbach, quod *Sundhemius* Ubenbach vocat, & construxerunt tres Abbatias ex prædiis suis, Ebersberga, Cubachio, & Geissenfelda. Ipsa *Richarda* in monasterio Monachorum Benedictinorum, Ebersberga, sepulta fuit. Maritum eius *Sundhemius* vocat *Eberhardum* Comitem *de Sempt* & *Ebersberg*. *Adlzraiterus* rectius eum appellat *Adalberonem*, *ultimum Ebersbergæ Comitem h*). Certe *Henricus III* Rex *Adalberonis* donationem piam & fundationem confirmavit Diplo-

 mate

e) *Monachus Weingart. cap. IV pag. 783.*

f) *Sundhemius pag. 802.*

g) *Bayerische Chronica Lib. VI pag. 363.*

h) *Annal. Boicæ gentis P. I Lib. XVI cap. 14 pag. 406 seq.*

Digitized by Google

mate publice conscripto, quod edidit *Wiguleius Hundius* in *Metropoli Salisburgensi Tom. II pag. 275. Rudolphus* a fratre *Conrado* permutationis titulo recepit patrimonium, quod *Conradus* a patre acceperat, Altorf, Wolbrechtswende, Berg, Fronhoven, ac omnia trans fluvium Schussinam sita, collatis in fratrem bonis remotioribus, nempe Enslingam, Andolfingam, in Alsatia Colmariam, & Lugenicium intra Rhætiam Curiensem ad Amidis flumen *i*), quæ *Conradus* contribuit ecclesiæ Constantiensi. *Rudolphus*, cum exspirasset, in Cœnobio Altorfensi iuxta patrem & matrem fuit humatus.

XVIII. Successit patri *Welfo II*, a quo solent originem factionis Guelficæ derivare. Ipse enim adversariis *Conradi II Salici*, regni competitoribus, *Conradis* Franconicis, A. 1024 exeunte adhæsit. *k*) *Conradus* Rex, ex Italia redux, A. 1027 Ulmæ coegit ac celebravit comitia, in quibus decretum fuit, ut *Welfus* ablata omnia restitueret, & ad tempus in custodiam iret *l*). Ipse, semel ad saniora revocatus consilia, in posterum circumspectionem adhibuit maio-

i) *Monachus Weingartensis cap. 3 pag. 782 seq. Chronicon Constantiense pag.* 794 ed. *Struv. Sundhemius pag.* 802.

k) *Wippo pag.* 403 apud *Pistorium*, & *Hermannus Contractus ad A. 1024*, ac *Hepidanus ad A. 1031* (1025), *Chronicon Weingart. cap. 6 pag. 783.*

l) *Hermannus Contractus ad A. 1027 pag. 384*, *Hepidanus ad A. 1028.*

Digitized by Google

maiorem, ac, ingravescente ætate, iterum iterumque monitus de cladibus damnisque, olim Episcopo Augustano illatis, eiusque adiutori Episcopo Frisingensi iniunctis, pœnitentiam male actorum edidit per examinationem in iudicio aquæ frigidæ, quod uberrime allevavit benefacti. in Episcopum utrumque collatis *m*). Virgines sacras Altorfio transtulit in Cœnobium Altenmünster, eiusque surrogavit Monachos, ex Cœnobio Altenmünsterensi deportatos. Ad ultimum ipse in collegio sacro Benedictino Altorfensi animam posuit, corpusque tumulandum curavit. Superstes ei fuit perdiu uxor, quam scriptores appellant *Iuditham*, *Imizam*, & *Irmengardam*. Ipsa ex *Friderico*, Duce Lotharingiæ, fratre *Cunegundæ* Reginæ, fuerat nata, si coævos & recentiores sequimur. *Monachus Weingartensis* ipsam credit sororem *Henrici*, Ducis Noricorum, *Friderici*, Ducis Lotharingorum, & *Adalberonis*, Episcopi Metensis *n*). *Aventinus Fridericum* patrem cum filio confudit, ratus, eam exstitisse *sororem divæ Cunegundæ o*), rectius dicturus eam ex *Cunegundæ* fratre, *Friderico*, neptem. Ipsa in Cœnobio Altenmünster fuit sepulta, cum obiisset circiter A. 1056 *p*). Ex utroque coniugum geniti fuerunt

m) *Monachus Weingart. cap. 6 pag. 783 seq.*
n) *Cap. 5 pag. 783.*
o) *Bayerischer Chronica Lib. VI pag. 363.*
p) *Hermannus Contractus ad A. 1036 pag. 279* edit. *Struv. Monachus Weingart. cap. 6 pag. 783, Sundhemius pag. 802.*

runt *Welfo III*, & *Cunegunda*, seu *Cuniza*, mater Ducum Brunsuico-Luneburgensium, *Azonis II* uxor, Marchionis Estensis.

XIX. *Welfo III* A. 1047 in comitiis, Spiræ intra Pentecosten habitis, ab *Henrico III* Imperatore *q*) *Dux Carinthiæ* fuit renuntiatus, quacum inde ab A. 952 marcha Veronensis & Aquileiensis erat coniuncta *r*). Cui muneri honorificentissimo tanta præfuit dexteritate, ut Veronenses ab exactionibus ipsius Imperatoris, modum excedentibus, defensaret, teste *Monacho Weingartensi s*). Ipse A. 1055 Imperatorem, itineri Italico accinctum, comitatus fuit. In Italia monasterio S. *Zenonis* Veronensi tradidit tractum duodecim hominum *Harimannorum*, habitantium in castro Gebitus, Ilas, & Monte alto, cum omni ab eo præstando officio. Donationem confirmavit *Henricus III*, Imperator, A. 1055, 11 Novembris. Diploma edidit *Ludovicus Antonius Muratorius t*). Quamprimum ad lares suos revertit *Welfus III*, paucis hebdomadibus interiectis, vitam cum morte commutavit *u*). In anno eius emortuali determinando solus

q) *Monachus Weingart. cap. 6 pag. 784, Hermannus Contractus ad A. 1047 pag 280*, edit. *Struv.*

r) Continuator *Reginonis ad A. 952 pag. 106, Adelboldus* in *Vita Henrici Sancti* §. *16 pag. 434 T. I Leibn.*

s) *Cap. 7 pag. 784.*

t) *P. I d' Antichità Estensi P. I cap. 2 pag. 6 seq.*

u) Appendix *Hermanni Contracti* apud *Urstisium ad A. 1053 pag. 336*, & apud *Pistorium ad A. 1054 pag.* 147

Digitized by Google

solus *Bertoldus Constantiensis* fidem suam posteritati approbavit. Exstant documenta benignitatis, a *Welfo III* in Cœnobium S. *Martini*, quod Altorfii erat, exercitæ. Illud enim in montem transtulit, imposito ei nomine *Weingarten*, una cum Monachis & ossibus patris sui *Welfi II*, patrui *Henrici*, avique *Rudolphi*. Cœnobium vero prius Altorfiense in templum convertit parochiale. Proximus morti hæreditatem paternam testamento domui votivæ Altorfiensi, quæ S. *Martino* erat sacra, studuit addicere. Intercessit autem mater testamento, rationem potius habens hæredis sui, ex *Cunigunda* procreati, quem protinus ex Italia advolare, & hæredia *Welforum* occupare, iussit *x*). Quæri potest, quænam illa fuerit *mater*. *Monachus Weingartensis* de ea sic refert: *Mater ipsius* (Welfi III), *sciens, se haredem habere ex filia, missis in Italiam legatis, iussit eum adduci; & veniens penitus donationem interdixit, &, se certum & verum haredem esse, proclamavit.* Exstitit itaque illa mater haud alia ac *Irmengarda*. Non possumus itaque, quin *Hermannum Contractum* erroris convincamus, qui memoriæ prodidit *y*), eam iam A. 1036 rebus humanis valedixisse. Coniicio, virum hunc numerum 1056, alicubi inventum & descri-

147 Tom. I, Monachus Weingart. cap. 6 pag. 784, Annales Hildesh. ad A. 1054 pag. 731, Bertoldus Constantiensis ad A. 1055 pag. 342 T. I Urstisii.

x) *Monachus Weingart. cap. 7 pag. 784.*

y) Apud *Pistorium pag. 137*, seu edit. *Struv. pag. 279.*

Digitized by Google

descriptum, mutasse, præter voluntatem & opinionem, in annum 1036. Qui labendi modus & creber est & facilis.

XX. *Cunegunda*, *Irmengardæ* filia, nupsit *Alberto Azoni* secundo, Marchioni Italiæ & Comiti *Lunigianæ*, domino oppidorum *Este* & *Rovigo*, heroi togato ac sagato, quem *Lambertus Schafnaburgensis* z) annumerat primis Italiæ Principibus. *Marchio Liguriæ* ipse appellatur ab *Orderico Vitali* a). Præter Marchiam Mediolani & Genuæ passim terras insignes ab imperio tenuit nexu feudali, id quod ex literis *Friderici I* Imperatoris, quibus *Obizonem*, *Azonis* nepotem, A. 1184 in feuda immisit, patet. *Conradus de Liehtenau*, Abbas Urspergensis, appellat ipsum b) *ditissimum Italiæ Marchionem*, *Annalista Saxo* autem c) *Marchionem de Longobardia, de castris Calim* (nunc Calaone) *& Estin, quæ in Longobardia sita sunt.* *Monachus Weingartensis cap. 6* videtur eum vocasse *Marchionem Estensem*. At vox posterior est glossema describentis, quæ abest a manuscripto Weingartensi. Tanti fuit *Azonis* per Italiam auctoritas, ut, ipso fideiussore iurato cum Principibus aliis, *Gregorius VII*, Papa, *Henricum IV* demum venia dignatus fuerit. Ipse hic Pontifex A. 1074 ad *Geisam* Hungariæ

z) *Ad A. 1077 pag. 808.*
a) *Hist. Eccl. Lib. IV ad A. 1073.*
b) *Ad A. 1126.*
c) *Ad A. 1126 pag. 660.*

Digitized by Google

riæ ita *d*) descripsit: *Tu autem, si quid interdum aut de tuis causis, aut quod servitio Apostolicæ reverentiæ pertineat, nostris auribus intimare cupias, habes egregium videlicet Marchionem Azonem, nobis quidem inter ceteros Italiæ Principes valde dilectum, per quem ea, quæ ad Apostolicam audientiam referre destinaveris, nobis aptissime indicari & commendari potuerunt.* Talis erat *Cunegundæ* maritus. Ipsa loco dotis marito attulit curiam, nomine Elisinam, mille & centum mansis cinctam *e*). Si quid coniectando licet assequi ex *Orderico Vitali*, ipsa A. 1072 obiit. Anno enim 1073 *Azo* matrimonium contraxit *f*) cum *Gersende*, filia *Hugonis*, Comitis Cenomanensis (*de Maine*), sorore *Heriberti*, qui sine prole intercidit. Et, hac tandem defuncta duxit *Mathildam*, *Guidonis III* viduam, *Wilhelmi*, Episcopi Papiensis, sororem *g*). Ex *Cunigunda* suscepit *Welfum IV*, ex *Gersende Fulconem & Hugonem*, ex *Mathilda Athelasiam*, seu *Adelheidam*. Obiit tandem *Azo* A. 1097, 13 Aprilis die, centum annis vitæ iam exactis, testibus *Bertoldo Constantiensi* & *Mona-*

d) *Lib. I Ep.* 38.

e) *Monachus Weingart. cap. 6 pag. 784 cap. 5, Conradus Urspergensis, Annalista Saxo ad A. 1083 pag. 563.*

f) *Ordericus Vitalis l. c.*

g) *Gregorius VII* Papa *Lib. I Ep. 52, Lib. II Ep. 9, Hugo* Presbyter in *Vita S. Anselmi, Episcopi Lucensis*, apud *Bollandum in Actis S. S. Tom. II Martii pag. 640 cap. 9 n. 59.*

Digitized by Google

Monacho Weingartensi cap. 6 pag. 784. Unde intelligitur, ipsum A. 997 in lucem fuisse susceptum.

XXI. *Welfus IV, Azonis* & *Cunegundæ* filius, *vir illustris, acer, & bellicosus h*), patre adhuc superstite A. 1071 Ducatum Bavariæ, *Ottoni Northemensi* socero ademtum, nactus est ab *Henrico IV* Rege. Eam ob causam nihil fecit reliqui *Andreas Brunnerus*, ut ipsum ex professo delinearet *i*). *Hundius* patrem eius minus recte vocat *Welfum tertium k*). Imperator *Welfus quartus* munia & officia præstitit in bellis Saxonicis luculentissima, nec ulla res maior in Germania sine eo fuit gesta. Facinora eius præclara copiose recensui in *Hist. Eccl. Gand. pag. 273 seq.* Ipse senex Cœnobium Raitenburgense construxit, largisque opibus donavit, A. 1085. Diu ab *Henrico IV* dissedit, proceribusque *Henrico* adversis sese aggregavit, causam *Gregorii VII* cum patre secutus. *Welfus V*, filius ipsius, A. 1088 ditissimam *Mathildam* duxit uxorem, quam cum Papa, ut secederet a marito, impelleret, *Welfus*, pater, Cæsaris factus est studiosior, licet *Mathildam* ad ineundum pacis coniugalis consortium rursus nec Rex, nec *Welfus IV*, compellere valerent. A. 1076 Ducatum Bavariæ ex sententia Cæsaris amiserat, quem A. 1096 recuperavit *l*). A. 1097

h) *Annalista Saxo ad A. 1071 pag.* 504.

i) In *Annalibus Boic. P. III Lib. I pag. 11 seq.*

k) In *Metropoli Salisburg. pag.* 143.

l) *Chronographus Saxo ad A. 1096 pag.* 272, *Aventinus* in *Annal. Boic. Lib. VI cap.* 1 §. 10 *pag.* 590, *Annalista Saxo ad A. 1096 pag.* 276.

Digitized by Google

1097 *Azo*, parens eius, obiit, eiusque fratres germani, ex *Gersende* nati, conabantur sibi solis hæreditatem patris Italiam vindicare. Ipse autem, adsceitis in fœdus & auxilium *Henrico*, Duce Carinthiæ, eiusque fratre, Patriarcha Aquileiensi, signa fratribus infesta intulit, magnamque hæreditatis partem sibi asseruit. *m*) Tandem cum nobilissimis quamplurimis viris ac fœminis A. 1101 terram olim sanctam per Hungariæ Græciæque terras adiit. *n*) Inde obsidione Tortosæ in Syria litorali, perfunctus, Hierosolymis Iesum supplici veneratione deprecatus fuit. Dum reverti ad suos cœpisset, in insula Cypri infirmitate corporis & senectute prægravatus obiit. Ossa eius inde in Altorfense monasterium translata perhibentur. *o*) Si obsidio Dertosæ, seu Orthosiæ, in annum 1002 incidit, *p*) anno eodem videtur debitum naturæ reddidisse. *Vitus Arenpeckius*, *Albertus Aquensis*, & *Aventinus*, determinare malunt annum 1001. Obiter noto, ipsum Steingadensis monasterii in Bavaria superiori fuisse fundatorem. *q*) Uxorem in matrimo-

m) *Bertholdus Constantiensis ad A. 1097 p. 376.*

n) *Otto Frisingensis* in *Chronico ad e. a. Monachus Weingartensis cap. 8 p. 785, Vitus Arenpeckius p. 66 Tom. III Leibn. Annalista Saxo ad A. 1101 p. 592 seq.*

o) *Albericus ad A. 1101 p. 191, Vitus Arenpeckius p. 66, Tom. III Leibn.*

p) Ita nonnulli sentiunt scriptores belli sacri.

q) *Arenpeckius l. c. Wiguleius Hundius* in *Metropoli Salisburg. Tom. III p. 143.*

Digitized by Google

trimonium expetivit *Ethilindam*, filiam *Ottonis Northeimensis*, quam, bis sibi desponsatam, coniugio vix contracto, repudiavit, *r*) ductam deinde ab *Hermanno de Calverla*, ex quo *Hermannum* Comitem suscepit. Altera *Welfi IV* uxor fuit *Iuditha*, *s*) filia *Balduini*, Flandrorum Comitis, vidua non *Haraldi*, ut habet *Annalista Saxo*, *t*) sed *Tostici*, seu *Tostini*, Comitis Northumbriæ, qui ab hæreditate regni Angliæ malevolis inimicorum molitionibus exclusus fuit. *u*) Illustravit hanc *Iuditham*, A. 1094 *x*) defunctam, matrem *Welfi V* & *Henrici Nigri*, seu *Catuli*, ex *Welfo IV*, Cel. quondam *Nicolaus Hieronymus Gundlingius*. *y*) Annum, quo nuptiæ hæ fuerunt initæ, divinare haud licet. *Tostigus* enim iam A. 1066 a fratre *Haraldo* in prælio fuerat occisus. *z*) *Conradus Botho* a ianua aberravit, dum *Welfi IV* uxorem appellavit *Wichgandam*. Idem æque ac *Ladislaus Sundhemius* *Welfo IV* & *Iuditha* tribuunt filium tertium, *Segebardum*, quem veteres fideque digni scriptores

r) *Lambertus Schafnaburg. ad A. 1071 p. 343, Chronographus Saxo ad A. 1111 p. 282, Annalista Saxo p. 661.*

s) *Monachus Weingartensis cap. 8 p. 784.*

t) *Pag. 660.*

u) *Ordericus Vitalis L. III p. 492, Guilielmus Malmesburiensis p. 82, Albericus ad A. 1160.*

x) *Bertholdus Constantiensis ad e. a. p. 370.*

y) *In Sammlung seiner kleinen deutschen Schriften p. 500 seq.*

z) *Chronicon Saxonicum Gibsoni p. 172, Annalista Saxo ad A. 1066 p. 495 seq.*

Digitized by Google

res plane ignorant. Falluntur ii etiam, qui *Welfum* quartum pro *Mathildis*, Marchionissæ, venditant marito.

XXII. *Welfo V, Welfi quarti* filius natu maior, nunc commemorationem sui merito suo postulat. Exstitit ipse vir moderationis, facilitatis, ac mansuetudinis, laude celebratissimus. *a*) *Welfus*, pater, ditissimæ *Mathildis*, Marchionissæ, hæreditatis partem maximam cum posteris suis coniuncturus, adduxit filium, ut hic A. 1089 *b*) in Helvetia cum *Mathilde*, opulentissima Italiæ Marchionissa, nuptias celebraret. *Mathildis* hæc nata fuerat patre *Bonifacio*, Marchione Ferrariæ, Thusciæ, Veronæ, Luccæ, Placentiæ, & Parmæ, fiduciario, qui e vita discesserat A. 1052 *c*); matre vera *Beatrice*, filia *Friderici*, Ducis Lotharingiæ, & *Mathildis*, quæ, marito superstes, nupsit A. 1053, aut 1054, *Godofredo Barbato*. *Mathildis* nupsit primum *Godofredo Gibboso*, inferioris Lotharingiæ Duci, qui A. 1076 intestinis fraudibus Antwerpiæ appetitus occubuit. Cum ipsa iterum iniret coniugium cum *Welfone*, paternas provincias, earumque hæreditatem, eidem attulit. Pontifex autem Romanus hanc hæreditatem dudum sibi destinaverat, ac *Mathildem* sibi reddiderat admodum amicam. Ut itaque voti sui damnaretur,

H 2 tribus

a) *Monachus Weingart. cap. 9 p. 785, Sundhemius p. 803, Conradus Urspergensis p. 210, Vitus Arenpeckius p. 662.*

b) *Chronographus Saxo ad e. a.*

c) *Albericus ad e. a. p. 88.*

Digitized by Google

tribus adminiculis callidissimis fuit usus. Primo quidem id a *Mathilde* impetravit, ut *Henrici IV* partes fastidiret ipsa, ratus, *Welsum* patrem filiumque ægre id consilii secuturos. At, ne amitterent *Welsi* hæreditatem locupletissimam, ipsi *Henricum* infestarunt mirum in modum, cumprimis anno 1091, quo *Mathildis* penitus *Henrico* restitit, ac contra eum rebellavit. *d*) Cum ne sic quidem Pontifex Romanus, qui suis rebus ex dissidiis Imperatorum ac Regum callidissime consulere consueverat, id obtineret utilitatis, in cuius spem venerat; alia rem aggressus est via. *Mathildem* enim eo imbuit animo, ut hæredem ex *Welsone* marito haud admodum expeteret, ipse inter hæc cum *Mathilde* & Canusii, & alibi, intimam colens familiaritatem, immo ipsam eo adducens, ut maritum A. 1095 desereret. *e*) Tandem Papa in vulgus sparsit fabulam, quæ dictitabat, *Mathildem* iam anno 1071 ante nuptias secundas Liguriam & Thusciam provincias *Gregorio VII* & ecclesiæ Romanæ devotissimo modo obtulisse. *f*) Atque, ut commento huic accederet plus roboris, ii, qui Pontificis causa volebant, chartam effinxere, qua *Mathildis* perhibetur bona sua Romanæ ecclesiæ donasse. Edidit ipsam post

d) *Annalista Saxo ad A. 1091 p. 573.*

e) *Bertoldus Constantiensis ad e. a. p. 372.*

f) *Petrus Diaconus L. III Chronici Casinensis cap. 49 p. 390, Chronicon Halberstadense p. 128 Tom. II Leibn. Leo Urbevetanus p. 158 Tom. I Delic. Eruditorum Ioannis Lamii.*

Digitized by Google

post alios *G. G. Leibnitius. g)* Sed bona imperii, Imperatore eiusque primoribus inconsulto invitisque, a possessoribus fiduciariis haud poterant iuste alienari, quemadmodum iam olim Autor *Chronici Halberstadensis* solide iudicavit. Persequemur nunc reliquas res, a *Welfone* quinto gestas. Id cummaxime memoratu est dignum, *Welfonem* in gratiam *Mathildis* atque Pontificis Romani A. 1090 *Henrico IV* in Italia fuisse impedimento, quo minus ille incendiis belli cuncta involveret. *h)* Eodem anno ipse Comitatum Mantuanum tenuit, civibusque Mantuanis insigne privilegium ad 5 Cal. Iulii impertivit. *i) Henricus* Imperator admodum nauseavit coniugium *Welfonis V*, cum *Mathilde* contractum, ideoque A. 1090 in Italiam concessit, atque in ea per biennium hæsit, ut *Welfonem* vi ac ferro adigeret ad partes Pontificis derelinquendas, A. 1091 Mantuam, *Welfonis* urbem, obsidione cinctam, expugnaret, *k)* & hunc ita exacerbaret, ut hic consilia A. 1093 communicaret cum *Conrado*, filio Cæsaris adversus patrem rebelli, & diadema Italiæ affectante. *l)* Nec destitit a vindicta *Welfus*, donec, adiuvante uxore *Mathilde* & Archiepisco-

g) Tom. I Leibn. p. 687 seq.

h) Bertoldus Constantiensis ad A. 1090 p. 363 seq. Tom. I Urstisii, Sigonius Ital. L. IX p. 363 ad A. 1090.

i) Vid. *Historiam* meam *Gandershem. p. 1258 seq.*

k) Bertoldus ad A. 1091 p. 364.

l) Bertoldus ad A. 1093 p. 368.

po Mediolanensi, *Conradus* Mediolani diademate regio ornaretur. Ad eundem *Welfum* A. 1094 *m)* confugit, marito *Henrico IV* derelicto, coniux *Adelbeida*, criminum gravissimorum insimulans *Henricum*: A. 1095 *Mathildis* maritum dereliquit, & maritus *Mathildem*, licet divortium videatur haud insecutum. Quo ipso *Welfus* ad Imperatorias recessit partes, sublevaturus eum, quem creberrime in gratiam Papæ & *Mathildis* infestaverat, *n)* nihil operæ subterfugiens, ut Imperatorem cum proceribus Germaniæ in concordiam regnumque restitueret. Quo ministerio adeo sibi Cæsarem devinxit, ut A. 1096 successor patris in Ducatu Bavariæ ab Imperatore renuntiaretur, &, patre defuncto, Ducatum obtineret. *o)* Errant vero illi, qui, ipsum suæ familiæ primum obtinuisse id honoris, putant. *p)* Durissimas persæpe sustinuit *Welfus* contentiones a posteritate *Azonis II*, ex *Gersende* progenita, ob terras *Welfi* patris in Italia sitas. *q)* Imperatoris ipse iura ecclesiastica, quibus ille munia sacra summa per baculum & annulum solebat Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus nonnullis & Abbatissis Cœnobiorum regalium, conferre, egregie defendit

m) *Bertoldus ad e. a. p.* 370.

n) *Bertoldus ad e. a. p.* 372 *seq.*

o) *Monachus Weingartensis cap.* 9 *p.* 785, *Conradus Urspergensis p.* 210.

p) Auctor *Arboris genealogicæ Guelfonum pag.* 800 *Tom. I Leibn.*

q) *Monachus Weingartensis l. c.*

Digitized by Google

dit tum Parisiis, *r*) tum A. 1111 Romæ, *s*) ubi *Paschalis II* in custodiam fuit amandatus, donec, iureiurando interposito, iuri suo quæsito in ius investituræ ecclesiasticæ per annulum & baculum renuntiaret. Ipse A. 1106 interfuit testis donationi Imperatoris. *t*) Ad 7 Id. Septembris anni 1108 in loco Tulne dedit *Henricus V*, Rex Germaniæ, Cœnobio Gottwicensi Diploma, quo, adductus precibus *Udalrici*, Episcopi Pataviensis, sororis suæ *Agnetis*, mariti eius *Lanpoldi*, Marchionis, & Ducis *Welfonis*, donavit eidem monasterio insulam Mutheimerwerth, ac bona, ab *Altmanno*, Episcopo, fundatore, aliisque, collata, confirmavit. *Welfus* tenuit terram Estensem, ac in eam expromsit iudicia sua, iurisdictioni innexa. Quod ipsum perspicere licet ex fratris Diplomate quodam, A. 1117 promulgato. *u*) Tandem tantus heros, procero corpore firmisque lateribus præditus, voce maxima vultuque imperterrito memorabilis, communi mortalitatis fato interceptus, vivere desiit A. 1119, seu 1120, ad Lechrainum in villa Kauffringen, & in templo Altorfii lateri maiorum suorum fuit applicatus. *x*) De uxore eius, quæ

 con-

r) *Sugerius*, Abbas S. *Dionysii*, *p.* 288 *seq. Tom. IV Scriptorum Historiæ Franc. du Chesne.*

s) *Monachus Weingart. l. c. Otto Frisingensis* in *Chronico ad A. 1111 L. VII cap. 14 p. 146*, *Donnizo* in *Vita Mathildis II*, 17.

t) In *Historia* mea *Gandershemensi p.* 1260 *seq.*

u) *Ibidem p.* 1261 *seq.*

x) *Conradus Urspergensis p.* 210, *Monachus Weingartensis l. c.*

Digitized by Google

coniugium eius nunquam repetiit, & A. 1115 e vita discessit, *y*) diximus satis superque. Successit *Welso V* in Ducatu terrisque patrimonialibus *Henricus Niger*.

XXIII. Ut de fratre *Welfi*, *Henrico Nigro*, exponamus nonnihil, instituti ratio postulat. Erat ipse vultu fusco, unde cognomen adhæsit. Solet etiam vocari *Catulus*, seu *Welf*. Ipse iam A. 1107 partem terrarum Estensium tenuit, z) ut patescit ex eius charta in *Historia* mea *Gandersh*. *p. 1260*. Idem A. 1116 interfuit testis donationi & privilegiorum concessioni, quam *Henricus V*, Imperator, 4 Id. Martii in palatio Ducis Venetorum Cœnobio S. *Zachariæ* Venetiarum fuit impertitus. Diploma post *Muratorium*, ipse dedi in *Hist. Gandersh. p. 1260 seq*. Idem *Henricus* A. 1117, 4 Octobris, in Comitatu Pataviensi in villa Este, eiusque monasterio, S. *Teclæ* consecrato, adstitit placito seu comitiis provincialibus, cum *bannus mitteretur super res templi S. Mariæ* in carcere, ea lege, ne quis aliter, ac legitimo iudicio, bonis Cœnobii illius quid adimere aggrederetur. *a*) Ipsius auctoritas fuit admodum magna, siquidem bona amissa, vel interversa potenti manu, ditioni suæ adiunxit. *b*) *Aventinus* tradidit, *c*) ipsum chartis suis

y) *Muratorius* in Epistola, ad *Leibnitium* data, & præfixa *Tomo III Scriptor. Brunsuic. p. 3.*

z) Vid. *Historia* mea *Gandersheim. p. 1261 seq.*

a) *Monachus Weingart. cap. 10 p. 785, Arenpeckius p. 662.*

b) *L. VI cap. 3 p. 590* edit. *Gundling.*

c) Appendix *Chronici Weingartensis p. 792, Sundhemius p. 804.*

Digitized by Google

ſuis publicis affixiſſe ſigillum, imaginis ſuæ indicia præferens. Non licuit mihi huc usque tam eſſe felicibus, ut exemplum ſigilli eiusmodi conſpexerim. Ducatui præfuit *Henricus* per ſeptennium circiter, mortique proximus veſtimentum Monachis Ciſtercienſibus proprium induit, defunctus A. 1127 *d*) Ravensburgi, ſepultus in Cœnobio S. *Martini* ibidem. Uxorem duxerat *Wulfhildem*, Magni Ducis Saxoniæ filiam, quæ decimo & ſexto die poſt obitum mariti Altorfii e vita diſceſſit, *e*) mater ſeptem liberorum, quos recenſebimus diſtincte. Maximus natu filius, quem *Annaliſta Saxo* & *Conradus Botho* omiſerunt, vitæ ſeſe dedit monaſticæ, agens primo Coloniæ, deinde in Cœnobio Claravalle ab Abbate *Bernhardo* pependit, tandem vero, peregrinatione Hieroſolymitana perfunctus, ſeſe Anachoretæ cuidam in Apulia aggregavit, ibique naturæ debitum reddidit. *f*) *Conradum* ætate excepit *Henricus Magnanimus*, pater *Henrici Leonis*. Tertium locum tenuit *Welfo VI*, cuius progenies in filio *Welfone VII* exſtincta eſt. Hiſce quatuor filiæ

d) *Monachus Weingart. l. c. Vitus Arenpeckius l. c. Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium p. 16 Tom. II Leibn. Annaliſta Saxo p. 661.*

e) *Monachus Weingart. cap. 10 p. 786, Arenpeckius l. c. Brunnerus Annal. Boic. P. III L. II cap. 3 p. 76.*

f) *Monachus Weingart. cap. 10 p. 785 ſeq. Conradus Urſpergenſis p. 211.*

Digitized by Google

ſunt addendæ. g) *Ruditha* nupſit *Friderico*, Suevorum Duci, atque ex eo ſuſcepit *Fridericum*, Ducem Sueviæ & Franconiæ, atque Imperatorem, & *Iuditham*, Ducis Lotharingiæ, *Matthei*, uxorem. *Sophiam* duxit *Bertholdus*, Dux Zeringenſis, eoque defuncto *Leopoldus*, Stiriæ Marchio, pater *Odacari*, ſeptimi Marchionis. *Mathildis* nupſit primo *Theobaldo*, filio *Theobaldi*, Marchionis Voheburgenſis, ac deinde *Gebhardo*, Sulzbacenſi. *Wulfhildis* in torum adſcita fuit a *Rudolpho*, Rhetiæ & Brigantiæ Comite Palatino. h) *Helenam* quandam, *Wratislai*, Ducis Pomeraniæ, uxorem, addunt ex recentiorum ingenio *Bucelinus* & *Ioannes Hübnerus*. Expoſuimus hæc copioſius, quam inſtitutum noſtrum permittit, eo tamen ſcopo & propoſito, ut ſplendor antiquiſſimi generis Brunſuico-Luneburgenſium nemini non oculos mentemque præſtringat, atque ut Deo gratias agamus pro ea potentia, qua progenitores celſiſſimæ potentiſſimæque Domus per decurſum tot Seculorum præmunivit atque inſtruxit.

XXIV. Repræſentabimus ea, quæ ediſſeruimus, in hac Tabula:

Welfus I,

g) *Annaliſta Saxo pag. 661, Conradus Botho pag. 334.*

h) *Monachus Weingart. cap. 10 p. 785 ſeq.*

Digitized by Google

Welfus I. Uxor *Heilwich.*

Eticho. | *Iuditha,* uxor 2 *Ludovici Pii,* † 843. | *Conradus.* | *Rudolphus.*

Henricus. Uxor *Beata de Hohwarten.*

Conradus, Ep. Constant. † 947. | *Ethico,* Monachus. | *Rudolphus.* Uxor *Ida de Oningen.*

Henricus. | *Richarda.* Uxor *Adalberonis de Ebersperg.* | *Welfus II.* Uxor *Irmengardis.* † 1055.

Welfus III, † 1055. | *Cuniza,* nupta *Azoni II,* Marchioni, qui † 1097.

Welfus IV, Dux Bavariæ A. 1071, † 1101. Uxor 1) *Ethilinda,* filia *Ottonis,* Comitis Bomeneburgi & Northeim.; 2) *Iuditha,* † 1094.

Welfus V, Dux Bavariæ, † 1120. Uxor *Mathildis,* Marchionissa, † 1115. | *Henricus Niger,* Dux Bavariæ ab A. 1120, † 1127. Uxor *Wulfhildis,* filia Magni Ducis Saxoniæ.

Henricus Magnanimus, † 1139. Uxor *Gertrudis,* filia *Lotharii;* Imp. † 1143. | *Welfus VI,* † 1191. Uxor *Ita.* | *Iuditha,* nupta *Friderico,* Duci Sueviæ. | *Sophia.* | *Mathildis.* | *Wulfhildis.*

Son of *Welfus VI*: *Welfus VII,* † 1167.

Son of *Iuditha*: *Fridericus I,* Imp.

Son of *Henricus Magnanimus*: *Henricus Leo.*

VI.

C. A. HEUMANNI
MEDITATIO CRITICA SUPER LOCO ILLO EXAGITATISSIMO EGINHARTI Capitis XXV:

Tentabat (CAROLUS ille MAGNUS) *& scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum effingendis literis assuefaceret. Sed parum prospere successit labor præposterus, ac sero incboatus.*

I.

Fuerunt, quos, lectis hisce verbis, nulla incessit admiratio, nulla de scripturæ veritate dubitatio, quibusque hic locus persuasit, *Carolum M.* artis scribendi peritiorem haud fuisse Imp. *Vetranione*, quem *non nisi grandævum, & iam Imperatorem, accepisse prima literarum elementa*, memoriæ prodidit *Eutropius Lib. X Cap. 6.* Est hac in sententia *Caveus*, qui in *Hist. lit. Script. eccl. p. 417*, (633 editionis novissimæ,) *tam doctum Principem*, ait, *nescivisse scribere.* Idem sentit *Fontaninus* in *Vindiciis antiquorum Diplomatum Lib. II Cap. 3.* Nec nuper dubitavit doctissimorum horum Duumvirorum in sententiam ire Vir quidam clarissimus, idemque mihi amicissimus, in annotationum una ad *Quintiliani Lib. X Cap. 3.* Qui quidem, hac in sententia se confirmatum esse, profitetur, cum apud *Cassiodorum* (*Var. Lib. VIII Epist. 13*) legeret, Quæstorem quendam (hoc est, Secretarium intimum,)

Digitized by Google

mum,) Regis Gothorum, *Athalarici*, in scribendis, quæ formaret, Edictis Principalibus manu non usum esse sua, sed ea scribæ alicui *dictasse*. At fefellit Virum optimum ævi medii latinitas, ut legere sibi videretur in *Cassiodoro*, quod minime legebat. Scilicet illo temporis tractu *dictare* longe alio, quam *Quintiliani*, sensu usurpari solebat, nihil videlicet aliud significans, quam *a*) *scribere*; id quod iam dudum docui ad *Conspectus reip. lit. Cap. V* §. *13*. Ac satis hoc docet *Apollinaris Sidonius*, in *Lib. VII Epist. 18* scribens, se *dictasse*, quod prius *scripsisse* se dixerat clarissime; quod idem facit *Lib. IX Epist. 3*. Nec minus luculentus locus occurrit in *Salviani* ad suos *de Avaritia* libros Præfatione, ubi, quem sæpius *scriptorem* antea vocarat, sui seculi vocabulo *dictatorem* appellavit. Si libet *Otfridi* ad *Luitbertum Præfationem* inspicere, etiam hic reperies, eiusdem sensus dictiones esse *dictare librum* & *scribere librum*. Inprimis autem observari meretur ille *Caroli M.* versus, a *Fabricio* in *Biblioth. medii ævi Lib. III p. 957* productus, in quo memoratur *dictantis calamus*. Ad dictandum vero aliquid alteri non est opus calamo, sed ad scribendum. Solet nimirum hoc accidere viris priscæ latinitatis peritissimis, ut, secuti ævi scriptores maiorem

a) Ac hoc sensu ipsum illum *Cassiodori* locum interpretatur *Glossarium Dufresnianum*. Bis quoque *dictare* pro *scribere* occurrit in *Hieronymi* quadam Epistola, quæ inter *Augustini* Epistolas est vigesima septima in editione Basil. 1540.

Digitized by Google

rem in modum mutasse dicendi rationem, non recordantes, eos interpretentur perperam. Et quam æquum est condonare hoc Viro illi doctissimo, cum idem peccatum magnus ille *Gronovius* peccarit in *Obs. ad Script. eccl. Cap. XXIII p. 258*, eodem, quo veteres dixerunt, sensu putans ab *Aldhelmo*, Seculi septimi scriptore, dictum fuisse & *dictare* & *dictatorem*.

II. Ac viderunt plerique, qui hunc *Eginharti* locum sunt intuiti, eum, quem modo dixi, sensum ei tribui non oportere. Nos quidem, scribendi artem exercuisse *Carolum*, partim argumentis quibusdam, partim gravissimis testimoniis, confirmabimus. Ac generale quidem argumentum hoc facile omnibus in mentem venit, quod nihil sit ad credendum difficilius, quam hominem, tam ferventer in studia literarum incumbentem, ac linguis quoque pluribus addiscendis operam navantem, defugisse laborem, ad figuras, & quidem ad tam simplices figuras viginti trium literarum, formandas necessarium. An tam literatus homo impetrare a se posſit, ut careat facultate, suum nomen exprimendi literis? Vel an forte fieri potest, ut aliquis illas, quas nomen suum habet, literas pingere discat, ceteras omnes discere sive gravetur, sive dedignetur? Ecquod, quæso, fastidium, vel quæ alia causa, eum revocabit a tam tenui, tamque brevis spatii, labore? Scribere itaque non valuisse *Carolum*, adeo abhorret a vero, ut æque facile credi queat, nec legere ipsum scripta potuisse, sed solis auribus usum esse ad exci-

pienda

Digitized by Google

pienda prælegentium verba. Sicuti vero mendacii reum haud dubii acturi eramus *Eginbartum*, si, legere non potuisse suum *Carolum*, scripsisset; ita etiam, cum, *tentasse eum scribere, sed nullo successu*, scribit, vel ab eo mendacium proferri, vel, cum id nemo possit credere, longe alio sensu capienda esse verba eius, necesse est.

III. Sed suppetunt etiam speciales causæ, cur ineptum nobis videatur, credere, *Carolum* scribendi imperitum fuisse, vel id voluisse dicere *Eginbartum*. Hic enim, eodem in *Capite* docens, *Carolum Rhetoricæ plurimum & temporis & laboris impendisse*, an non hoc ipso docet, multa eum elaborasse? An vero exerceri potest *labor rhetoricus* sine scriptura? An non assentiendum Ciceroni, *stilum esse optimum dicendi effectorem & magistrum?* An non *Horatio*, *sæpe stilum vertendum esse* cultori artis oratoriæ? An non b) *Quintiliano, scribendum ei esse quam diligentissime & quam plurimum?* Præterea ex eodem *Eginbarti Capite* cognoscimus, *artem computandi didicisse Carolum*. Quis vero eam artem exercere potest, si signa numerorum effingere nequeat? At, qui decem numerorum signa didicit pingere, an credi potest noluisse alterum tantum literarum exprimere scribendo? An, qui *tabulis & codicillis suis* numeros frequenter imprimit arithmeticos, non iisdem sæpe & libenter inscribat literas, mentis suæ testes & indices?

Accedit,

b) *Lib. X cap. 3.*

cedit, quod illo loco, quem tractamus, narrat *Eginhartus*, remotis arbitris & in secreto *Carolum tentasse scribere.* Iam vero, qui artem scribendi discere cupit, ei opus est magistro aliquo, manusque ductore.

IV. Transeamus, age, ab argumentis ad testimonia luculentissima, &c, scribere *Carolum* potuisse, *extra omnem dubitationis aleam ponentia*, iudice *Schminckio*, editore *Eginharti* celeberrimo. Omnium primus prodeat *Eginhartus* ipse, eosque sua voce refellat, qui ipsius testimonio, mali scilicet interpretes, probatum iverunt, scribendi artis prorsus expertem fuisse *Carolum.* Hic igitur in *Cap. XXIX*, postquam commemorarat quædam, quæ *Carolus* ab aliis *describi, & literis mandari, fecit*, ea subiicit, quæ scripsit ipsemet. *Barbara* c) *& antiquissima carmina*, inquit, *quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriaque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis*, subaudi *scribere.* Quis, quæso, non videat, nulli hic esse exceptioni cavillationique locum, cum *scribere* & *describi facere* inter se opponantur clarissime; cumque non alius *scripsisse* carmina illa dicatur, quam qui *mandavit ea memoriæ?* Illud vero plane ridiculum est, Grammaticam fecisse eum, aliosque scribendi artem docuisse, qui nullam ipse literam unquam scripserit, imo ne potuerit quidem scribere.

V. Suc-

c) Eadem hæc verba *Sigebertus Gemblacensis* recitat *ad Annum* 794.

Digitized by Google

V. Succedat familiari *Caroli*, *Eginharto*, familiaris eius alius, idemque præceptor, *Alcuinus*. Hic in pluribus ad *Carolum*, quem *Davidem* appellitat, scriptis Epistolis (quas *Basnagius Thesauri monumentorum ecclesiasticorum Tomo secundo* inseruit, & *Parti* quidem eius *primæ*,) mentionem facit exaratarum ad se ab illo epistolarum. In quinta *p.* 393 ita ad eum scribit: *Vestræ beatitudinis literas veneranter accepi*. In sexta *p.* 395: *Ex serie sagacissimæ chartulæ vestræ nobis innotuit, non omnia probanda esse, quæ ibi* (in libello meo) *lecta fuerint*. In septima *p.* 396: *Literas prosperitatis vestræ magno amore & digno favore suscepimus*. Et paulo post: *Vestræ benignitatis literæ Flacco* (Alcuino) *taciturnitatis culpam ingerunt*. Ac rursus: *Vestræ pietatis literæ sæpius* (ad me) *veniant*, (ita legendum pro *venient*,) *ut osculentur iterum, iterumque relegantur*. In undecima *p.* 401: *Lætissima mihi vestrarum literarum charta occurrit*. In *duodecima p.* 402: *Literis vestræ nobilissimæ pietatis acceptis*. Paulo post: *In quibus vestræ sapientiæ apicibus*. Et rursus: *Veluti in vestræ auctoritatis pagina scriptum reperimus*. In decima tertia *p.* 403: *Optata mihi & diu desiderata vestræ bonitatis literarum facies subito effulsit, & permulto tempore avidos videndi oculos sanctissimi vestri nominis apices refecerunt*. Et rursus: *Gratissimum mihi fore fatebor, ut beatitudinis vestræ syllabas merear osculari*. In decima quarta *p.* 403: *Venerandæ auctoritatis vestræ apices iter agenti oc-*

currerunt mihi. Ne autem forte dicas, nihil horum *Caroli* manu, sed omnia iussu eius a scriba fuisse exarata, non solum ipsa *Alcuini* verba expendas rogo, sed illud etiam, quod nunc sequitur, testimonium. Non enim omitti oportet, quæ in Actis Synodi, apud S. *Macram* A. 881 habitæ, perscripta legimus, quæque iam protulit *Schminckius.* En ipsa verba, *d*) huc pertinentia: *Carolus M. Imperator ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, &, quæ sive in die, sive in nocte, de utilitate sanctæ Ecclesiæ, & de profectu ac soliditate regni, meditabatur, in eisdem tabulis annotabat.* Hæc verba cui satis clara non sunt, eum ipso meridie dubitare posse credo, an dies sit.

VI. Adiungimus *Thegani* testimonium, qui in libri *de gestis Ludovici Pii, Caroli M.* filii, (sub cuius regno vixit,) *Capite septimo* hoc scriptum reliquit: *Imperator* (Carolus M.) *nihil aliud* (iuxta vitæ finem) *cœpit agere, nisi orationibus vacare, & libros* (sacros) *corrigere. Nam quatuor Evangelia Christi, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, in ultimo* (die) *ante obitus sui diem cum Græcis & Syris* (codicibus collata) *optime correxerat.* Gravissimus scilicet & sanctissimus labor ab eo habebatur, codices sacros recognoscere, &, quæ a librario peccata fuerant, adscitis melioribus codicibus, emendare. Hinc & *Alcuinum Caroli M.*

d) E *Sirmondi Tomo III Conciliorum Galliæ pag* 514.

Digitized by Google

M. iussu divinam (id est, Biblicam,) *correxisse historiam*, testis est *Sigebertus Gemblacensis ad annum 790. Corrigere* igitur nihil hic aliud est, quam ea, quæ a librariis vitiose scripta sunt, emendare; quo eodem sensu adhuc hodie typographi emendatores foliorum suorum vocare *correctores* solent, vocabulo inde a tot seculis superstite. Talis *librorum ecclesiasticorum emendator* Seculo decimo quinto fuit *Petrus Oxomensis*, Theologiæ Professor Salmanticensis primarius; atque ita vocatur in *Nic. Antonii Bibliotheca Hispana vetere T. II p. 204*. Tales & sua ætate fuisse, refert *Petrarcha, Lib. IX Epist. 5* de monachis ita scribens: *Alii membranas radunt, alii libros scribunt, alii corrigunt, alii illuminant.* Imo undecimo Seculo *Lanfrancum*, Archiepiscopum Cantuariensem, *libros Veteris ac Novi Testamenti, scriptorum* (id est, describentium,) *vitio corruptos, corrigere studuisse*, clare testatur *Matthæus Paris* in *Hist. Angl.* ad annum 1089, qui & hoc adiicit: *Huius emendationis luce tam Anglorum Ecclesia, quam Gallorum, se gaudet illustrari.* Hunc igitur sacros libros emendandi laborem se quoque, literatissimo Principe, dignum *Carolus* pulchre iudicabat, atque extrema vitæ suæ tempora partim piis precibus, partim lectione & emendatione quatuor *Evangeliorum*, consumebat, collatione etiam Latinæ versionis facta cum textu Græco & Syriaco; id quod nemo mirabitur, qui ex *Eginharto* didicerit, *Carolum* non mediocriter peritum fuisse cum Græcæ,

tum aliarum peregrinarum linguarum. Idoneus proinde etiam *Theganus* testis est, manu sua ad scribendum uti potuisse, perque sæpe usum esse, *Carolum*; &, si quis forte dicat, eum libros sacros correxisse manu tantum aliena, hoc est, per alios functum esse corrigendi munere, eum etiam credere iubemus, alieno ore preces suas ad Deum effudisse *Carolum*. Utrumque enim coniunxit *Theganus*, eum partim *orationibus vacavisse* scribens, partim *libros correxisse*. *Anastasium* autem Imperatorem aliis viris doctis usum fuisse ad *emendanda sancta Evangelia*, non ipsum sua manu emendasse, legimus; quæ res per se laudabilis quantæ locum fecerit calumniæ, non ita pridem luculentissime docuerunt *Bentleius*, *Pfaffius*, & *Wesselingius*, Viri singulari & ingenio, & eruditione, præditi.

VII. Nunc illud videamus, quæso, an testis citari mereatur *Adamus Bremensis*, qui *Lib. I Cap. 10* Diploma quoddam *Caroli M.* recitat, cuius in exitu Princeps hic ait: *Manu propria subscripsimus.* Subscripsit autem, ut ibi videre est, monogramma suum, *crucem circulo inscriptam*, figuram scilicet partim orbis terrarum, partim Christianæ religionis. Aliud eiusdem Diploma *Maderus* in Appendice ad *Historiam* illius *Adami* repræsentat, quod & ipsum sic finitur: *Manu propria subscripsimus.* Solum autem monogramma subscriptum ab eo fuisse, sive appictum, Diploma quoddam Imp. *Henrici III* in *Marteniani Anecdotorum Thesauri Tomo primo p. 260* confirmare videtur, ubi hæc verba fluunt:

Digitized by Google

unt: *Præsentes literas manus nostræ signo firmavimus, & sigilli nostri impressione corroborari præcepimus.* Vides, *signum*, id est, monogramma, ipsius Imperatoris manu *e*) confectum esse, at sigillum ab alia manu fuisse impressum. Non igitur assentimur *Sperlingio*, in Annotationibus ad nostrum *Adamum*, nuper demum a *Westphalio*, Viro Perillustri, editis, *p. 659* rato, Principes illa formula usos fuisse, licet manu alicuius notarii appingi iussissent nomen suum. Certe *Carolus* noster, Princeps literatissimus, credi non potest falsum de semet ipso præter necessitatem perhibuisse testimonium. Et quis hodie vel maximorum Principum gravatur nomen suum suis edictis adscribere sua ipsius manu? Nec aliter fecisse credimus alios Principes, (nisi forte quis eorum prorsus fuit ἀναλφάβητος,) quorum Diplomata in eadem *Maderi* Appendice hæc in verba desinunt: *manu nostra* (vel *propria*) *subtus illud firmavimus, p. 205, 207, 209, 212; manu propria hanc chartam corroboravimus, p. 213; manu propria, ut infra videtur, hanc chartam f) roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri, p. 223, 226, 228, 231.* Quales subscriptiones & reperias

 in

e) Vid. & *Mabillonii Lib. II de re diplom. Caput decimum.*

f) Corrigo hinc ultima verba Diplomatis *Caroli M.* a *Martenio* editi in *Tomo primo Thesauri Anecdotorum p. 10 & 11*, ac ita scribo: *manu nostra subter roborantes, annulo* (*Martenius* edidit *roborare, & annulo*) *nostro sigillare iussimus.*

Digitized by Google

in Diplomatibus, a *Martenio* in *primo Tomo Thesauri* sui *Anecdotorum* editis, *p. 23, 24, 25, 27, 29, 30, 32, 34, 35, 36, 38, 41, 42, 43.* Jam quorsum hæc omnia? Scilicet ut appareat, *Carolum M.* cum tam artificiose scribere potuerit, non posse negari caruisse arte scribendi vulgarissima. Ac ipsas etiam literas manu eius paulo post conspecturi sumus, exhibente *Longevalio.*

VIII. *Martinus* postremo audiatur *Polonus*, ita de *Carolo* nostro loquens: *Hic solitus erat, ut nocte ad caput pennam & pergamenum reponeret, ut, si in crastino aliquid utile forte memoriæ occurreret, mox signaret*, hoc est, penna in pergameno perscriberet. In edito quidem *Poloni* illius *Chronico* hæc minime reperies; sed habet Ven. *Reimannus* Codicem eius, manu vetere scriptum, unde verba ista recitavit in *Catalogi* sui *systematico-critici Tomo secundo*, & quidem *p. 839.* Quanquam, hoc ultimum testimonium si quis reiecerit, æquissimo id feremus animo. Est namque hic nobis testis non nisi supernumerarius.

IX. Hæc, quæ diximus, qui consideraverit, manu ipsum sua scripsisse multa *Carolum*, nihil dubitabit: æquum præterea facturus, si præcipiti eorum iudicio, qui, obiter inspectis *Eginbarti* verbis aliter senserunt, ignoscat. Quærendum autem nunc venit, quid sibi velit Historicus noster, *tentasse Carolum scribere, sed parum prospere successisse hunc laborem*, narrans. *Lambecius* in *Bibliotheca Cæsarea Libro secundo p. 264* ita censuit, non de quavis scriptura loqui

loqui *Eginhartum*, sed de literis elegantioribus, iisque maiusculis, ornatus causa pingi solitis in librorum initio; ut adeo *scribere* isto loco significet καλλιγραφεῖν. Cui sententiæ non dubitavit subscribere *Ant. Pagius* in *Critica Baroniana ad annum 782 §. 8*, itemque celeberrimus *Eginharti* illustrator pariter ac editor, *Schminckius*. Ac nuper eandem interpretationem comprobarunt Ven. *Bruckerus*, & doctissimus Iesuita, *Longevalius*. Et ille quidem in *Appendice ad Historiam philosophicam*, Germanice scriptam, *p. 356 seq.* non de insigni quadam & admirabili, sed de mediocri & quovis scriptore digna, calligraphia capit *Eginharti* verba; hic propius ad *Lambecianam* accedens sententiam, præterea subiicit aliquid oculis nostris, ipsa *Caroli M.* manu exaratum. *On ne doit pas en* (e verbis *Eginharti*) *conclure*, inquit in *Historia Ecclesiæ Gallicæ*, Gallico composita sermone, & quidem in *Libro* eius *duodecimo p. 526*, *comme ont fait quelque Auteurs recens, que ce Prince ne sçût pas même ecrire son nom. Il s'agissoit apparement de l'ecriture, dont on se servoit pour transcrire les livres, & qui étoit differente de l'ecriture usuelle. D'ailleurs on conserve, à ce qu'on croit, les originaux de plusieurs chartres, où Charlemagne a soucrit de sa main par un monogramme, dont les lettres, qui composent son nom, sont trés bien formeés en cette maniere:*

Denique & nuper probata est hæc sententia in *Historia literaria Franciæ Tom. IV p. 370.*

Mihi vero propterea non placet hæc opinio, quod adeo perspicue scribere solet *Eginhartus*, ut minime credendus sit crucem figere voluisse lectoribus, dicendo *scribere* pro *καλλιγραφεῖν* atque *ipsam publicorum scribarum artem æquare*. Quis enim unquam ita locutus est? Et quis, si intelligi voluit, loqui ita potuit? Taceo, inter tot ac tanta negotia, cum regia, tum literaria, curæ cordique esse non potuisse tam generoso Principi, ut laudem assequeretur scribæ artificiosissimi. Non miror proinde, istam interpretationem reiectam fuisse a *Baudelotio Dairvalio T.II de Utilitate itinerum p. 528*, atque *Fabricio* in *Bibliotheca medii ævi Lib. III p.939*.

X. Venit autem eidem *Baudelotio Dairvalio* in mentem, ut putaret, de pingendi arte loqui *Eginhartum*, atque, in eius loco *pingere* pro *scribere*, & *effigiandis lineamentis* pro *effingendis literis*, scribendum esse, crederet. Quam sententiam etsi & ipsam deinceps reiecturi sumus; fatemur tamen, ei aliquam veri speciem conciliari posse. Verbum enim *effigiandis*, quod quidam Codices habent, satis clare loqui videtur, de pictura hunc esse sermonem. Cumque durius sit, *literis* convertere in *lineamentis*; facilius credetur, veram & veterem scripturam esse *lineis*. Nam & *Plinius* dixit *linearem picturam Lib. XXXV cap.3*, ibidemque, *umbram hominis lineis circumductam* primum fuisse pictoriæ artis rudimentum, ait. Nec pro *scribere* cum *Baudelotio* reponi necesse est *pingere*, cum prius hoc ipso sensu retineri possit. Uti enim *describere* dixit *Plautus*

pro

pro *depingere Asin. II, 3, 22, Non potuit*, inquiens, *pictor rectius describere eius formam*; ita & simplex *scribere* more Graecorum pro *pingere* dixit *Plinius*. Certe nonnulla eius exemplaria *Lib. XXXV cap. 10* haec verba exhibent: *Scripsit & Apollinem & Dianam Deumque matrem in leone sedentem* pictor Nicomachus. Unum tamen verbum mutandum fuerit, & pro *codicillos* scribendum *penicillos*. Atque ita sic fluerent verba Historici nostri: *Tentabat & scribere*, (hoc est, *pingere*,) *tabulasque & penicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum effigiandis lineis assuefaceret.*

XI. Verum nec haec defendi potest sententia. Nam primum, si forte dici potest *effigiari homo*, vel *leo*, *lineas effigiare* nullo prorsus exemplo dixeris. Deinde, cum in praelongo suo de pictura sermone *Plinius* vel centies dixerit *pinxit*, non semel duntaxat, sed saepius, dicturus erat hoc sensu *scripsit*, si ita loqui mos fuisset Latinis. Ac meliores Codices illo loco non *scripsit* habent, sed *pinxit*. *Codicillos* vero in *penicillos* mutare non licet per Poetam illum veterem, qui *Eginharti Historiam* versibus mandavit, & in *Leibnitii Script. Hist. Brunsuic. Tom. I pag. 163* ita canit:

Scribere tentabat. Nam circumferre solebat
Secum cum parvis codicibus tabulas,
Ac ponens ipsas ad cervicalia lecti
Regalis, nunquam fecit abesse sibi.

Digitized by Google

Vides, pro *codicillis*, metro postulante, dixisse Poetam hunc *parvos codices*. Denique nec credi potest, Magnum illum *Carolum*, iam senem, cupiditate incensum fuisse discendæ artis pingendi, tam & laboriosæ, & a regia dignitate alienæ; præsertim cum *Eginhartus*, qui, quos aliarum artium magistros habuerit *Carolus*, accurate docet, nullam pictoris mentionem faciat; quo tamen duce & doctore carere non potuisset, si pictor voluisset fieri, Rex ille maximus. Missam igitur iure maximo & hanc facimus sententiam,

XII. Quam proposuit verborum *Eginharti* interpretationem *Io. Ioachimus Frantzius*, eam iam perspicue confutavit acutissimus *Schminckius*. Connectebat videlicet *Frantzius* ille verba *Eginharti* cum proxime præcedentibus, quibus Astronomiæ admodum studiosus fuisse scribitur *Carolus*, Nunc igitur docere putabat *Eginhartum*, *Carolum etiam tentasse delineare motus astrorum, cæli que imagines, in suis tabulis & codicillis*. Iniuriam vero hic facit *Eginharto*, quem scilicet, si eum his verbis: *tentavit scribere*, inesse voluit sensum, omnium scriptorum ineptissimum fuisse, necesse est. Nimium præterea sibi sumit *Frantzius*, dum Sibyllæ alicuius personam suscipit, sensumque *Eginharto* tribuit ænigmaticum, quem præter se aperire possit nemo. Quis enim præter vatem aliquem ausit hunc in modum interpretari ea, quæ ob oculos habemus, *Eginharti* verba?

XIII.

Digitized by Google

XIII. Accingo me nunc ad memet ipsum refutandum, qui in *Præfatione g*) ad ***Carolinum de imaginum cultu*** opus arbitratus sum, ***ſcribere*** apud *Eginhartum* ſignificare *libros ſcribere*, & hoc ſibi velle hunc Hiſtoricum, in animum induxiſſe *Carolum* aliquid libri componere, ſeque legendum præbere omni poſteritati. Ac ſane verbum *ſcribere* ita uſurpari ſolet ab Auctoribus optimæ notæ. Ecquis ignorat illud *Horatii*:

Scribendi recte ſapere eſt & principium & fons.

Et *Cicero Lib. II de Offic. cap.* 1 vocat ***ſcribendi ſtudium***, quod plenius vocaturus erat ***ſtudium libros componendi.*** Ac ibidem: ***Scribendi otium non erat***, inquiens, indicat, tantum ſibi non fuiſſe otii, ut librum conſcriberet unum atque alterum. Idem in ***Orationis pro Archia tertio Capite***, Poetam hunc, ait, ***ut, primum ex pueris exceſſerit, ſe ad ſcribendi ſtudium contuliſſe.*** Scilicet iam puer *ſcribere* poterat *Archias*; ***libros ſcribere***, idque ſermone ligato, tum demum aggrediebatur, cum e ſchola puerili exceſſerat. Ibidem *Cap. IX* Poetæ cuidam, qui *Syllæ* ineptum ***libellum*** obtulerat, memoratur hic imperator præmium ſub ea conditione tribuiſſe, ***ne quid poſtea ſcriberet.*** Minime vero vetabatur ille Poeta manum exercere ***ſcribendo; libros*** tantum ***ſcribere***, carmina conficere, ei non permittebatur. Eodem modo interpretandus eſt ***Lucceius***, ad ***Ciceronem Lib. V ad Famil. Epiſt.*** 14 ita ſcribens: ***Si ſolitudine delectaris, cum ſcribas, gaudeo.***

g) §. XXV.

Digitized by Google

gaudeo. Ac recte *Manutius* docet, laudari hic *Ciceronem* eo nomine, quod in otio suo scribat libros. E recentioribus *Ciceronis* imitatoribus solum adiungo *Sammarthanum* meum, qui in *Elogiorum Lib. I Cap. 29* refert, *Tiraquellum*, cum munere fungeretur admodum laborioso, *scribendi laborem nunquam remisisse. Unde*, ita pergit, *operosa illa volumina exierunt immortalitate dignissima.* Apparet hinc lucidissime, cum *Carolus* ab *Eginharto* dicitur *tentasse etiam scribere*, verba hæc eo sensu capi posse, ut dicatur consilium cepisse scribendi componendique alicuius libri. Quo minus tamen hic sensus tribuatur *Eginharto*, obstant quædam, quæ illico expromam. Primum enim *Carolus* id fecisse scribitur in itineribus, quoties aliquid otii relinquebatur ipsi a ceteris negotiis. Iam vero, qui librum aliquem componit, ei non convenit opera desultoria, sed certum is multumque tempus labori huic dicare solet. Deinde non quadrant huc subsequentia verba, quibus *manum* dicitur *assuefecisse effingendis literis*; nec, quæ quondam protuli ad ea interpretanda, nunc se mihi probant. Quomodo enim dici potest manum componendis libris assuefacere, qui iam dudum se exercuerat laboribus rhetoricis, & cui proinde labor aliquid scribendi minime erat novus? Libenter igitur discedo a mea ipsius sententia, exemplum iis præiturus, qui & ipsi, non satis diu multumque meditati, in falsam inciderunt de hoc *Eginharti* loco sententiam.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Nondum tamen quieſco, ſed opem nunc tandem circumſpicio criticam. Nec enim unquam iuſtius eſt ad artem criticam perfugium, quam cum e verbis illis, quæ nobis exhibent veteres librarii, nihil ſani ſenſus quantocunque ſtudio exſculpi poteſt. Merito namque tum ſuſpicamur, aliquid per negligentiam vel omiſſum, vel immutatum, eſſe a deſcriptoribus. Ut autem hoc negotium ſuccedat nobis felicius, libet generatim quærere, cuius artis a *Carolo* cultæ nulla fiat ab *Eginharto* in ſuperioribus mentio. Tum experturi ſumus, an de arte illa interpetari commode poſſimus verba illa, quæ adhuc tantum negotii faceſſiverunt viris eruditiſſimis. Aut hac via, aut nulla, ad veritatem illam, quam inveſtigamus, nos perventuros eſſe, ſummo, ni fallor, iure exiſtimo. Iam vero ſatis teſtium habemus, *Carolum* nec poeticæ artis eſſe voluiſſe expertem, & aliquando verſuum nonnihil ſcripſiſſe. Audiamus duos, qui eodem, quo *Carolus*, tempore vixerunt, ipſisque eum viderunt oculis. Alter *Hilpericus* eſt, *Alcuini* diſcipulus, cuius de *Caroli M.* eruditione verſus *Fabricius* exhibet in *Biblioth. medii avi Libro ſexto pag. 488.* Hic laudaturus cum ſolutam, tum ligatam, Principis hujus eloquentiam, adulatoria Poetarum licentia utens, altero facundiæ genere *Homero* eum parem eſſe ſcribit, altero *Ciceroni. Vincit & eloquii*, inquit, *magnum dulcedine Marcum*, id eſt, *Marcum Tullium Ciceronem; atque ſuis* (id eſt, *eius*,) *dictis facundus cedit Homerus.* Alter

eſt

est *Wigbodus*, qui in *Collectionis monumentorum veterum Martenianæ Tomo nono pag.* 296 ita ipsum affatur nostrum *Carolum:*

Atque aliena tuo commendas carmina cantu,

hoc est, si quis tibi carmen offert, vicissim aliquot versus effundis, quibus, quam placeat tibi carmen illius Poetæ, testificaris. Huius generis carmen *Caroli* ad *Paulum Diaconum* inter *Alcuini Opera* exhibetur *pag.* 1720, hoc habens exordium:

Parvula Rex Carolus seniori carmina Paulo,
Dilecto fratri, mittit honore pio.

Plura *Caroli* poematia *Fabricius* profert in *Bibliothecæ* suæ *medii ævi Lib. III pag.* 954 *seq.* sed suspicans, ab *Alcuino* ea esse contexta nomine iussuque *Caroli.* Verum iure refellitur hæc opinio in *Historia literaria Franciæ Tom. IV pag.* 407 & *seq.* ubi hoc potissimum urgetur, quod exstet aliquod *Caroli* ad *Alcuinum* iam senem poema; quod ab ipso compositum fuisse *Alcuino*, dici nequeat. Illud tamen haud ægre concesserim *Fabricio*, *Carolum Alcuino* suos versus subinde commisisse corrigendos. Occurrunt quippe inter versus eius nonnulli, quos limæ subfuisse, facile credas. Sunt autem alii, quos inemendatos, & ita, uti scripserat *Carolus*, relictos, agnoscas sine dubitatione; quales hi, ad *Hadrianum* Papam missi:

Hadriano, summo Papæ, Papæque beato,
Rex Carolus salve mando valeque, Pater.
Præsul Apostolicæ munus hoc sume cathedræ,
Vile foris visu, stemma sed intus habens.

Quo

Quo quidem postremo in versu non *stemma*, sed *schema*, scripsisse Principem, *b*) existimo. Nec minus conveniunt ei, qui magnus Princeps & parvus Poeta fuit, hi versus, exstincto ipso illo *Hadriano* profusi:

Post Patrem lacrymans Carolus hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor; te modo plango, Pater.
Nomina iungo simul titulis, Carissime, nostra;
Hadrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.
Quisque i) legis versus, devoto pectore supplex,
Amborum, mitis, dic, miserere, Deus.

Apparet hinc, sine damno literatæ reipublicæ perire potuisse hos ceterosque *Caroli* versus, nec maiorem ei gloriam eos attulisse, quam suos *Iulio Cæsari*; de quo *Quintilianus* hæc perscripsit in *Dialogo de caussis corruptæ eloquentiæ cap. 21: Fecit & carmina, non melius, quam Cicero, at felicius, quia, eum fecisse*, (hoc est, eum Poetam fuisse,) *pauciores sciunt.*

XV. Iam, cum Poeta etiam fuerit, certe videri voluerit, *Carolus*, credi vix ac ne vix quidem potest, *Eginhartum* id præteriisse silentio. Iure igitur suspicamur, ipsum ea de re verba illa fecisse, quæ nunc ita sunt obscura, ut alii alium ea rapuerint in sensum. Cuius obscuritatis culpam nunc tandem in librarios confero,

b) Nec dubitabis, recte me correxisse, si volueris *Glossarium Dufresnianum* inspicere Voc. *Schema.*

i) *Quisque* hoc ex medii ævi more significat *quicunque.*

Digitized by Google

to, quos vera & germana *Eginharti* verba recitaturos fuisse credo, si ita scripsissent: *Tentabat & versus scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum tempus esset vacuum, effingendis metris se assuefaceret.* Omissum ab eis fuisse *versus*, ut persuadeas tibi, attentior statim efficiet huius loci inspectio. *Tentavit scribere*, inquit. Quid scribere tentaverit, hic non legitur. Ergo id omissum est a descriptore aliquo, quem postero tempore secuti sunt descriptores ceteri. *Versus* autem *scribere* perusitatam veteribus esse dictionem, nemo ignorat. *Scribimus*, inquit *Horatius*, *indocti doctique poemata passim.* Idem *Lib. II Epist. 1 v. 111: Nullos me affirmo scribere versus.* Et *Epist. II v. 54: Melius dormire puto, quam scribere versus.* Cum igitur valde nunc sit credibile, *versus scribere* scripsisse *Eginhartum*, quam proclive est agnoscere, non *literis*, sed *metris*, fuisse in postremis eius verbis! Scilicet *effingendis metris* (*metra* enim illo tempore appellitabantur poemata,) *se assuefecisse Carolum*, ad laudem artis poeticæ adspirantem, dicere debuit; quo eodem modo *Milo*, Seculi noni Poeta, in *Marteniani Thesauri Anecdotorum Tomo primo pag.* 45 ait: *Porphyrius variis quæ pinxit metra tabellis.* Nemo vero, opinor, mirabitur, librarium quempiam *literis* scripsisse pro *metris*. Quanta enim est harum figurarum, horum literarum ductuum, vicinia & similitudo! Quanquam fieri & hoc potuit, ut quispiam, verbum *scribere* interpretans per

Digitized by Google

per *literas pingere*, pro *effingendis metris* rescribere auderet *effingendis literis*. Quod autem *manum* eicci, rescripsique *vacuum*, hanc caussam cape, Lector. Solebant librarii, (id quod etiam *Scioppius* observavit in *Arte critica pag.* 72 & 85,) cum aliquod verbum prius scripsissent, quod scribi debuisset posterius, animadverso suo errore, illud nihilo minus ponere suo loco, nec tamen idem, iniusto antea loco exhibitum, delere; ne scilicet locum illum litura deformaret, suique peccati ipsi se praeberent proditores ac testes. Ac, hunc in modum innumerabilia menda in omne librorum genus irrepsisse, dudum docuit eximius ille Criticus, *Muretus*, *Var. lect. Lib. XV cap. 9*. Iam ad *Eginharti* locum revertor, qui cum scripsisset ita: *cum tempus esset vacuum*, oscitans librarius sic scripsit: *cum vacuum tempus esset*. Ac statim observans, post *esset* demum collocari oportuisse *vacuum*, hic loci & ipsum exaravit, bisque adeo id verbi scripsit. Incidens deinceps hunc in locum Grammaticus aliquis, posterius *vacuum*, retineri videlicet id non posse iudicans, mutavit in *manum*, augensque audaciam, pro *se adsuefaceret* scripsit *manum adsuefaceret*. Σοφῶς scilicet.

XVI. Superest, ut videamus, an &, quae subiunxit istis suis verbis *Eginhartus*, emendationi nostrae non solum patrocinentur, sed eam etiam corroborent. En igitur proxime adiecta ab eo verba: *Sed parum prospere successit*, in-

 quit,

Digitized by Google

quis, *labor praepofterus, ac fero inchoatus.* Dicere nimirum verbis *Ovidii* (*Trift. V*, 12, 33,) poterat *Carolus:*

Saepe tamen nobis, ut nunc quoque, fumta tabella eft,
Inque fuos volui cogere verba pedes.
Carmina (fed) *fcripta mibi funt nulla, aut qualia cernis.*

Vis noffe caufam huius rei? Indicat & hanc *Eginhartus*, laborem hunc *praepofterum* vocans ac *fero inchoatum.* Iuvenilibus fcilicet annis convenit ftudium; longe provectae aetatis homines vanum fufcipiunt laborem, cum gloriam captant artis poeticae. *Mibi iam puero caeleftia facra* (hoc eft, ftudia poetica,) *placebant*, inquit idem Poeta *Trift. IV*, 10, 19, qui & *Lib. V*, 1, 7, ita canit:

Integer & laetus laeta & iuvenilia lufi,

hoc eft, carmina feci. Accidit itaque *Carolo*, quod *Ioanni Mario Catanaeo*, de quo ita in *Elogiis doctorum virorum Paulus Iovius pag.* 147: *Poefis amore iam plane fenex correptus eft, fera & parum ideo felici libidine.* Quibus verbis quam nitida exhibetur verborum *Eginharti* paraphrafis!

VII.

VII.

VOCES ALIQUOT LATINÆ, QUÆ IN LEXICIS VULGARIBUS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

SECTIO II, TERTIUM CONTINUATA.

LAPATHUS. Neutro tantum genere *Lapathum*, non item fœmineo *Lapathus*, a *Fabro* nominari, id quidem ſine nota dimitti non debet. Græcis, unde ad Latinos tranſiit vocabulum, utroque genere, & ἡ λάπαθος, & τὸ λάπαθον, dici, exemplis Auctorum conſtat, ab *Henrico Stephano* in *Theſauro Græcæ linguæ* collectis. Imitati igitur Græcorum morem Romani, eandem in hac voce generis & fœminei, & neutrius, rationem ſervarunt. De genere fœmineo dubitare non ſinit *Columella de Re ruſt. Lib. X v. 373:*

Lubrica *iam* lapathos, *iam Rhamni ſponte vireſcunt.*

Simile exemplum eſt *Lucilii* illud, *Columella* antiquioris Poetæ, in verſu, quem *Tullius* adduxit *Lib. II de Fin. cap. 8:*

O lapathe, *ut iactere neceſſe, cognitu' cui ſis.*

LATIAR. Eſt locus in *Tullii Lib. II ad Quintum Fratrem Ep. 4*, quem mire corruperunt imperiti Latinæ linguæ & antiquitatis interpretes.

Digitized by Google

In antiquioribus libris & editionibus ita exscriptus est: *De Tullia nostra, tui mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi: ceterum qui confectum erat.* Latiar *erat exiturus.* Vexavit hic locus, tanquam prorsus inexplicabilis, interpretes, etiam principes, & qui in his rebus acutissime videre solent. Offenderunt hi nempe in illo *Latiar*, nec nomen, nec rem ipsam, habentes cognitam. Itaque *Manutio* legendum videbatur: *Ceteroqui confectum erat* Latiare. *Erum exiturus;* vel: *Confectum erat*, (scil. *opus sponsaliorum Crassipedis & Tulliæ,*) *Luceius erat exiturus. Lambinus* legere nos iussit: Latiari *erat exiturus. Barthius* autem, *Latiar* in *lætior* transformans, ita legit verba *Advers. Lib. XXXVIII cap. 7: Ceterum quasi confectum erat. Lætior erit exitus*, vel *Lætior eram exiturus.* Levia hæc omnia, & a mente *Ciceronis* alienissima. Bene se habet, nec emendatione ulla indiget, vulgata lectio, si ita interpungantur verba, ut factum est a *Io. Frid. Gronovio*, Criticorum principe, qui nodum hunc plana & facili explicatione solvit in *Observat. Lib. IV cap. 25*, ita hæc legens: *Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi: ceterum, qui confectum erat Latiar, erat exiturus.* Sensum igitur verba postrema hunc habent, *scriptam esse epistolam die illo, quo confectum erat Latinorum solenne, exeunte.* Nimirum *dies, annus, exit*, satis usitata priscis Auctoribus formula est. *Qui*, singulari ratione, dicitur pro *quo*. Eodem modo *Tullius Lib. XI ad Att. Ep. 11:*

Quare

Digitized by Google

Quare id quoque velim cum illa videas, ut sit, qui *utamur;* & *Lib. XIII ad Attic. Ep. 23: Magis enim doleo, me non habere, cui tradam, quam habere,* qui *utar.* Etiam *Plautus* in *Trinum. II, 2, 74: Deum virtute habemus, &* qui *nosmet utamur, pater, & aliis,* qui *comitati simus, benevolentibus.* Addo *Ennium* in *Fragmento Hecubæ,* quod *Nonius Marcellus* servavit in Voc. *Miserete: Miserete manus, date ferrum,* qui *me anima privem.* Similiter in loco *Livii Lib. I cap. 43: Et* quibus *equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent,* pro *quibus* legendum *qui* eidem, quem dixi, *Gronovio* videtur. De formula, *Latiar confectum,* hoc notat *Gronovius,* nihil hanc differre a simili *confectæ Latinæ,* quæ *Lucani* est *Lib. I v. 550:*

- - *& ostendens* confectas *flamma* Latinas;

& *Lib. V v. 402*

Vidit flammifera confectas *nocte* Latinas.

Latiar igitur *Gronovio* idem est, quod *solenne Latinarum,* aut ipsæ *Latinæ,* scil. *feriæ.* Quam vocis vim, non deerunt fortasse, qui firmatam inprimis veterum Auctorum exemplis cupiant. A *Gronovio,* quod miror, exemplorum nihil additum. Non leve igitur *Gronovianæ* illi verborum *Ciceronis* explicationi pondus accedet, si usum vocis ostendero ex loco *Macrobii Saturnal. Lib. I cap. 16,* cuius mihi indicium fecit *Lud. Cal. Rhodiginus Lect. antiq. Lib. XXVIII cap. 24.* Ita nempe *Macrobius: Nam, cum* Latiar, *hoc est,* Latinarum sollemne, *concipitur, item diebus Saturnaliorum, sed & cum mundus*

patet, nefas est prælium sumere. Hæc enim vera est lectio, quam tuentur optimi quique editores; neque adeo labe carent recentiores quidam Codices, in quibus pro *Latiar* corrupte scriptum est *Latiarum.* Nec inusitata priscis Romanis huius vocis forma est, efficta eodem modo, quo *Palatuar,* notans *sacrificium, quod fit Palatio,* ut patet ex *Festi Lib. XVII: Palatium, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur.*

LATRIA. Recentioris ætatis Scriptoribus, maxime sacris, familiare vocabulum; quibus caput & antesignanum dabimus *Cassiodorum,* utentem hac voce pro *cultu, servitute,* in libri *de Amicitia cap. 36: Indignans ergo, divitiis aut deliciis temporalibus quosdam* latriam *exhibere.*

LEGIONARIVS. Vocis huius eadem, quæ similis *alarius,* supra a me notatæ, ratio est, nec male feceris, si, hanc origine sua adiectivam esse, sed usu Auctorum transiisse ad Substantiva, dixeris. Nam, quod vocem hanc veteres haud raro absolute, non addito *miles,* aut simili vocabulo, posuerunt, hoc ipso factum est, ut naturam hæc acceperit Substantivi, quam non habuisse antea videtur. *Cæsaris* hæc sunt *de Bel. Gal. Lib. VI cap. 33: Ut potius in sylvis Gallorum vita, quam* legionariorum, *periclitaretur; de Bel. Civ. Lib. I cap. 78: Frumenti copiam* legionarii *nonnullam habebant; Lib. II cap. 8: Est animadversum ab* legionariis, *qui dexteram partem operis administrabant; Lib. III cap. 63:* Legionarii, *inferioris munitionis defensores, scalis admotis,*

Digitized by Google

admotis, - - *terrebant*. Similia sunt *Hirtii de Bel. Alex. cap.* 29: Legionarii *flumen transmiserunt*. *Eod. Lib. cap.* 60: *Aggressus equitatu* legionarios, *se recipientes*. *De Bel. Afr. cap.* 6: *Subito* legionarii *consistunt*; *Cap.* 15: *Omnibus* legionariis *ab hostium equitatu circumventis*; *Cap.* 16: *Nonnunquam* legionarios *Cæsaris ita appellare*; *Cap.* 18: Legionarios *conversis equitibus se recipientes novissimos adoriri*; *Cap.* 19: Legionarii*que pauci perturbati*; *Cap.* 5: *Cum ex improviso* legionarios *adortus esset*; *Cap.* 52: *In* legionarios *impetum fecerunt*; *Cap.* 69: *Sarcinas* legionarios *in acervum iubet comportare*. - - *In Cæsaris* legionarios *impetum faciunt Numidæ*; *Cap.* 70: *Iacula in* legionarios *coniiciebant*. *De Bel. Hisp. Cap.* 10: *A vernaculis* legionariis *exceptus est*, & *interfectus*; *Cap.* 24: *Nam ceciderunt* - - *ex* legionariis *CXXXVIII*; *Cap.* 25: *Vociferantibus* legionariis. Addo his *Livii* loca *Lib. XXVI Cap.* 48: *Sociis C. Lælius, præfectus classis*, legionariis *M. Sempronius Tuditanus aderat*; & *Lib. XXVIII Cap.* 3: Legionarii *ceteras partes pervadunt*. His ex *Tacito* pauca accedant, cum plura possint: *Annal. Lib. VI Cap.* 41: *Cum quatuor millibus* legionariorum, & *delectis auxiliis, missus*; *Lib. XIV cap.* 26: *Additum & præsidium mille* legionarii; *Cap.* 34: *Igitur* legionarius *frequens ordinibus*, - - *pro cornibus eques adstitit*; *Lib. XV Cap.* 11: Legionarios *obtrivit*; *Hist. Lib. II Cap.* 22: Legionarius *pluteis & cratibus tectus subruit muros*, &c. *Lib. II Cap.* 68: *Postquam* legionarius *procide-*

 rat;

Digitized by Google

rat; Lib. IV Cap. 30: Simul a legionariis *peritia & arte præstantibus plura statuebantur.* Alia vel indicasse sufficiat: *Annal. Lib. XII Cap. 35, Lib. XIV Cap. 38, Hist. Lib. II Cap. 69, Cap. 94, Lib. III Cap. 18, Lib. IV Cap. 18,* & *20,* & *70.*

LEGUMLATOR. A *Fabro* & poterat, & debebat, observari, non *legislator* tantum, (huic enim voci locum in *Lexico* dedit,) sed etiam *legumlator*, apud Auctores antiquos inveniri. Habet certe hac forma vocabulum *Livius Lib. XXXIV Cap. 31: Noster* legumlator *non in paucorum manu rempublicam esse voluit, quem vos Senatum appellatis.* Nec, si fieri ex *legis* & *lator* una vox potuit, ulla ratio apparet, cur non similiter coniungi *legum* & *lator* possint.

LEVIGO, *are.* Ut *lævigare Varroni, Columellæ, Plinio*, & aliis, idem est, quod *levem facere, polire;* sic *levigare* pro *levem facere Cassiodoro* dicitur in libri *de Amicitia Prologo §. 33: Optima enim medicina est homini homo: qui eius remediatur adversis, qui eius condescendit incommodis, qui gravia* levigat, *qui amici onera quasi iniuncto humero simul portat.*

LIBERTINUS, *a, um.* Nolim dubites, in adiectivis hoc vocabulum ponendum, etsi nihil huius rei te *Faber* doceat. Manifesta Auctorum loca sunt, nec ea numero pauca, sed quæ sufficere possint rei huic extra omne dubium ponendæ. *Livius Lib. XXXIX Cap. 13: Ne* mulieris libertinæ *cum amatore sermonem in rem non seriam modo, sed capitalem etiam, verti vellet;* *Lib.*

Lib. XLII cap. 27: Socios navales libertini ordinis *in viginti & quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius Prætor scribere iussus;* & *Lib. XLIII Cap. 12: In classem mille socii navales cives Romani* libertini ordinis *ex Italia scribere iussi. Tacitus Annal. Lib. II Cap. 85: Factumque patrum consultum, ut quatuor millia,* libertini generis *ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur; Lib. IV Cap. 62: Atilius quidam* libertini generis, *quo spectaculum gladiorum celebraret,* &c. & *Lib. XV Cap. 57: Clariore exemplo* libertina mulier *in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo,* &c. Ipse etiam *Tullius* in *Or. Catil. III Cap. 6: Atque idem hoc decretum est -- in P. Umbrenum,* libertinum hominem, *a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat.* In *Or. pro P. Sext. cap. 45: Sunt municipales rusticique Romani: sunt negotia gerentes: sunt etiam* libertini optimates. Denique in *Or. pro L. Corn. Balbo Cap. 11: Neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro,* libertino homine, -- *ad populum latum,* &c.

LITERULA. *Fabro* non nisi plurali numero *literulæ* nominantur. Nec ab eo dissentirem facile, si vocis huius significationes, quam quas ponit ipse, aliæ nullæ essent. Hac enim primo *epistolam brevem*, deinde *studia*, notari ait. Ut igitur *epistola*, & *studia*, non *litera*, sed *literæ*, dicuntur; sic ducta inde diminutiva vox recte plurali numero effertur. At recte etiam huic voci tertiam significationem tribuas, qua

elementum minutum, parvam syllabæ partem, notat. Habent enim hanc duo *Ciceronis* loca, nemini, qui hunc legit, fortasse ignota; alter *Lib. XVI ad Div. Ep. 15: Accepi tuam epistolam vacillantibus* literulis; *nec mirum, tam gravi morbo;* alter *Lib. IV in Ver. cap. 43: Signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femine*, literulis *minutis argenteis, nomen Myronis erat inscriptum.* Atque hæc significatio certissime mihi persuadet, vocem hanc diminutivam illo, quem dixi, sensu, non plurali tantum, sed singulari etiam, numero usurpari. *Literam* enim, non *literas, elementum* esse, satis omnes sciunt; nec ratio apparet, cur alia esse diminutivæ vocis, quam est eius, unde illa ortum duxit, forma putetur.

LONGITURNITAS. Ad barbaros reiicitur hoc vocabulum a *Vossio de Vit. serm. Cap. 21*, nec is alium Auctorem nominare scivit, quam vulgatum Scripturæ interpretem, qui eo usus est *Baruch. Cap. III v. 14: Ubi sit* longiturnitas *vitæ.* Ego vero, etsi longe ab eo absum, ut in civitatem Romanam, huius quicquid est vocabuli, asserendum putem; meliorem tamen, quam *Vossius* attulit, Auctorem, *Cassiodorum*, dabo, cuius hæc sunt in libri *de Amic. Cap. 57: Scriptum autem: In sinistra eius divitiæ & gloria, & in dextra eius* longiturnitas *vitæ.*

LUBRICITAS. Est huius etiam vocabuli ad *Cassiodorum* origo referenda. Sic ille in libri *de Amicitia Cap. 22: Nunc est nobiscum, nunc*

alibi

alibi, nunc avolat, nunc recurrit, & in sola lubricitate *manens, in nulla unquam sui soliditate subsistit.* Melioribus Auctoribus ignotum est vocabulum, pro quo illi dicere *lubricum* solent.

MALA. Si *Fabrum* evolvas, vocem hanc non singulari, sed plurali, numero expressam videas. Inde, persuasum fuisse viro bono, colligas, prorsus incognitum Auctoribus antiquis singularem numerum fuisse. A quo ut caveas errore, quisquis magistro uteris *Fabro*, vel unum accipe *Horatii* locum *Lib. II Od.* 19 *v.* 24:

Rhœcum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala.

Nec dubito, plura passim exstare, sed quæ vestiganda aliis relinquo.

MASTICHE. Illa arboris lentisci gutta, quæ nonnullis, & in his ipsi *Fabro*, *mastix* dicitur, Auctorum antiquorum plurimis *mastichen* vocari video. Exempla adduxisse ex duobus, *Plinio* & *Scribonio Largo*, sufficiat. Ille *Lib. XII cap.* 17: *Ergo transit in* mastichen, *quæ & ex alia spina fit in India, itemque in Arabia: lamam vocant. Sed* mastiche *quoque gemina est: - - - vix ut dignosci possit a* mastiche *vera; Lib. XIV cap.* 20: *In Oriente optimam tenuissimamque terebinthi fundunt: deinde lentisci, quam &* mastichen *vocant:* &c. Et paulo post: *Diligentiores admiscent nigram* mastichen, *quæ in Ponto bituminis similis gignitur,* &c. *Lib. XX cap.* 23: Mastiche *cardui odorem commendat oris. Lib. XXI cap.* 11: *Huius vertex summus lachrymam*

Digitized by Google

continet iucundi saporis, acanthicen mastichen *appellatam. Lib. XXII cap. 18: Hoc, ut* mastiche, *utuntur mulieres;* & *cap. 22: Habet proximam terræ* mastichen *tuberculo fabæ*, &c. *Lib. XXIV cap. 7: Item* mastiche *lentisci replicandis palpebris, & ad extendendam cutem in facie, & smegmata, adhibetur*, &c. & *cap. 14: Nervus eius cum* mastiche *Chia commanducatus os purgat.* Hic autem in *Composit. med. Cap. XI §. 60: --* mastiches *Chiæ pondo uncia, salis ammoniaci pondo sescuncia; Cap. 24 §. 108: Contunditur tragacanthum cum radice: postea* mastiche *adiicitur; & Cap. 25 §. 110: Recipit autem hæc: - -* mastiches *Chiæ*, &c. Et hæc quidem forma vocabulo a Græcis petita est, quibus *μαςίχην* vocari *lentisci guttam*, satis vel ex *Theophrasti Hist. plant. Lib. IX cap. 1* constat.

MERCENARIVS. Quod supra de vocibus *Alarius* & *Legionarius* a me dictum est, idem nunc de voce *mercenarius* notari meretur, non hanc annumerari adiectivis tantum, sed vel maxime substantivis etiam, debere. Apertior ex ipso *Cicerone* res est, quam ut, quidquam hic coniecturæ a me dari, existimare aliquis possit. Ipsa loca inspice, ut iudicare possis: in *Or. pro L. Flacco cap. 30: Polemocratem scripsisti*, mercenarium *& administrum consiliorum tuorum.* In *Or. pro A. Clu. cap. 59: Est hic Ennius egens quidam calumniator*, mercenarius *Oppianici, qui permultos annos quievit.* In *Or. pro P. Sext. cap. 38: Nam illi quidem morte* mercenarii sui *transferre potuissent invidiam, in quos*

putabant,

Digitized by Google

putabant, &c. *Lib. I de Offic. cap. 42: Illiberales autem & sordidi quæstus* mercenariorum, *omniumque, quorum opera, non quorum artes, emuntur. Eod. Lib. cap. 13: Est autem infima conditio & fortuna servorum: quibus, non male præcipiunt, qui ita iubent uti, ut* mercenariis. *Ciceroni* alios iungo: *Plautum* in *Pœn. Act. II v. 55:*

In hunc diem iam tuus *sum* mercenarius;

Terentium in *Adelp. IV, 2, 2:*

Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri;

Iustinum Lib. XXVII cap. 2: Auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis *iungit; Marcianum*, ICtum, *l. 11 §. 1 ff. de Pœnis: Furta domestica, si viliora sunt, publice vindicanda non sunt, nec admittenda est huiusmodi accusatio, cum servus a domino, vel libertus a patrono, in cuius domo moratur, vel* mercenarius *ab eo, cui operas suas locaverat, offeratur quæstioni*; denique *Ulpianum l. 1 §. 20 ff. de Vi & vi armata: Si filiusfamilias, vel* mercenarius, *vi deiecerit, utile interdictum competit.*

MERETRICABILIS, MERETRICARIUS. Quod *meretricius* melioribus Auctoribus, idem *meretricabilis* & *meretricarius Cassiodoro* notant. Altero is utitur in libri de *Amicitia Cap. 22 §. 46: Donanti quidem iniuriam facis, immo &* meretricabili *turpitudine dehonestas, si recipis dona*, &c. altero in eiusdem libri *Prologo §. 55: Sic more* meretricario *divaricat pedes suos*, &c.

MEU.

MEU. Quam *Faber* ex *Plinii Hist. nat. Lib. XX cap. 23 Meam* vocavit plantam, eadem *Scribonio Largo* vocatur *Meu.* Loca huius duo sunt: alter in *Compos. med. Cap.* 42 §. 169: *Ratio componendi haec est: Opobalsami* - - meu *Cretici*, &c. Ubi malle se *mei*, *Io. Rhodius* in *Notis* ait, quod *Dioscoridi Lib. I cap.* 3 planta haec μεῖον appelletur. At emendationi huic repugnat alter locus *Scribonii eod. Cap.* §. 170: *Antidotos Mithridatis recipit haec*: Meu * *pon. duum*, &c. Aut igitur utrique loco falcem criticam adhibebis, aut peculiarem hanc *Scribonio* appellandi rationem relinques.

MILICHUS. Magis constat, inter Graecos Deum aliquem Μείλιχον dici, quam hunc ipsum a Romanis *Milichum* appellatum. Nihil certe hac de re *Faber*, nihil ceteri, quicunque Lexica condiderunt; etsi his familiare sit, Deorum, quos celebravit antiquitas, nomina colligere. Iam igitur Deum *Milichum* ex versu *Silii* cognoscas *Lib. III v.* 104:

> Milichus *indigenis late regnaret in oris,*
> *Corrigeram attollens genitoris imagine frontem*, &c.

MIMUS, *a*, *um*. Etiam adiectivis aggreganda est haec vocula, si recte se habet lectio verborum *Auctoris ad Herennium Lib. III cap.* 14: *Sin erit sermo in iocatione, leniter tremebunda voce, cum parva significatione risus, sine ulla suspicione* mimae cachinnationis, *leniter oportebit a sermone serio torquere ad liberalem iocum vocem.*

Digitized by Google

tem. Hic enim *mima* legi in MStis libris, *Is. Verburgius* testatur, qui & hoc ipsum in contextum recepit. Nec mihi dubium videtur, menti Auctoris rectius hoc *mimæ*, quam, quod vulgo legitur, *nimiæ*, convenire.

MOEREOR. De usu verbi *mœrere* nemo dubitat. Sed, esse etiam passivi *mœreor* eandem, quam activi, significationem, atque adeo hoc *mœreor* referri inter deponentia debere, nusquam observatum memini. Observare tamen hoc licet ex loco *Ciceronis* in *Or. pro P. Sext. Cap.* 39: *At nondum erat maturum; nondum res ipsa ad eiusmodi præsidia viros bonos compellebat; pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, sed tamen non sine ista; vos taciti* mœrebamini. Ita legit post alios *Verburgius*, &, ita legi in omnibus libris MStis, ipse, qui *mœrebatis*, aut *mirabamini*, legi mallet, *Lambinus* testator. Qui MStorum Codicum consensus tantum apud me valet, ut ab hac lectione, etiamsi complures editores *mirabamini* legant, & ipse *Grævius* pro *mœrebamini* reponat *mœrebatis*, minime discedendum putem; inprimis cum eodem verbo usum appareat *Martium*, Poetam veterem, in versu, quem *Varro de Ling. Lat. Lib. VI* adducit:

Corpora Graiorum mœrebar *mandier igni;*

in quo temere MStorum Codicum fidem a *Lambino* sollicitari, recte ab *Abramio* notatum est. Præterea, ne cum *Grævio* verbum *mœreor* inusitatum, & librariorum vitio in

in loco *Ciceronis* corruptum, putem; certus & vulgaris vocabuli *mæstus*, quod est ipsum præteritum passivi *mæreor*, usus, eiusdemque vocabuli significatio activa, me prohibet; quam si negare non potes, vel maxime fatendum etiam illud est, ipsum verbum *mæreor*, unde ductum est *mæstus*, nec incognitum fuisse antiquis, nec excludi temere Latinarum vocum numero debere. Hoc ipsum nec *Grævio*, nec ceteris, qui verbo *mæreor* locum in Latio concedendum negant, viris doctis, succurrisse, miror.

MULTIGAVATUS, *a*, *um*. Quærentes hanc vocem in *Thesauro Fabri* inter composita vocis *Cavus*, hic, eam quæri debere inter composita vocabuli *Multus*, docentur; quem progressi in locum, redire ad vocem *Cavus* iubentur, mire adeo delusi in utroque loco. Negligentiæ hoc peccatum est, cuius exempla in *Thesauro* passim obveniunt. Mihi de voce *Multicavatus* hoc est cognitum, vere Latinam esse, & *Varroni* usurpatam, *favum* dicenti *multicavatum*, quod is *multas habeat cavitates*. Verba Auctoris huius sunt *de R. R. Lib. III cap.* 16 §. 24: Favus *est*, *quem fingunt* multicavatum *e cera*, *cum singula cava sena latera habeant*, *quot singulis dedit natura.* An præter *Varronem* voce hac alius Auctorum veterum sit usus, tu, Lector, fortasse me ipso melius nosti.

MULTICAVUS, *a*, *um*. In hac voce similiter, ut in altera *Multicavatus*, peccatum est a *Fabro*, bis eam, non explicante, sed nominante tantum. Faciam igitur, quod facere *Faber* debe-

Digitized by Google

debebat, &, usum hoc voce *Ovidium*, docebo, *Met. Lib. VIII v. 561:*

Pumice multicavo, *nec levibus atria tophis*
Structa subit; &c.

Ubi *pumicem* Poeta dixit *multicavum*, quod variæ in eo passim cavitates appareant. Patet igitur, utriusque vocis, *multicavus* & *multicavatus*, significationem prorsus eandem esse.

NEMORICULTRIX. Rarioris, etsi non inusitatæ prorsus, formæ vocem damus, usurpatam *Phædro II, 4, 3:*

Sus nemoricultrix *fœtum ad imam posuerat.*

Proba lectio, quam *Praschius*, *Faber*, *Heinsius*, & *Burmannus*, tuentur. Alii contra fidem Codicum, nec urgente necessitate ulla, *nemoris cultrix* legunt. Sed hi audiendi hoc minus sunt, quo facilius creditu est, non eos vocem probam & Latinam abiecturos fuisse, si illud *silvicultrix*, quod est *Catulli LXIII, 72*, & simile *pietaticultrix*, quo *P. Syrus* apud *Petronium* in *Satyric. Cap. 55* utitur, habuissent cognitum, quippe quarum vocum & formam eandem, & eandem esse significandi rationem, quæ est *Phædrinæ nemoricultrix*, apparet.

NIGRUM. *Substantivi* naturam habet hoc vocabulum in versu *Ovidii Lib. I Art. amat. 291:*

Forte sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ
Candidus, armenti gloria, taurus erat:
Signatus tenui media inter cornua nigro;

ubi *nigrum* dicitur pro *nigra macula.* In nonnullis libris antiquis pro *nigro* legi *virga*, & in

Digitized by Google

uno Vaticano *gyro, Nic. Heinsius* testatur, sed qui, nil mutandum, addit, quod *nigrum* hic non aliter dicatur, ac *album* apud eundem *Ovidium Metam. III, 221*:

Et nigram medio frontem distinctus ab albo
Harpalos;

& apud *Virgilium Georg. III, 56*:

Nec mihi displiceat maculis insignis & albo,
Aut juga detrectans.

NVLLVSDVM. Cum voculis, *hauddum, adhucdum, nihildum*, & eiusdem formæ aliis, locum in Lexico suo *Faber* dederit; non video, cur hoc exulare similem *nullusdum*, qua notatur *adhuc nullus*, iusserit. Non enim hanc in adeo inusitatis ponendam esse, tria loca *Livii*, & unus *Asconii*, docent. Et *Livii* quidem hæc sunt: *Lib. VII Cap. 33*: *Atrox cædes circa signa Samnitium, fuga ab* nulladum *parte erat. Lib. IX Cap. 12*: *Adeoque*, nullodum *certamine inclinatis viribus, post Caudinam pacem animi mutaverant, ut* &c. Et *Lib. XXIX Cap. 12*: Nullasdum *in Asia civitates socias habebat populus Romanus.* Ubi pro vulgari *nullas tum Rhenanus* reposuit *nullasdum*, &, emendationem hanc firmari fide plurimorum Codicum, Cel. *Drackenborchius* testatur. Idem *Drackenborchius*, familiarem *Livio*, voculam *dum* aliis iungendi, rationem esse, variis exemplis in *Nota ad Lib. XXXIX Cap. 12* docuit. Superest, ut *Asconii* locum proferam, qui est in *Argum. Orat. Cic. pro Milone*: *Mense Januario* nullidum *neque Consules, neque Prætores, essent.*

NVPTI-

NVPTIALIA. Nomen hoc, aut Substantivum, aut Substantivi saltem vim habens, in loco *Valerii Maximi* legitur, notans hic, *quicquid pertinet ad nuptias*, aut ipsas *nuptias*. Est ille locus *Lib. I Cap. 5* §. 4: *At Cacilia Metelli, dum sororis filia, adulta atatis virgini, more prisco, nocte concubia* nuptialia *petit, omen ipsa fecit.* Singularis formula, *nuptialia petere sororis filia*, quam recte explicat *Vorstius: petere a Diis, ut sororis filia sponsus & maritus designetur.* Aliis verbis rem eandem *Cicero* expressit *Lib. I de Div. Cap. 46: Cum vellet sororis sua filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa.* Nimirum hic antiquis mos fuit, ut omen a Diis peterent, unde intelligere liceret, quales liberis, aut cognatis, mariti exspectandi essent. Inde etiam *auspices nuptiarum* dicti, quorum erat, de nuptiis responsa dare. Sed mos ille iam exoleverat ætate *Valerii*, qui adeo, factum hoc fuisse *more prisco*, ait. Quin diu ante ipse *Tullius Lib. I de Div. Cap. 16, quod etiam nunc*, inquit, *nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent.* Exspiraverant igitur cum re ipsa formulæ solennes, in quarum numero si hanc ipsam, *petere nuptialia*, reponas, nihil repugnabo. Vocem *nuptialia*, præter hunc *Valerii* locum, nusquam alibi legisse me memini.

NVTRITVRA. Cuius generis & pretii vocabulum sit, haud difficile existimabis, si autorem eius *Cassiodorum* scias. Huic *nutritura* idem est, quod *nutricatus*, in libri *de Amicitia Cap. 35*

§. 4 : *In quibus qui proximitate naturæ, vel humanitate officii, vel beneficio* nutrituræ, *nos tangunt, interiora committimus.*

OCTOPHOROS. Facit Substantivum *Faber Octophorum*, suum hic, ut solet plerumque, *Stephanum* secutus. Satisne vero in eo accurate fecerit, vix dicere ipse sciat, omni certe, ita formandi vocem, ratione destitutus. Nihil enim fuit, quod magis persuaderet, *octophorum*, quam *octophorus*, dicendum. Quicunque usi sunt hac voce veteres Auctores, *Suetonius*, *Apulejus*, *Martialis*, & ipse *Tullius*, vocem hanc non nisi casu sexto usurparunt, qui æque esse ab *octophorus*, ac ab *octophorum*, potest. Nec vero certiora ex Scriptoribus Græcis discas, quorum nulli usurpatam fuisse hanc, ortu licet Græcam, vocem, inde colligo, quod in Lexicis Græcis plane eam prætermitti videam. A *Scheffero* certe *Lib. II de Re vehic. Cap. 5*, & *Pitisco* in *Notis ad Suetonii Calig. Cap. 5*, casus rectus vocis formatur *octophoros*, nec, cur male ita formatum putem, causam video. Mihi, si quis locus detur coniecturæ, potius in Adiectivis, quam Substantivis, ponendum, quicquid huius est vocabuli, videtur. Sustinet sane hanc coniecturam *Ciceronis* locus *Lib. V in Verr. Cap. 11*, ubi Adiectivi naturam habere hoc vocabulum, nemo facile dubitet. Verba *Tullii* hæc sunt: *Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus,* lectica octophoro *ferebatur; in qua pulvinus erat pellucidus.* Quod vero alii Scriptores nuda

nuda voce *octophorus*, non addito *lectica*, utantur, id sive ellipsi quadam, satis usitata antiquis, sive quod soleant plerumque Adiectivorum neutra naturam Substantivorum induere, factum existimari potest. Eadem prorsus ratio est vocum *tetraphorus* & *hexaphorus*, quas recte inter adiectivas ponas cum *Vitruvio*, *phalangarios tetraphoros*, *hexaphoros*, commemorante *Lib. X Cap. 8*.

OMNIPERITVS, *a*, *um*. In *C. Pedonis Albinovani Elegia in mortem Maecenatis*, quae est in numero coniunctim editarum *secunda*, *versu 110* olim legebatur:

Viscera directi mutaverat arietis agno
Aeetis succis omne perita *suis*.

Qua in lectione cum macula carere non videretur illud *omne perita*, quod vix exempla inveniri possent vocis *peritus* cum casu quarto coniunctae, nec facile haec forma, nisi ex ratione sermonis Graeci, defendi posset; pro *omne perita* legendum *omniperita*, non infeliciter coniecit *Claud. Salmasius* in *Exercit. ad Solinum pag. 838*, eandem in hac voce elegantiam formae, quam in similibus, *omnipotens*, *omniscius*, *omniparens*, *omnifarius*, *omnivalens*, agnoscens. *Salmasium*, etsi eo ne nominato quidem, secutus est *Jos. Scaliger* in *Notis ad* hunc *Pedonis* versum, idem esse hoc *omniperitus*, quod Graecorum πολυΐδρις, scribens. Nec huic soli, sed post eum *Theodoro* etiam *Gorallo*, (*Io. Clerico*,) editori *Elegiarum trium Pedonis*, se proabvit illa con-

iectura; qui, cum vocem *omniperita* minime dubitaverit in contextum recipere, hoc ipso effecit, ut eidem deinde locus concedi in ipsis Latinæ linguæ Lexicis possit.

ONERARIA. Eodem iure, quo *actuaria*, *quadriremis*, *quinqueremis*, & voces similes, nominatæ sunt in Lexico, nominari etiam *oneraria* merebatur, licet ortu suo, quod facile concesserim, in Adiectivis numeranda. Intelligitur enim in hac voce nomen Substantivum *navis*, quo per ellipsin omisso, ipsa *oneraria* naturam Substantivi accepit. Amat hanc ellipsin præ aliis *Livius*; plerumque *onerarias*, rarius *onerarias naves*, habens, secus ac ceteri Scriptores, quorum nullus mihi est cognitus, cui absolute *oneraria* dicatur. E re igitur Lectorum videtur, illa, quæcunque sunt, loca *Livii* in medium afferri. Sunt autem hæc: *Lib. XXV Cap. 27: Bomilcar vela in altum dedit, missisque nunciis Heracleam, qui* onerarias *retro in Africam repetere iuberent, ipse, Siciliam prætervectus, Tarentum petit.* Ubi habere aliquos Codices *onerarias naves*, sed meliores delere τὸ *naves*, nos docet *Io. Frid. Gronovius* in *Notis*, ipse sibi, illud *naves* esse insititium, persuadens. *Eod. Lib. Cap. 31: Cum ante lucem portum intrasset,* onerarias *frumento onustas cepit. Lib. XXVI Cap. 41: Classem* onerariasque *ostium inde Iberi fluminis petere iubet.* Habent & hic Codices nonnulli *naves*, sed, hoc ex glossa additum esse, non dubitandum putat *Drackenborchius. Lib. XXX Cap. 24: Cn. Octavio ducentis* onerariis, *triginta*

ginta longis navibus, ex Sicilia trajicienti, non eadem fortuna fuit. *Eod. Lib. Cap.* 36: *Nuncio allato, P. Lentulum cum quinquaginta rostratis, centum* onerariis, *cum omni genere commeatus, ad Uticam accessisse.* *Lib. XXXIV Cap.* 51: *Et L. Quinctio fratri, legato & praefecto classis, scribit, ut* onerarias *ex omni Graeciae ora eodem contraheret.* *Lib. XXXV Cap.* 37: *Inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum, & Thoas ducentos equites,* onerarias *leves ad triginta, habebat.* Ubi Codices nonnulli addunt *naves*, sed, id factum librariorum vitio, contendit *Gelenius*, meliores quosque Codices testatus. *Eod. Lib. Cap.* 43: *Ducentae* onerariae *cum omnis generis commeatu - - sequebantur.* *Lib. XXXVI Cap.* 7: *Sequantur classem* onerariae *cum commeatibus.* *Lib. XXXVII Cap.* 14: *Quod eam oram maris infestam* onerariis *regiae naves excursionibus crebris ab Hellesponto atque Abydo facerent.* Et paulo post: *Se in animo habuisse tota classe Ephesum petere, &* onerarias *ducere multa saburra gravatas*, &c. *Eod. Lib. Cap.* 27: *Id erat horreum Romanis; eoque omnes ex Italia missae* onerariae *dirigebant cursum.* *Lib. XLII Cap.* 48: *Ibi stetit classis, simul opperiens, ut terrestres copiae trajicerentur, simul ut* onerariae, *ex agmine suo per altum dissipatae, consequerentur.* Denique *Lib. XLIV Cap.* 28: *Cognito deinde, in latere altero quinquaginta* onerarias *suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius praeerat, inclusas esse*, &c.

OPIUM. Adducitur quidem hoc vocabulum a *Fabro*, sed, quod idem est ac non adducere, nulla Scriptorum veterum auctoritate firmatur. Ne igitur hoc ipsum ad barbara, & priscis Auctoribus incognita, reiiciatur, operæ pretium fuerit, vel ex *Plinii* aliquot locis huius vocis, ex Græco ὄπιον exortæ, apud Latinos usum ostendere. Princeps omnium locus est *Hist. Nat. Lib. XX Cap. 18; Papaveris vero largus densatur, & in pastillos tritus in umbra siccatur, non vi soporifera modo, verum, si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnos*: opion *vocant.* His alia nonnulla addo: *Lib. XX Cap. 17: Venena* opii *& quasi exstinguit decoctum, si cum cinere in vino bibatur. Eod. Lib. Cap. 18: Experimentum* opii *est primum in odore*, &c. & *Cap. 19*: Opium *ex vino meraculo si protinus detur, scorpionum ictibus resistit. Lib. XXI Cap. 31: Quin & alterum genus, quod halicacabon vocant, soporiferum est, atque etiam* opio *velocius ad mortem*, &c. *Lib. XXV Cap. 11: Bibitur & hac* (Artemisia) *ex vino adversus* opium. *Lib. XXVIII Cap. 19: Fel taurinum cum* opio *appositum obolis binis.* Et post: *Modum statuunt fellis pondere denarii*, opii *tertia*, &c. & *Lib. XXXI Cap. 10: Bibitur & contra* opium *ex aceto mulso.* Nec de *opio* Medici veteres tacent; ex quibus *Scribonius Largus* in suo *Compositionum medicarum* libro integrum *Caput* habet *48, ad Opium* inscriptum. Huius principium est: Opium *potum, quod quidam meconium vocant, ab odoris gravitate intelligitur.* Idem Scriptor mentionem

Digitized by Google

nem facit *opii* in *Comp. 21, 22, 26, 27, 30, 31, 32, 33, 115, 120, 126, 147, 158, 173, 181, 246,* & *247.*

OPOPANACES. Vulgari nomine ſuccus herbæ panacis *opopanax* vocatur, hoc nomine ab ipſo *Fabro* appellatus. Ad ſingularia igitur referri poteſt, quod idem ſuccus *Scribonio Largo Opopanaces* vocatur in *Compoſitionum medicarum Cap. 23 Comp. 106: In unum omnia ponderata contunduntur & cribrantur: præterea* opopanaces *& ſagapenum. Hæc enim mortario teruntur* &c. Sed unus hic locus eſt *Scribonii*, cui in eiusdem libri locis uno pluribus alterum nomen *opopanax* retinetur; ut hinc dubitari poſſit, an locus ille, quem attigi, recte a librariis exſcriptus ſit.

OPPALLIARE. Ultimo iam loco ex fæce *Caſſiodoriana* vocabulum damus, certe, præter hunc, Scriptori, quod ſciam, nulli uſurpatum. Huic *oppalliare*, translato ſenſu, idem eſt, quod *obtegere*, in libri *de Amicit. Cap. 21 §. 6: Cumque cetera vitia ſe quibusdam virtutum tegumentis* oppallient, *& frequenter ad humanos adſpectus quadam extollentia intumeſcant*, &c.

VIII.

ANONYMI

Ἀποκάλυψις ἀκρισίας,

VIRGILIANORUM LOCORUM CONSTUPRATRICIS.

Nunquam nos ab æqui bonique æſtimatione malus adeo transverſos rapuit animus, ut

laudem egregiis & masculis in re critica conatibus invideremus, etiamsi successu careant. Οὐ γὰρ πάντεσσι Θεοὶ χαρίεντα δίδουσι. Verum enim vero non paucis inter nos usu venire videas, ut, captando imprudenter plausum imperitæ multitudinis, aura ferri, famæque magnæ, quam bonæ, esse malint, atque adeo nec legitimo, nec dextro, conatu criticam profiteantur artem. Quo fit, ut, nimis indulgendo febricitantis ingenii pruritui, in foliis magis, quam fructibus, occupati, solidas interioris doctrinæ fruges prætereamus, auctoritatem veterum librorum negligamus, sterilique syllabarum & literularum aucupio eruditionem critico-philologicam metientes, efficiamus, ut omnis bona successus spes decollet.

Quo in genere quam acerbam, licet, ævi, inter Herculeos labores exacti, metam si spectes, non prorsus immaturam, fecerit iacturam orbis literatus in *Petro Burmanno*, nunc demum melior doctiorque Criticorum, imo omnium cordatorum in republica literaria civium, pars animadvertit.

Burmannus enim, dum inter mortales ageret, tanquam Iupiter ille Ἀπόμυιος crabrones & muscas, Musis priscis infestas, satis feliciter intra nidulorum septa compescuerat. Invisus hoc nomine fuit, & est hodie, sed indoctissimis quibusque & proletariis ac capite censis in cœtu doctorum homuncionibus; qui tanquam mures leoni mortuo passim in fœtutinis Ephemeridum suarum

suarum insultantes, nominis sui memoriam, cum æterno opprobrio coniunctam, ad posteros transmittunt.

Heroe hoc cœlitibus, exuta mortalitate, ad- scripto, examen passim vapparum ex gurgustiolis in forum prodit criticum, inpudentiamque pro sapientia venditans, paupertinum & salebrosum in monumenta veterum Auctorum inducit corrigendi genus.

Non damnamus coniecturas, solius ingenii ope nixas iis in locis, in quibus explicandis multa ab antiquis tacita prætermissaque inveniuntur. Nullius hic rei præter opinionem, quæ sua cuique coniectanti esse potest, auctores sumus.

At ratiunculis frivolis & ineptis ad tractationem Auctorum, tanquam ad lanienam, accedere, membra sana involare, vulnera per plagas sanare, id vero facit, ut collecta dudum sub pectore indignatio, moræ atque silentii impatiens, sese erumpat.

Virgilium, omnium post transmissam barbariem integerrimum ferme Auctorem, magna hodie novorum invadit Medicorum copia, qui urendo, secando, unum in corpore tam tereti & habili efficiunt vulnus.

Unum ex his, si Diis placet, Sospitatorem *Virgilii*, quam feliciter Pæoniam sanis locis attulerit opem, ad partes vocabimus. Hunc dudum suis sibi placere commentis passi, ne nunc quidem aggrederemur, nisi Ἀκρισία eius *Maroniana* Gnathonem invenerit, parasitico spiritu tibias

Digitized by Google

tibias inflantem, & corruptioni manifestæ Andianarum elegantiarum illud Σοφῶς, *Acu rem tetigit*, acclamantem. Imo miratur hic Thaidis huius procus, magnos adhuc Criticos tam apertum non observasse mendum.

Duos affert locos Æsculapius ille professus *Maronis*, *Aen. VIII, 627*, & *Aen. IV, 65*. Negat, alibi vocem *vatum* occurrere, præterquam his in locis. Utrobique autem pro *vatum* legendum esse *fatum*, statuit. Mireris, Lector candide, confidentiam hominis, *Bentleium* inter cœcos, vel saltem inter cœcutientes, *pag. 820 Bibliothecæ Hamburg. Miscell.* referentis, qui hic lippis Indices *Virgilii* adspexit oculis. Tertius enim exstat locus *Aen. IV, 464:*

> *Multaque præterea vatum prædicta priorum*
> *Terribili monitu horrificant.*

Alterum ex illis tentatis locis in præsentia excutiemus, quia hunc minoribus dubiis laborare existimat. Legitur *Aen. VIII, 627:*

> *Illic res Italas Romanorumque triumphos,*
> *Haud* vatum *ignarus, venturique inscius ævi,*
> *Fecerat ignipotens.*

Es lieget, sunt verba eius, *gantz offenbahr ein falscher Gedank und falscher Satz darinn verborgen. Dieser nemlich, dass der Vulcanus seine Wissenschafft von den zukünftigen Schicksaalen des Rœmischen Volks den heidnischen Gœtzen-Priestern zu danken gehabt habe. Da nun dieses dem gantzen System und Lehrgebäude der heidnischen Mythologie und Gœtter-Geschichte wider-*

widerspricht: da aus derselben bekandt ist, dass die Priester ihre Weissagungs-Krafft und geheime Nachrichten von zukünftigen Dingen von den Gœttern und ihren Orakeln, nicht aber diese von jenen, erhalten haben; so folget von selbst, dass der Virgil unmœglich so unbedachtsam kœnne geschrieben, und von dem Vulcano, als einem der grœsten Gottheiten, so niedertræchtig und verkleinerlich gedacht und geredet haben.

Paulum nos exercebit, non vexabit, hæc machina; plus enim habet minarum, quam periculi. Duo quasi nervi eius sunt, stante recepta lectione: 1) *Vulcanum ex vatibus, sive sacerdotibus, fata Romani Imperii didicisse; 2) id non esse ex dignitate Vulcani, quippe Dei.*

Incidemus hos nervos dupliciter. Vel I) *Vates* h. l. interpretabimur *Deos ipsos*, & sic nihil decedet de majestate *Vulcani*, si ex Diis vatibus futura didicerit.

a) Iupiter omnino pater & auctor est vaticiniorum, & ab *Homero* vocatur Ζεὺς ἐν θεοῖσι μάντις ἀψευδέστατος. Re vera Iupiter prædixit *Veneri* fata Imperii Romani, ex reliquiis Trojæ renascituri. Conf. *Aen. I, 261.* Observat etiam peritissimus & nasutissimus interpretum *Servius* ad *Aen. I, 23*:

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, scil. Iuno.

A Iove, inquit, *aut a Fatis; non enim omnia numina habent divinandi facultatem, denique ne ipse quidem Apollo sua sponte divinat, ut est:*

Quæ

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit.

Iovi ergo, præeunte doctrina veterum, jungimus β) Deos alios, Iovis διάκτορας, internuncios, προφήτας, vel potius ὑποφήτας, Διὸς, ut *Pollux* habet, *vates*, vel *subvates*. Quos inter primum tenet locum *Phœbus*, cuius solemne est epitheton *Augur* & *Vates*. Conf. *Burmannus* ad *Ovid. Tom. I pag. 320*, inprimis *Cerda* ad *Aen. III, 250*, qui locum laudat *Æschyli*, in quo προφήτης Διὸς dicitur.

Phœbus autem fata Troiæ & Romæ pandit *Aen. III, 94 seq. Aeneas* nempe, Delon ingressus, venit ad *Anium*, qui Rex idem hominum Phœbique sacerdos, adeunt templum, poscunt Deum fata, *Apollo* respondet:

Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Hæc Phœbus.

Sic *Aen. III* canit *Helenus divino ex ore* sacerdos, & prædicit *Aeneæ* originem Longæ Albæ.

Adde Cumanam (*Aen. VI, 83,*) Sibyllam, quam *Delius* inspirat *vates*.

Proximas a *Phœbo* tenent inter vates, fatidico ore fata Rom. Imperii exponentes, *Penates* Phrygii *Aen. III, 148.* Apparent hi *Aeneæ* in somnis, & *v. 154*:

Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic

Digitized by Google

Hic canit: & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor,
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque Urbi dabimus.

Plura huc exscriberem, sed veremur, ne labor hic antlia potior tædio sit Lectori. His constitutis, omnis res in vado est: *Vulcanus fecerat in clypeo res Italas Romanorumque triumphos, haud ignarus eorum, quæ Jupiter, Phœbus, & Penates, cecinerant, imo quæ ex Venere coniuge sine dubio resciscere potuit.*

II. Sed non opus ambagibus istis erit, si modo diligenter & penitus inspiciamus ac ponderemus verba loci nostri. Quare *haud ignarus vatum* vel cum *Cerda* explicabimus *artis vaticinandi.* Nam sic apud *Propertium Pastor* etiam notat munus & laborem pastoris, (vid. *Broukhus.*) & *Citharœdum discere*, similiaque, dat *Vechnerus* in *Hellenol.* Vel potius hanc in sententiam: *Vulcanus ignipotens exsculpserat in clypeo res Italas Romanorumque triumphos, conformes & vatum monitis & suæmet futurorum scientia, quam ex Diis habuit.*

Qui sensus si non est genuinus, exsensos nos posthac profitebimur. Discutiamus nunc paralogismum Critici. *Vulcanus*, inquit, *cognitionem suam rerum futurarum, inprimis fatorum Romanorum, acceptam referre debuisset vatibus, sive sacerdotibus.*

Nemo, cui Φρένες satis sunt ἔμπεδοι, consecutionem hanc probarit, *Vulcanus haud ignarus*

rus fuit vatum, id est, *eorum, quæ vates monuerunt; ergo cognitionem istam debuit vatibus*, vel, quod eodem redit, *discipulus fuit vatum.* Eodem modo colligere quis poterit: *Viri docti non sunt ignari plagiariorum, sive eorum, quæ plagiarii tecte admittunt.* Ergo *Viri docti sunt discipuli plagiariorum. Ergo cognitionem suam plagiorum ipsis debent plagiariis.* Scilicet faciunt nostri homines nimiis suis logicarum artium strophis, ut magna mercede nihil sapere discant.

Ceterum de voce *fatûm*, quam præter necessitatem ullam intrudit, dolendum, nulla Critico adducta esse exempla splendidorum, & *Virgilio* non indignorum, Poetarum. Nec in *Virgilio*, nec *Ovidio*, occurrit. Dubitamus, an ullus alius amet Poeta hunc Genitivum contractum. *Servius* enim monet ad *Æn. II, 18*, ex *Plinio* de Re Grammatica, in neutris hoc non esse faciendum, nisi propter summam metri necessitatem. Et sane diligentissimus *Erythræus* in *Indice* Voc. *Virûm* multa adducit Syncopen passa vocabula ex *Virgilio*; Genitivus autem pluralis contractus nominis neutrius non apparet.

Paria hic facit Criticus cum Apolline suo, qui nobis tot sole & sale carentes emendationes excludit. Nimirum, ut in elegantissimo illo *Æn. IX, 525*:

Vos, o Calliope, nunc adspirate canenti,

nobis monstrum cerebri sui *Calliopæ* plur. num. obtruderet, laudat vocem *Erinnys*, quod proprium esse unius Furiæ nomen, pro dictatura

pro-

Digitized by Google

pronuntiat, cum tamen *Cerda* ad *Aen. II, 327*: *Erinnys Dira est, vel potius Dirarum qualibet, neque signatum est nomen ad aliquam e tribus. Quas enim Latini Furias Dirasve appellant, Graeci Erinnyas & Eumenidas.* Cum tot Gargaridiationibus sæpe pluat, cur hic pumice aridior est, & tam siccæ emendationis fimbria onerat vatem?

Sed redeamus ad extremum Critici nostri conatum: *Zu geschweigen, dass die meisten hier angeführten, und dem Schilde eingesetzten, Umstände von den künftigen Begebenheiten des Ræmischen Volks bisher keinem von den heidnischen Wahrsagern, oder Propheten, kund geworden war.*

Velim, anima hæc *Virgilii* legat *Heleni, Anii, Sibyllæ*, vaticinia, *Aen. III* & *Aen. VI* obvia. Evolvat & expendat *Anchisæ* vaticinium. Quæ omnia si prudenter secum in animo volutaverit, tonitru, a quo auspicatus est, tanquam displosi utres in crepitum desinent.

At vos, straminei *Aristarchi*, quotquot pro rationibus solidis & eruditis ineptas has formulas blateratis: *Sic lego, sic emendo, distingue, transloca, mihi non placet*, fugite tandem istas argutiarum technas, quarum olim promus condus fuit *Gorallus* ille, qui solus demum post renatas literas Criticos, quasi ἄλογα ad sua tempora fuissent ζῶα, mysteriis logicis initiare voluit. Cadaverosas eiusmodi nugas una cum parente & statore suo sepultas æterno relinquamus situi, nec, insepultam hanc sepulturam ex

orco revocantes, patriæ nostræ, eiusdemque famæ, labem ignominiæ adspergamus. Statua Mercurialis in cursu critico sit maneatque Præfatio aurea *Burmanni*, quam *Phædro* præmisit. Dixi.

IX.

GISBERTI CVPERI
AD
THEODORVM IANSSONIVM AB ALMELOVEEN
EPISTOLÆ
CONTINVATÆ.

Conf. *Miscellan. Lips. Nov. Tom. II Part. III pag. 534 seq.*

EPISTOLA VI.

Arg. *Jureti in Sedulium Notas exstare nullas, docet. Gallandi Dissertationi, adversus Harduinum scriptæ, multum tribuit. Domestica nonnulla admiscet.*

Literas tuas ad Clarissimum *Cellarium* curavi; & ex iis, quas ad me dedisti, itidem perspicio, tibi idem, quod mihi, evenire, & nunquam nos vidisse *Iureti in Sedulium Notas*. Ex te autem didici, *Guilielmum Cave* mentionem editionis illius facere; sed is non de editis a *Iureto* Carminibus, quæ præcipue desiderat *Cellarius*, verum de opere prosa oratione conscripto, loquitur, nec memorat, integrum *Sedulium* a viro doctissimo editum esse. Placere tibi, quæ monui de *Victoria* obvios coronante, multum lætor; invenies procul dubio alia exempla, & nosti, inventis aliquid facile addi, si diligenter attendimus, tuo exemplo, Auctoribus, quos legimus. Tu tamen huius moris annotati

notati auctor haberi quasi debes, quia absque te monitore hoc quidem fortasse nunquam observassem. Hæc, dum domum redeo, in itinere scripseram; & doleo vehementem in modum, me abfuisse, cum me visere velles. Nunc per aliquot hebdomadas in urbe ero, &, si tibi commodum erit, iterum huc excurrere, libenter exhibebo visendas, quæ brevi meo penu continentur, prisci ævi reliquias. Venetiis exspecto gemmam elaboratissimam, nummos Græcos & Latinos, nec non raritatis eximiæ libros. Mare vel terram illis prosperam & felicem precor. A *Gallando* pereruditam Dissertationem Gallicam accepi, qua solidissime refellit *Harduini* de *Tetricis*, *Aurelianis*, aliisque Imperatoribus, somnia, & vel ex hoc libello patet, virum illum bona fide in interiora huius studii penetralia admissum esse. Vale plurimum. Davent. 13 Octobr. 1702. Quanquam nullam facis mentionem epistolæ, qua de *Fulguritis* egi, spero tamen, te eam accepisse.

EPISTOLA VII.

Arg. *Commendat Almeloveenio fratris sui filium, in Academiam abeuntem. De morte Suabelii certiorem facit, hanc non vulgariter lugens.*

Ubi plus mihi otii erit, respondebo & tuis, & doctissimi *Antonii*, literis. Ordines huius regionis nunc hac in urbe conventum agunt, & simul deliberant de rebus, ad summam rempublicam pertinentibus, cumque eorum aliqua pars sim, facile credes, me valde occupatum esse. Est tamen alia res, de qua tecum

agere constitui. Filius fratris mei τȢ μακαρίτȢ per annum prudentiæ civili operam dedit Lugduni Batavorum. Mater nunc eundem mittere constituit Traiectum ad Rhenum, vel Harderovicum, meque serium in modum rogavit, ut apud amicos in conditiones & hospitium, in quo tuto & cum dignitate esse possit, inquirere velim. Est iuvenis viginti annorum, modestus, & pro temporum ac morum ratione satis diligens, egoque auctor fui matri eius, ut illum committeret curæ Professoris, qui & cubiculum præberet & victum. Mitte, quæso, an aliquis apud vos sit, qui id suscipere, & quibus conditionibus, velit, ut ita mater honestissima statuere possit, quod putat e re filii sui fore. *Snabelius* proxima heddomade diem Bremæ obiit supremum. Doleo certe viri πολυφωνοτάτȢ ἁπάντων τῶν μυσταγωγῶν mortem. Erat inter nos singularis amicitia, & diligenter mihi investigabat, quicquid in orbe illo erat libellorum elegantiorum. Vale plurimum. Davent. 29 Nov. 1702.

EPISTOLA VIII.

Arg. *De loco Lampridii agit, in quo legitur Nonis Piis, id quod explicat. In causas inquirit, cur, in tanta editionum Quinctiliani copia, Auctor iste in paucorum hodie sit manibus.*

Egit mecum etiam de verbis *Lampridii Balduinus ab Offenbergh*, scholæ Hassellanæ moderator. Illi respondi ante paucos dies, nihil in illis mutandum esse, sed *Nonis Piis* idem esse, quod *Nonis Aprilibus*, quia etiam illius mensis, uti aliorum, nomen mutaverat *Commodus*, eum-

que-

Digitized by Google

que appellaverat *Pium*, vel Εὐσεβῆν, teste *Dione*, quem si consules, perspicies, me vera monuisse. Atque nunc addo, mihi videri *Lampridium*, ubi de mutatione nominum mensium agit, mutilum esse, & desiderari priora, quia a ratione alienum est, eum locuturum de *Nonis Piis*, antequam dixisset, *Aprilem* a *Commodo* fuisse nominatum. Miror, tot *Quinctiliani* editiones exstare, cum certe is hodie paucorum sit in manibus; & in causam inquirenti mihi nulla alia occurrit, quam seculis superioribus plerosque eruditorum magis stilo operam dedisse, quam ritibus, moribus, aliisve præclaris rebus, quæ veterum libris continentur, illustrandis; inde id agebant magna sedulitate, immo & morositate, ut *Ciceronem* imitarentur, nulliusque rei fere, præterquam elegantiæ & verborum ornatus, erant curiosi. Cum autem *Quinctilianus* tam erudite & accurate de virtutibus orationis egerit, & lectorem suum ad *Ciceronis* imitationem manu quasi ducat, & incendat summopere; nihil mirum, eius editiones tempore, ut sic loquar, *Ciceromania* continuo direptas, & inde novas toties novis successisse. Illæ, quibus carere te scribis, etiam non sunt penes me, quas tamen tibi comparabo, ubi occasio sese obtulerit. De reliquis quæstionibus tuis nunc agere non possum, quia valetudine utor non satis prospera, & febris me in cubiculo meo obsidet. Simul ac in Bibliothecam meam escendo, illas examinabo, & mittam *Fabrettum*. Interim te ignorare nolo, me evolvisse Inscriptiones illas, & annotasse

paria

Digitized by Google

paria Consulum, ut ea tibi subministrarem. Puto etiam, me in adversariis nonnulla tunc illustrasse, quæ omnia tunc simul a me feres, ut inde perspicias, me plurimi facere diligentiam & eruditionem tuam. *Antonium van Dalen*, Medicum doctissimum, quæso, meo nomine salutes, si quando ad eum scribis. Ἀδύνατον mihi plane est, illius epistolæ respondere, cum ob valetudinem meam, tum ob tot interrogata, quæ illa continentur, quæ si omnia ita, uti merentur, illustrare vellem, librum scribere deberem. Agam tamen sanitati restitutus pristinæ, id quod spero futurum propediem, de singulis breviter, & conabor erudito illi seni satisfacere. Vale plurimum. Davent. 29 Nov. 1704.

EPISTOLA IX.

Arg. *Nominantur Viri docti, cum quibus Cupero commercium epistolare intercessit. Quid rei novæ inter eruditos agatur, curiose requirit Cuperus.*

Ecce tibi partem promissorum, quibus me undecimo Iunii die obstrinxi, & lætabor vehementer, si quid his notulis inest, unde Fasti tui illustrari possint. Rogo, ut easdem remittere velis; neque enim exemplum earum conficere potui, quia iuvenis, qui mihi a manu est, aliis rebus occupatur. Tu id facile parabis tibi per quendam studiosæ iuventutis, quæ ab ore tuo pendet, & ego nullam aliam ob causam avtographum repeto, quam ut subinde inspicere possim, quæ tecum communicavi. Reliqua feres a me, simul, quæ nunc mitto, recepero; si modo & iis horu-

Digitized by Google

horulam impendere velis, & hæc eiusmodi sint, ut erudito tuo palato sapiant. Comparasti tibi ex Bibliotheca amplissimi *Steenbergii*, τοῦ μακαρίτου, Dissertationes *Schurtzfleischii*; putabam, me eas etiam servare in mea Bibliotheca; sed erravi, cumque illas consulere debeam, multum tibi debebo, si easdem mihi in paucos dies utendas mittere velis. Diu ab eruditis Italis nullas accipio literas, illique silent, tanquam habitarent tacitis Amyclis. Scripsi ad *Vignolium*, *Fontaninum*, *Ficoronum*, *Maffeum*, *Nicolaum Bon*, *Phil. de Turre*, *Astorium*, aliosque, literas, quarum nulla est, quin onusta sit variis coniecturis & antiquitatibus, & inde est, quod tantopere desiderem responsa. Quin & obmutuit plane *Passioneus*, gravioribus procul dubio negotiis implicatus Hagæ Comitis. A *Bignonio* humanas, a *Gallando* eruditas, literas accepi, sed *Montfauconius*, *Vallemontius*, *Bandurius*, *Huetius*, aliique, mihi debendi rei sunt. Doce me, quæso, quid agant eruditi tui collegæ, quos verbis amantissimis saluto, quid in Batavis *Clericus*, *Kusterus*, *Heemsterhusius*, aliique. Nam, cum singulis annis invisere eos soleas, persuasum omnino habeo, te me docturum, si modo otio abundas, multa, quæ pertinent ad historiam literariam, cuius cognitione etiam valde oblector. Sed quid agis ipse, dulcissime rerum? An *Stephanorum* vitæ iam sub prelo sudant, an Fasti illustrantur, an aliis argumentis admoves eruditas manus? Quid? quod & de lucubrationibus *Gronovii* & *Perizonii* altum hic silentium, cum tamen dubitare me non sinat docta tua curiositas, & χαριεστάτη tua πολυπραγμοσύνη, quin scias, quibus illi incumbant Auctoribus. Aliquid tibi oneris impono, & forte nimia posco, sed da hæc, quæso, amori meo, quo studia & eruditionem prosequor, & persuasum habeas, me multum tibi debiturum, si desiderio meo satisfacias. Vale etiam atque etiam. Davent. 16 Octobr. 1710.

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONVM, QVÆ VOLVMINIS TERTII PARTE PRIMA CONTINENTVR:

I. IO. CONR. SCHWARTZII, S. Th. Doct. & Gymnasii Coburg. Directoris, Observatio, qua loca, 2 *Sam.* *XIII, 16, & Ies. XXIII, 6*, explanantur. Pag. 1 - 13.

II. IO. CHRISTIANI BIEL, Past. ad Ulr. & Joh. Brunsu. Diatribe philologica de Voce סלה. Pag. 14 - 33.

III. PETRI ZORNII, in Gymnasio Thorunensi Rectoris, Prof. primarii, & Bibliothecae publicae praefecti, Fabula Parcarum, ex Antiquitatibus Orientalibus, itemque ex Nummis, illustrata. Pag. 33 - 42.

IV. CAROLI HENR. ZEIBICHII, Art. Mag. S. S. Th. Candid. Ordinisque Philosophorum in Acad. Vitemb. Assessoris, de Imagine Christi, in Larario Aurel. Alexandri Severi conspicua, Diatribe critico-historica. Pag. 42 - 87.

V. I. C. HARENBERGII Historia Atestino-Welfica, Ducum Brunsuico-Luneburgensium originem illustrans. Pag. 88 - 123.

VI. C. H. HEUMANNI Meditatio critica super loco illo exagitatissimo Eginharti Capitis XXV: *Tentabat* (Carolus ille Magnus) *& scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum effingendis literis assuefaceret. Sed parum prospere successit labor praeposterus, ac sero inchoatus.* Pag. 124 - 146.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinae, quae in Lexicis vulgaribus frustra quaeruntur, ex priscis Auctoribus collectae. *Sectio II, tertium* continuata. Pag. 147 - 169.

VIII. ANONYMI Ἀπολογία Λυψίας Λαμπρίας, Virgilianorum locorum constupratricis. Pag. 169 - 178.

IX. GISBERTI CUPERI ad THEODORUM IANSSONIUM AB ALMELOVEEN Epistolae continuatae. Pag. 178 - 183.

Digitized by Google

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS TERTII PARS SECVNDA.

LIPSIÆ,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHII HAEREDES.

MDCCXLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

IO. CONRADI SCHWARTZII,

S. TH. DOCTORIS, ET GYMNASII COBVRGENSIS DIRECTORIS,

EXPLANATIO 2 CORINTH. XII, 7.

I.

Qui difficiliores *Pauli* locos prospere interpretari cupiunt, eos prænosse & ante constituere hoc oportet, *Pauli* mentem scripturarum divinarum plenissimam esse. Ubi enim eum minime suspiceris de scriptis veteribus cogitare, ibi, si animum adverteris, expressa illorum vestigia occursabunt. Non est hic exemplis cumulandis idoneus locus, quem nos uni soli dicto dicavimus. Neque res, quam memoro, cuiquam ignota est. Ergo mihi satis erit, ad *Rom. III, 25, VIII, 32, 1 Cor. X, 26*, coll. *Psalm. L, 12, Gal. III, 5*, coll. *Num. XI, 25*, allegasse. Ipsa quoque *Pauli* conditio, ab ipsomet sæpius deplorata, affatim nobis materiam suppeditat, quæ sermonem eius satis explicet, si maxime cetera defecerint intelligentiæ adiumenta. Nam multis locis de quadam ærumnarum copia conqueritur, quas adaugeri nolit per se iam satis graves & pæne intolerabiles. Vid.

Gal. VI, 17, *Philip. II*, 17, 27, *1 Cor. IV*, 13, Ac facile ex temporum illorum, quibus vivebat, iniquitate suspicari licet, quanta odia, iræ, injuriæ, scelera denique, tum exarserint, bonis & salutaribus Dei præceptionibus conculcatis, cum Judæi & omnia Palæstinæ purgamenta inveteratas superstitiones acerrime defensitarent, *Mosis* auctoritatem inepte iactarent, scripturas Prophetarum interiores ignorarent, cerimonias, circumcisionem, prisca miracula, *Abrahami* apud Deum gratiam, templi magnificentiam, admirarentur, præcepta Christi & vitam insectarentur, & necem collaudarent; Christiani contra ius templi divini singulis hominibus probis vindicarent, omnia cerimoniarum & munditiæ vulgaris commenta elevarent, iustitiæ & sanctitatis novam formam depingerent, magistri denique sui ortum e cælo repeterent, vitam miraculis & sapientiæ divinæ documentis plenam demonstrarent, mortem patientiæ, innocentiæ, ac salutaris necessitatis, laude exornarent, resurrectionem denique admirabili ac testatissimo in cælum adscensu concluderent.

II. Hisce ante constitutis, facilem credo fore difficillimi loci explanationem. Hoc enim unum restat inquirendum, an in scriptis veteris ecclesiæ Judaicæ memoretur homo, quem Deus propter summam in ipsum gratiam per satanam afflixerit ita, ut is spiritus sibi tantos sumeret, Deo ipsi ut os obvertere, & se nescio cuius præstantiæ causa efferre, auderet. Talem hominem ubi repererimus; facile iam erit intellectu, quare

Digitized by Google

quare *Paulus* se a tanto facinore simillima quadam carnificina deterreri dicat. Ita nodum, quem adhuc nemo explicasse videtur, explicatum fore speramus.

III. In hanc sententiam omnia *Pauli* verba convenire, in primis omnium demonstrabimus.

IV. *Paulum verbo* ὑπεραίρομαι ita hic uti, quemadmodum id sæpe adhiberi solet, idem ut sit, atque *efferam me, inflato sim animo, nimium mihi assumam, aliis me anteponam*, disputatione non eget. Nam, qui eius superiora verba perlustrarit, nullo negotio animadvertet, de rebus agi, animum efferentibus, & humanæ superbiæ lenocinantibus. Ipsum etiam ἀποκαλύψεων nomen eius est naturæ, ut animum efferat. Cum enim rerum arcanarum communicatio summi amoris ac fiduciæ sit indicium, cum divina divinarum rerum communicatio singulare sit gratiæ, maiestatis, ac potentiæ divinæ, argumentum; gloriolæ vix ac ne vix quidem reprimi potest aviditas. Sed, ubi ad divinam rerum eximiarum communicationem præstantia quædam ac delectus accesserit, tum vero humanæ mentis superbia sic increbescit, ut omnia iam humanæ imbecillitatis vestigia expungantur.

V. Ἐδόθη μοι σκόλοψ, inquit doctor gentium. Non erat necesse, ut nominaret eum, a quo festuca (σκόλοψ) sibi data esset. Ea est enim verbi huius vis ac ratio, ut, præcise positum, nihilo segnius Deum auctorem indicet. Cuius rei testimonia in scripturis Græcis ac Roma-

nis tot ac tanta reperiuntur, ut, si quis dubitare audeat, is, nihil a se Græcorum ac Romanorum librorum visum esse, profiteatur. Uno hic exemplo rem omnem conficiemus. *Job. XV, 19*, in quibus: Αὐτοῖς μόνοις ἐδόθη ἡ γῆ, sc. ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, δίδοσθαι usurpatur de rebus bonis, saltem quod ad eventum pertinet, aut ad consilium dandis. *Paulus* etiam agnovisse salubritatem huius σκόλοπος, apparet ex proximis eius verbis: τῇ σαρκὶ ἄγγελος σατᾶν. Deus quidem preces eius exaudire noluit, ne salutare eius consilium impediretur per imbecillitatem *Pauli*, maximas res gesturi. Maioribus difficultatibus circumvallatum est nomen σκόλοψ. Id *crucem* vel *palum validiorem* signare, nemini dubium est, si præsertim ex *Luciani Macrob. pag. 470* ἀνασκολοπίζειν, *in crucem agere*, & alia consimilia, memineris. Sed hæc significatio ad statum *Pauli* nihil pertinet, qui cruci affixus cogitari non potest, homo etiam multo post peregrinator, opifex, doctor veritatis divinæ, captivus, atque ad extremum capite plexus. De palo in Judæorum scholis facinorosorum hominum receptatore ne cogitare quidem licet. Neque enim verborum series suspicionem illam tolerat, quæ σκόλοπα divinitus datum, carnique insitum, & salutis causa perpetuo defixum, postulat. Exterminari quidem, & penitus exscindi, palus ille poterat, si hoc nunc agendum esset. Quod enim Romanis fuit proprium, id non est continuo cum Judæis communicandum. Atque *Uri-*

elis

elis Acosta exemplum satis testatur, vias castigandi hominis scelerati complures exstitisse. Magis ad verborum compagem quadrat significatio σκόλοπος ea, quae *aculeum*, *sentim*, *spinam*, *festucam*, & *similia dolorum irritamenta*, menti nostræ obiicit. Crebra talium σκολόπων mentio iniicitur a *Dioscoride*, quem idcirco in *Commentariis* nostris *Graeca lingua* memoravimus. Ad hanc nominis huius vim amplectendam compellit nos usus LXX interpretum, quem discipuli Jesu multis locis non aspernandum sibi duxerunt. Illi igitur *Num. XXXIII, 55*, καὶ ἔσαι, inquiunt, ὅσυς ἂν καταλείπητε ἐξ αὐτῶν, σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑμῶν, καὶ βολίδες ἐν ταῖς πλευραῖς ὑμῶν, *erunt, quoscunque reliqueritis, tanquam spina quadam in oculis defixa, & uncini lateribus infecti.* Ex utraque hac, quam adhuc attigimus, σκόλοπος potestate sententia conflatur ea, *Paulum* Dei consilio acerbissima quadam re excarnificari, seu *Paulum* numine & providentia Dei vexari & tanquam conquassari acerbitate quadam insigniore. Superest tamen ad eandem illam molestiam denotandam tertia σκόλοπος significatio, quam, ut verum fatear, magis adhuc natura mali, quod *Paulus* innuit, quam scriptorum Græcorum auctoritates atque exempla, demonstrat. Non est enim vana coniectura, per σκόλοπα etiam vermem signari. Exstant enim in scriptis antiquis loca quædam, quæ non aliam interpretationem admittant. Atque ipsum σκόλοπος nomen ita com-

comparatum eſt, ut vermem non minus indicet, quam σκώληξ. Ut enim nomen hoc à verbo σκέλλω, *exſicco, arefacio,* ductum eſt; ita σκόλοψ indidem oriri potuit. Σκολοπένδρα ex eodem fonte, magno literatorum conſenſu, emanavit, & notiſſimum vermium genus, quod ſub veteribus lignis ſaxisve latet, ſignificat. Quodſi Medicorum libros conſulas, multa vermium genera demonſtrabunt, quæ alias atque alias corporis humani partes exedant, magno cum earum cruciatu. Qui capita puerorum maxime infeſtent, qui cuti pilorum inſtar inhæreant, & omnem pæne ſuccum exſugant, qui ventriculum & inteſtina divexent, qui per cuticulam manuum, pedum, & aliarum partium, quaſi cuniculos agant, qui unguium viciniam exulcerent, vitæ communis fere magis docet calamitas, quam ut hic commemorari ſit neceſſe. De Medicis conſultori curioſo reſpondebunt *Celſus Lib. VI cap. 15, Sammonicus cap. 6, 31, Coel. Aurelianus Morb. chron. cap. 8, Plinius N. H. Lib. XX cap. 13, 14,* alii. Cauſæ autem dantur plurimæ, quæ *vermis* ſignificationem præoptare nos iubeant. Una eſt, quod nobis per proxima inferiora verba dubitare non licet, quin hic ad hiſtoriam *Jobi* reſpexerit *Paulus.* Quis eſt enim, in quem ſatan magis vim ſuam exercuerit, quam *Jobus?* A vexanda *Iſraelis* gente *Davidi* ſubjecta ſe abſtinere non potuit Satan. Sed ἄγγελος tamen ibi nec vocatur, nec vocari poteſt. Verum a Deo in *Jobum* emiſſus, & ad ædes eius pro calamitatis

tatis nuntio & effectore professus esse, ex ipsis Dei verbis satis intelligitur. Altera est, quod *Jobus* a satana pulsatus esse dicitur, & verberibus cæsus. Hoc ipsum autem hic verbo *κολαφίζεσθαι* exprimitur. Tertiam addo, quod carni modo suæ *σκόλοπα* inhæsisse ait *Paulus*. Hæc enim quia penitus edomari non poterat, hoc est, a peccatis liberari, *Rom. VII, 18*, peccata autem princeps ac funestissimum satanæ opus sint, *Hebr. II, 14, 15, Rom. V, 12, Jo. VIII, 44*, *σκόλοψ* hic *Pauli* cum *Jobi* miseriis apprime convenit. Hæc certe a LXX interpretibus *σκωλήκων* nomine sæpe signantur, ubi sermo Hebræus nihil tale innuit. Nam *Job. II, 9*, conjux *Jobi* post multas & muliebri dicacitate dignas admonitiones pergit: *σὺ δὲ αὐτὸς ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων κάθησαι διανυκτερεύων αἴθριος*, *Tu autem ipse per noctem sub dio in putredine vermium sedes.* Hebræus autem Codex *v. 8* *Jobum* modo memorat sedere in pulvere, seu cinere, pro quo *κοπρίαν* habent LXX, vel quod *merda* vermium olim remedium fuit, vel quod vermium tanta multitudo *Jobum* infestavit, ut etiam sedens eos comprimeret & conquassaret. Alibi sermo Hebræus ipse, vermibus *Jobum* divexatum esse, docet *cap. VII, 5*, quem periti ex sacro Codice repetent. Nos sententiam Latine modo hic proponemus: *Carnem meam vermis amixit, & ramentum pulvis est: cutem meam dilaceravit, ut liquescat.* LXX

N 4 verò

Digitized by Google

vero habent ita: *Φύρεται δέ μου τὸ σῶμα ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων· Τήκω δὲ βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος ξέων.* *Conspurcatur corpus meum vermium stercore; glebas autem pure attenuo radens. Cap. VI, 4.* tralate loquitur *Jobus*: *Sagittis Dei omnium potentis circumfusus sum, quarum venenum imbibit spiritus meus.* LXX verterunt: *Βέλη γὰρ Κυρίου ἐν τῷ σώματί μου ἐστὶν, ὧν ὁ θυμὸς ἐκπίνει μου τὸ αἷμα· ὅταν ἄρξωμαι λαλεῖν, κεντοῦσί με.* Quibus ex verbis satis liquet, per *sagittas* rursus *vermes* intelligi. Horum enim furor sanguinem exsugit, horum stimuli loquentibus obstrepunt, & pungendo subitum silentium imponunt. Hæc igitur omnia, quæ adhuc allata sunt, suspicari nos iubent, *σκόλοπα* in verbis *Pauli vermem* potius esse, quam *sentim*, vel quemvis alium *aculeum*, ut verba & cogitata *Pauli* cum *Jobi* historia quam maxime consentiant. Id quod explanatio subsequentium *Pauli* verborum magis etiam demonstrabit.

VI. Nam nunc demum apparet ratio, cur *ἄγγελος* cum *σκόλοπι* tam arcte coniungi, & tanquam constringi, potuerit. Vermes enim *Jobi* revera erant indices & tanquam nuntii violentiae satanicae. Neque enim opinari nobis licet, durius hic esse nomen *ἀγγέλου*. Id enim primum de omnibus omnino personis usurpatur, quae quid aliis significant; qua de re in *Commentariis* meis *linguae Graecae N. T.* satis exposui. Deinde

de ad res etiam transfertur, quæ quoquo modo rem quamque produnt, aperiunt, significant, in lucem proferunt. Testes cito LXX illos, qui toties iam nobis suppetias tulerunt. *Job. XX, 15:* Ἐξ οἰκίας δὲ αὐτοῦ ἐξελκύσει αὐτὸν ἄγγελος θανάτου, *Ex domo autem eius detrahet eum nuntius mortis*, i. e. *morbi tela, vel quascunque Deus adhibet pestes mortis adiutrices & effectrices*. In Hebræo est nomen אֵל. Pestis igitur omnis a LXX interpretibus nuntia mortis ita dicitur, uti a *Paulo* σκόλοψ ille *nuntius sævitiae diabolicae*. Sic *Devteron. XXXIII, 2*, ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ᾽ αὐτοῦ, cum in Hebræo sit מִימִינוֹ אֵשׁ דָּת לָמוֹ, *a dextra eius ignis praecepti eius*. Confer *Proverb. XXVI, 6, Job. XLI, 6.*

VII. Ἄγγελος σατᾶν siue per appositionem uertatur nuntius satanas, siue per casum alterum nuntius satanae, parum ad rem interest. Rectius tamen & accommodatius videtur posterius, quam prius. Nam *vermis* ille, seu *sentis*, index erat dæmoniacæ afflictionis potius, quam dæmon ipse; prout ex comparatione vexationum *Jobi* magis etiam lucet. Eum enim satanas per vermes illos excruciabat, neque in corpore *Jobi* ipse insidebat. Hoc idem indicant verba subsequentia: ἵνα με κολαφίζῃ, *ut me colaphis caedat*. Qui enim colaphos impingit alteri, extrinsecus id facit, facere saltem facilius a nobis intelligitur, quibus dæmonicæ vexationes penitus perspectæ non sunt, neque ad perspicien-

Digitized by Google

dum optabiles. Etenim perspiciendae forent experientia propria, quam unusquisque abominatur ac perhorrescit, ipso Jesu monitore, qui eam deprecari nos iussit, & nos quotidie deprecamur. Est autem *colaphis caedere* ignominiosum & contumeliosum, *Job. XVI, 10.* Non igitur addubitamus, quin *Paulus* omne genus ignominiae & contumeliae, quo a daemone afficiatur, verbis istis significet. Neque enim rarum atque infrequens est, unum genus contumeliae pro cunctis poni. Id quod ex Rhetorum praeceptis iam satis constat.

VIII. Restant ultima considerationi nostrae verba: *ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ut ne animus meus efferatur.* Insolentia, superbia, elatio animi, spiritus, animus praefidens, quid sint, satis iam experientia noscitatur, ut res hic disputatione non egeat. Illud magis hic disputandum est, fueritne in *Jobo*, cum quo *Paulus* hic se comparat, efferata quaedam superbia atque animi elatio. Istam vero totus *Jobi* liber prae se fert, ubi iustitiam suam, integritatem, & morum sanctimoniam, ita praedicat, ut, si jure experiri velit, adversarios, & qui juste ipsum affligi criminentur, causa cadere speret. Ejus rei testimonia *Job. XXXI, XXXII, XXXIII, 9 - 12, XXXIV, 5, 8, XXXV, 2,* suppeditant. Tanto autem animi vitio *Paulus* ne contaminaretur, provisum is ait esse per crebras satanae contumelias a Deo comprobatas.

IX. Omnia ergo & singula *Pauli* verba explicavimus, & cum *Jobi* eventis mirifice conspirare & consentire invenimus. Sed rei gravitas atque

Digitized by Google

que adeo necessitas ipsa postulat, ut, quid nomen σκόλοπος sibi velit, iterum atque iterum disputemus. Σκόλοπα non ad *Pauli* animum Deo deditum pertinuisse, satis ex eo liquet, quod *Paulus* eum carni modo infixum haesisse dictitat, Non igitur officiis *Pauli* & consiliis Dei obfuit; sed corpus modo excruciavit, cujus stimulos mens *Pauli* divinitus recta facile vel hebetabat, vel infringebat. Non igitur tentationes daemonis interiores, sed externas calamitates ac miserias, denotari existimo, si praesertim ad impeditionem divinae veritatis, ad frustrationem fructus optatissimi, ad contemtionem gloriae Christi, pertinerent. Quid multa? *Caput XI posterioris ad Corinthios Epistolae v. 23* ad *29* commentarios miseriarum istarum copiosissimos & accuratissimos suppeditat. Sententia igitur *Pauli* est: *Ne revelationum magnificientia efferar, haeret in parte mei ea, quae ad peccata facile inflammari potest, divinitus immissum omne afflictionis genus, tanquam in Jobo vermium illa copia, quae violentiae satanicae certissimum praebebat indicium, quae eadem me quoque affligat oportet, ut ne animus meus efferatur.*

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO DE EBRAEORVM PRECIBVS LITORALIBVS, AD ILLVSTRATIONEM ACTVVM APOSTOLICORVM XXI, 5.

I. Quan-

I. Quandoquidem Viri eruditi, *Joachim. Hildebrandus*, 1) *Hugo Grotius*, & *Augustinus Calmetus*, 2) hoc ipsum argumentum, quod nunc tractabimus, strictim modiceque attingunt, operæ utique facturi pretium, ea omnia, quæ huc pertinent, perquisitius & diligentius considerabimus. Nimirum *Tertullianus* 3) hæc de Judæis refert: *Omissis templis per omne littus quocunque in aperto aliquando iam preces ad cælum mittunt.* Quæ verba *Samuel Petitus* 4) interpretatur de *Judæorum Proseuchis*, quas vel ad *fluminum ripas*, vel ad *littora maris*, 5) condiderint; at vero *Guil. Ernestus Tentzelius* 6) multo rectius judicat, *Petitum* in sua verborum *Tertulliani* interpretatione falli. Quid enim? *Tertullianus* agit de *ieiuniis Ethnicorum*, quæ ad *implorandam pluviam* instituebant, 7) eaque confert cum ieiuniis, a Judæis ob eandem causam indictis, 8) ostendendo similitudinem, inter utraque occurrentem. Quare *Tertullianus* non solum sub *templorum* nomine æque *Proseuchas* ac *Synagogas* intelligit, sed & memorat, *Judæos, Ethnicorum ad impetrandam pluviam æmulos, ad litora ac loca alia aperta ieiuniorum tempore conventus extraordinarios habuisse.*

1. In libello *Sacrarum Antiquitatum de Precibus veterum Christianorum p. 18* verbo tantummodo nominat *litorea sacra*, & *riparias preces.*

2) In *Notis ad Actorum XXI, 5.*

3) In libro *de Jeiuniis adversus Psychicos Capite 15.*

4) *Va-*

4) *Variorum Lectionum Libro II Capite 11.*

5) Ripa proprie fluminis, litus maris; unde *Ovidius Lib. I Metam. Fab. II: pro ripis litora pulsant.* Non raro tamen discrimen id negligunt.

6) In Exercitatione Philologica *de Proseuchis Judæorum* §. 10.

7) Utramque paginam hic faciunt verba *Tertulliani Apolog. Capite 40: Aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis.* Nimirum *aquilices* erant, qui in siccitatibus rei divinæ procuratione aquas cælo eliciebant. Hinc *Aquælicium*, sive *Aquilicium*, ipsum sacrificium, quod pro impetrandis imbribus fiebat. *Festus*, vel potius *Paidus*: *Aquælicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam, si creditur, manali lapide in urbem ducto.* Vide de hisce *Tertulliani* verbis *Gerardum Joannem Vossium* in *Etymologico Linguæ Latinæ p. 44*, *Josephum Laurentium Polymathiæ Libro II Dissertatione XI p. 110*, *Antonium Bynæum de Calceis Hebræorum Libro II Capite IV §. VI p. 184*, *Joannem Lomeierum* in *Epimenide, sive Syntagmate de Veterum gentilium lustratione Capite X p. 108.*

8) *Jejunia publica Ebræorum* dicuntur תעניות הציבור *ieiunia coetus*. Indicebantur illa propter *calamitates maiores*, quibus respublica premitur, uti sunt rubigo segetum, annonæ caritas, *defectus pluviarum*, & similia. Ad *publica ieiunia Ebræorum* pertinuerunt clangor tubarum, eductio *arcæ*, תיבה, ex Synagoga *in plateas*, convocatio populi, cineris inspersio eidem arcæ, oratio habita ad populum, preces tum XVIII ordinariæ, tum VI superadditæ, & εὐλογίαι. Hactenus *Adrianus Relandus* in *Antiquitatibus sacris veterum Hebræorum delineatis Parte IV Capite X §. V p. 470.* Confer autem *Historiam* nostram *Bibliorum, ex Ebræorum diebus festis & jejuniis illustratam, selectissimisque observationibus adornatam, Capite 8 §. 1 p. 89.*

II.

Digitized by Google

II. Idem *Tertullianus* 9) commemorat *Judaeorum orationes litorales*, quas *Gothofredus Olearius* 10) pertinuisse existimat *ad Proseuchas Judaeorum ad mare conditas*. De iisdem *Judaeorum orationibus litoralibus Stephanus Monachius* in *Variis Sacris* disserit, unde excerpta videas apud *Henricum Morinum*. 11) Nimirum in decreto Halicarnassensium 12) hæc legimus: Visum nobis est, ut Judæi, qui vellent, viri, fœminæque, sabbata celebrent, & sacris operentur more Judaico, *καὶ τὰς προσευχὰς ποιεῖσθαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος*, *& oratoria sibi conficiant prope mare patrio ritu*. Ceterum conferatur Dissertatio nostra *de Scholis publicis antiquorum Judaeorum, prope a lacuum, amnium, & fluviorum, crepidinibus, ripis, & litoribus, exstructis*.

9) In *Libro ad Nationes* scripto.

10) In *Observationibus sacris ad Evangelium Matthaei p. 170.*

11) *Dans les differentes Coniectures sur l' Archiatrie de Martial. p 374, Tomo II des Memoires de Litterature tirez des Registres de l' Academie Royale.*

12) Quod decretum, olim in vulgatis *Josephi* Codicibus desideratum, exhibent *Isaacus Vossius* in *Observationibus ad Catullum p. 313*, *Jacobus Gronovius* in *Decretis Romanis & Asiaticis pro Judaeis ad cultum divinum per Asiae minoris urbes secure obeundum*, *Sigebertus Havercampius* in sua *Josephi* editione, puta *Archaeologiae Libro XIV Capite X p. 714.*

III.

III. Quæ cum ita sint, *Henricus Hammondus* 13) coniicit in *Actibus Apostolicis XXI, 5, Paulum* ad *Synagogam quandam iuxta litus Tyri conditam* accessisse, ut, discipulis Tyriis comitatus, isthic preces funderet; at vero hæc conjectura tenui admodum suffulta est tibicine. *Qualis* enim *conspectus Tyri cum suo litore futurus esset*, prædixerat *Ezechiel XXVI, 5-14*, Tyrum allocutus: *Te in siccum saxum redigam, ut sis expandendis sagenis, non deinceps instauranda.* Et profecto *Hadrianus Parvillerius*, è Societate Iesu, qui decem annos in Syria egit, apud *Petrum Danielem Huetium* 14) docet, sibi, olim ad *collapsas Tyri ruinas* accedenti, & *rupes mari prætentas*, ac disiectos passim in litore lapides, procul spectanti, sole, fluctibus, & auris, detersos ac levigatos, & *siccandis solum piscatorum retibus*, 15) quæ tum forte plurima desuper expansa erant, utiles, venisse in memoriam dictæ Prophetiæ *Ezechielis*. Consimile est testimonium *Henrici Maundrelli*, testis itidem αὐτόπτου, sive oculati. 16)

13) In *Notis ad Actorum XVI, 13.*

14) In *Demonstratione Evangelica Propositione IV.*

15) In scopulis olim piscatores piscatum exercebant. Vide *Joannis Meursii Commentarium in Lycophronis Cassandram p. 43.* Idcirco *Tyrii pisces venales Jerosolymam deferebant Nehemiæ XIII, 16,* & vendebant ad portam piscium, de qua *Nehemias III, 3, XII, 39,* & *Sophoniæ I, 10,* Confer *Samuelem Bochartum Hierozoici Parte II Libro V Capite p. 720*

16) *Dans le Voyage d'Alep à Jerusalem p. 79.*

Digitized by Google

Cette ville est situèe dans la mer sur une peninsule, & promet de loin quelque chose de magnifique; mais lorsque l'on en est proche, on n'y trouve aucunes traces de la gloire, qui la rendoit si fameuse aux siecles passez; & que le Prophete Ezechiel represente chap. 26, 27, 28. Ses habitans d'aujourd'hui sont de pauvres miserables, qui demeurent dans les voutes, & dont la principale subsistance est la peche. *Il semble qu'elle ait été conservé en ce lieu-là par un pur effet de la Providence divine, comme une marque visible que Dieu a accompli sa parole touchant la ville de Tyr. Ezech. XXVI, 14.*

IV. Quæ cum ita sint, vix credimus, *Judæis fuisse Proseucham in litore Tyri.* Solvere enim jamjam volebat *Paulus* navem, *more suo* 17) *præmissis precibus valedicturus amicis.* Sufficiebant igitur preces *sub dio* hominibus, procul ab urbe & omni coetu in quandam sese recipientibus solitudinem. Et vel ipsum *litus*, unde conspiciebant navem, *Paulum* vecturam, admonebat comites, ipsumque *Paulum*, precibus nunc quam maxime opus esse. Recte id secum reputavit *Christopherus Arnoldus.* 18) Posteaquam enim paucis observaverat, *Paganos, naves conscensuros, Diis* suis, quos nunc ἀκτίυς, ἐπακτίυς, & αἰγιαλίυς, id est, *litorales,* 19) nunc πόντίυς, & ἐναλίυς, id est, *marinos,* nuncupabant, victimas, preces, & vota, 20) obtulisse, addit: *Tempore Apostolorum similem quoque, sed Christianum, sed pium, ritum precandi in litore ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν observatum fuisse, exemplo ipsius Pauli firmatur.*

Hiero-

Hierosolymam tendentis. Et hæc quidem observatio *Arnoldi* multo melior est illa *Hammondi*, dummodo addamus, *Paulum* non tam turbines procellarum & naufragia timuisse, quam ipsam Hierosolymam, ubi naufragii periculis defunctus, tristia fata subire debebat, Deo eadem moderante atque ordinante.

17) Ita *Paulus Actuum Apostolicorum XX, 36, vale dicturus Ephesiis ponens genua sua,* σὺν πᾶσιν αὐτοῖς προσηύξατο, *oravit cum omnibus illis.*

18) In *Notis ad Valerii Catonis, Grammatici, Diras p. 3.*

19) Plures Scriptores, qui de hisce Diis disserunt, in medium adduximus in *Bibliotheca* nostra *Antiquaria & Exegetica p. 520.*

20) Vide, sis, *Jacobum Philippum Tomasinum* in libro singulari *de Donariis ac tabellis votivis veterum Capite XXV p. 148 seq. Tomo XII Antiquitatum Romanarum Grævii, Joannem Schefferum de Militia navali veterum Libro III Capite 3 Joannem Lomeierum* in *Epimenide, sive Syntagmate de Veterum gentilium lustrationibus Capite 6 p. 56, & Capite 31 p. 307, Bernardum de Montfaucon dans l'Antiquité expliquée & representée en Figures Tomo II Parte II p. 273.*

V. *Stabant Judæi inter orandum,* 21) unde & עמידה, *statio*, preces ipsas significat, uti videre licet apud *Joannem Buxtorfium,* 22) *Jo. Henr. Majum,* 23) *David Emmillum,* 24) *Antonium Bynæum,* 25) pluresque alios, quos alio loco & tempore laudavimus. 26) Certe id

ipsum *Christianorum Stationibus* dedit *originem*, uti *Richardus Simonius*, *Joannes Hoornbeckius*, 27) aliique, animadverterunt, qui *ritus Judaeorum Christianis conferunt, eaque collatione saepius utuntur*. Quicquid ejus rei erit, *Paulus* certe *una cum comitibus genua ponit inter precandum*, non sine singulari quadam ratione. Primas quidem in precibus obtinet *interior affectus*, sed *extera signa*, genuflexio, capitis retectio, manuum levatio, duplicem habent usum. *Prior est*, inquit *Joannes Calvinus*, *ut membra omnia exerceamus in Dei gloriam & cultum, deinde ut hoc quasi adminiculo excitetur nostra pigritia; accedit in solenni & publica precatione tertius usus, quia pietatem suam hoc modo profitentur filii Dei reverentiamque. Sicut autem manuum levatio fiduciae & ardentis desiderii symbolum est; ita humilitatis testandae causa in genua procumbimus.* Confer *Duguetum*, 28) *Aug. Nathan. Hubnerum*, 29) & *Gabrielem Albaspinaeum*, 30) inter *Patres* autem praecipue *Caesarium Arelatensem Homilia XXX de genibus flectendis in oratione.*

21) Vide omnino *Matthaei VI, 5, Marci XI, 25, Lucae XVIII, 10.*

22) In *Synagoga Judaica Capite 10.*

23) *Libro II Observationum sacrarum p.* 127 *seq.*

24) In Dissertatione *de Mohammedismo ante Mohammedem §. LXIII.*

25) *De Morte Christi Libro II Cap. II §. XVI p. 93.*

26)

26) In *Historia* nostra *Fisci Judaici sub imperio veterum Romanorum p. 293 seq.*

27) *Libro II Miscellaneorum Sacrorum Capite 22 de Stationibus veterum p. 612.*

28) In libro, cui titulus: *De l'ancienne coutume de prier debout.*

29) In *Exercitatione historico-ecclesiastica de Genuflexione.*

30) *Libro I Observationum Observat. XVI* de primis Christianis hæc observat: *Quoties a Deo aliquid impetratum vellent, aut imminentem ab Ethnicis procellam ac tempestatem avertere cuperent*, toto corpore jacentes ad Deum, non autem stantes, precabantur.

III.

DE LVPIS, QVARTA PLAGA AEGYPTI,

EXOD. VIII, 17, PSALM. LXXVIII, 45, PSALM. CV, 3,

OBSERVATIO

M. DANIELIS GODOFREDI WERNERI,

PAST. ET PROF. PRIMARII COLLEGII GROENINGIANI STARGARDIAE.

Digitized by Google

SYNOPSIS.

§. I. *Communis interpretatio* de Colluvie.
§. II, III. *Rationes, quibus ea reiicitur.*
§. IV. *Bochartus & Clericus explicant de* musca canina.
§. V *Fundamentum huius sententiae, auctoritas LXX, incertum et fallax.*
§. VI. *Bocharti incerta mens, cur* musca canina *Arobb vocetur, & variae coniecturae.*
§. VII. *Reiiciuntur istae.*
§. VIII. *Neque* musca canina *a* comedendo *dicitur, cui proprium est* mordere, pungere, exsugere.
§. IX. *Aegyptus semper scatens omni muscarum genere.*
§. X. *Zeltnerus de* curculione *exponit.*
§. XI. *Nostra sententia de* Lupo, *qui unde* Arob *dicatur, ex Scripturae S. locis ostenditur.*
§. XII. Bochartus *adiuvat nostram sententiam, quam* Raschbam *iam asseruit.*
§. XIII. *Aliae rationes afferuntur, cur lupus* Arob *dicatur.*
§. XIV. Orebh, *corvus, unde dicatur.*
§. XV. *Omnia* praedicata *in* lupum, *subiectum, conveniunt, & omnia dubia in hac explicatione corruunt.*
§ XVI. *Vestigia* lupi, *Aegyptum infestantis, in* Diodoro Siculo.

I.

Inter decem plagas, quibus Deus Aegyptum afflixit, quod Rex ejus contumax atque superbus Ebraeos noluit dimittere, *quarta* recensetur, ערוב, *Arobb, Exod. VIII, 17*, usque ad fin. Plurimi interpretum ex radicis ערב significatu *miscendi* deducunt, & *mixturam* atque *colluviem* vel variorum insectorum noxiorum, vel immanium ferarum, exponunt. Sic IONATHAN BEN USIEL ערבוב חות ברא, *colluvies bestiarum ferarum*;

R. SA-

Digitized by Google

R. SALOMO ISAACIDES וכל מיני חיות רעות ונחשים ועקרבים בעירבוביא, *omnia genera bestiarum malarum & serpentes & scorpiones in colluvie*; R. ABEN ESRA חיות רעות מערבות כמו אריות זאבים ודובים ונמרים *bestias malas commixtas, exempli causa, leones, lupos, ursos, pardos*; R. ISAAC ABRABANEL והם חיות שרצים ותולעים מזיקים נושכים וממיתים הנערים וגם בני אדם הגדולים והם באים בעירבוביא על כן קראם ערוב *& erant bestia, reptilia, serpentes, & vermes, nocentes, mordentes, & enecantes pueros, & etiam adultos, veniebant autem in colluvie; propterea vocavit ea Arobb, colluviem*; IOSEPHUS θηρίων γὰρ παντοίων καὶ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν οὐδεὶς ἀπηντήκει πρότερον τὴν χώραν αὐτῶν ἐγέμισεν, *variis & multiformis bestiolis, quales nemo ante eum diem unquam viderat, regionem illorum replevit*; (*) Auctor libri SAPIENTIÆ ἐπαπέστειλας αὐτοῖς πλῆθος ἀλόγων ζώων εἰς ἐκδίκησιν, *immisisti in illos multitudinem animantium rationis expertium ad vindictam.* (**) Interpres vulgatus habet *omne genus muscarum, & muscas diversi generis*; *Munsterus insecta*, & addit in annotationibus: *Vocabulum Hebr.* ערוב *proprie significat* mixturam collectam *ex variis & multis speciebus bestiarum, seu insectorum*; *Junius* & *Tremellius quandam*

 collu-

(*) *Antiqu. Iud. Lib. II cap. 5, 13.*
(**) *Cap. XI, 15.*

colluviem animalium; *B. Lutherus* noster *allerley Unziefer*, & *Jo. Forsterus* exposuit ערוב, Arobh, *commixtionem diversi generis insectorum, ut sunt musca, vespa, crabrones, fuci, locusta, cicada, scarabai, & alia plura, qua cum hominibus, tum animantibus, molesta & infesta sunt.* (*)

II. Sed vidit jam *Bochartus* quam optime, ערוב non *mixturam*, aut *colluviem*, hic significare, sed ad *certum animalis genus* restringendum esse. Plures in hanc suam sententiam confirmandam adducit rationes, quarum postremam ceteris omnibus graviorem esse, reor, quia ex ipso textu desumta est. *Denique*, inquit vir summi ingenii atque doctrinæ, *nomine* ערוב, Arobh, *non significari* mixturam, *aut* colluviem, *sed* speciale aliquod animal, *docere videntur hac Propheta verba Exod. VIII, 31*: ויסר ערוב, & amovit Arobh a *Pharaone*, a servis ejus, & a populo eius, לא נשאר אחד, ne unus quidem remansit. *Id est, ne unus quidem Arobh. Neque enim aliud pracessit, quo referri possit illud*, ne unus quidem. *Itaque* ערוב, Arobh, *non est colluvies. Neque enim quisquam dixerit, sic amovit colluviem, ut ne una quidem superfuerit.* (**)

III. Huic soli innititur rationi *Jo. Clericus*, *Bocharti* vestigiis in hoc loco inhærens. Neque fallit ipsum fundamentum. Nam, sicuti ארבה, *locusta*, quod unum certum genus animalis denotat, in commemoratione plagæ octavæ, *Exod. X, col-*

(*) In *Lexico* in voce ערוב,

(**) *Hieroz. P. II Lib. IV cap. 15 col. 555.*

Digitized by Google

X, *collective* sumitur, & deinde *v. 19 singulariter* לא נשאר ארבה אחד, *nulla relicta est locusta*; ita etiam ערוב, Arobh, quod *collective* in antecedentibus acceptum est, *Exod. VIII, 31*, *singulariter* adhibetur. Quod fieri non posset, si *mixturam*, vel *colluviem*, innueret, adeoque perpetuum *collectivum* esset. Adde, quod *Moses*, ex iussu Dei plagam *Pharaoni* prædicens, per ה *articuli*, vel *demonstrativum*, voci ערוב præmissum, nominatim indicaverit genus animalis ferale atque exitiosum, quod Regi obstinatissimo notum erat. Quodsi enim הערוב incertam quandam & obscuram colluviem variorum animalium denotasset, quid opus fuisset singulari demonstratione, cuius ה *articuli* signum est? Ut taceam, hanc plagæ quartæ prædictionem multo tenuiorem fuisse ceteris, nisi expressius in ea genus plagæ declaratum esset, cuius gravitas alias non potuisset intelligi.

IV. Animalia iustitiæ divinæ in hac plaga executores fuisse, omnibus interpretibus exploratum est; non autem variorum colluviem, sed certum animalis genus, intelligi, iam probatum ivimus. Nunc quæritur, quodnam sit illud genus. *Bochartus* respondet: *Quod potius intelligemus, quam κυνόμυιαν*, caninam muscam, *nobis tam in Exodo, quam in utroque Psalterii loco, (Ps. LXXVIII, 45, Ps. CV, 31,) a priscis illis interpretibus* (Alexandrinis, puta, vulgo septuaginta dictis,) *ante annos fere bis mille designatam?* Post *Bochartum septuaginta Interpretes* se-

Digitized by Google

cutus est *Joannes Clericus*; cui assentatur novus *Wertheimensis* interpres, qui Germanice reddit *Hundsfliegen*.

V. Videmus, *Bochartum* suæ sententiæ potissimum fundamentum posuisse in antiquitate atque auctoritate *septuaginta Interpretum*. Sed adhuc incertum est, an LXX Interpretes *colluviem muscarum*, an vero *certum* quoddam *muscæ genus*, in mente habuerint. *Aquila* enim πάμμυιαν, & *Hieronymus omne genus muscarum*, verterunt. Et *Brentius* interpretatur mentem versionis Græcæ, ut per κυνόμυιαν, *noxiarum bestiarum colluviem* intelligat. *Græcus*, ait, *interpretatus est κυνόμυιαν, quod ad verbum significat* caninam muscam, *non quod hoc nomine unum aliquod insecti genus intelligat, sed quod hoc vocabulo exprimat impudentiam & furorem, quo hæc noxiarum bestiarum colluvies Aegyptios infestavit; canis enim impudens, musca vero audax & temeraria, hinc nomen deducitur κυνόμυιας, significans talium bestiarum colluviem, quæ cæco ferantur impetu ad quævis obvia devastanda & perdenda.* (*) Est etiam verisimile, quod Græci interpretes versionis suæ rationem desumserint ex originatione vocis ערוב, sicuti alii, qui per *colluviem* & *mixturam* explicarunt. *Joannes Forsterus* corruptam statuit in hoc loco versionem Alexandrinam, *Græcus*, inquiens, *textus habet corrupte κυνέμυιαν, hoc est*, muscam caninam;

(*) In *Comment.* suo *ad Exod. l. c.*

Digitized by Google

ninam; *nam. Septuaginta testimonio etiam Hieronymi verterunt κοινομυιαν, communem, seu generalem, muscam.* (*) Mallem autem, Septuaginta primum vertisse πάμμυιαν, uti *Aquila*, quod deinceps a librariis mutatum fuit in magis notum κυνόμυια. Quodsi vero certum tantum genus, *muscam* nempe *caninam*, intellexerint, eorum tamen auctoritas non tanta est, ut ei soli, sine ulla formidine falsi, fidere possimus tuto. *Bochartus* ipse Græcam versionem, quæ *Habac. I, 8, Zephan. III, 3*, pro זאבי ערב λύκοι τῆς Ἀραβίας, *lupi Arabiæ*, habet, reiecit, & *lupos vespertinos* pluribus de causis maluit. (**)

VI. Hinc *Bochartus* non potest non fateri, fundamentum suum esse fallax. Neque tamen vim vocis vult adhiberi. *Frustra*, inquit, *nonnulli verbi vim urgent, & a verbo* ערב, Arab, *quod miscere est*, ערוב, mixtionem, *esse contendunt. Nam* ערב *verbum est tam πολύσημον, ut in toto Hebraismo vix aliud ullum noverim, quod in plura significata dispescatur.* Indignatur iis quasi, qui verbi ערב, Arab, *miscendi* notionem solam urgent; sed tamen, *musca* canina quorsum inde appelletur ערוב, nescit determinare; respondet autem, in his linguis multa esse derivata, quorum ratio non est perspecta. Subiicit, "cum pauci „ de *musca* canina scripserint, in eius natura mul- „ ta nos latere, quæ si sciremus, fortasse rationem „ nominis facile posse erui. *Vespa* nomen per

 ἀπο-

(*) In *Lexico* suo in voce ערוב.
(**) *Hieroz. P. I L. III cap. 10 col. 835.*

corpora, neque cadavera, *comedunt*. Hinc *Campegius Vitringa* ad *Jes. VII, 18*, ubi Aegyptii, hostes Iudæorum, cum muscis comparantur, optime vult observatum, *Aegyptios non quidem magnis stragibus in Judæos sævituros esse; sed muscarum instar exsucturos succum & sanguinem.* Quando itaque *David Psalm. LXXVIII, 45*, dicit: *Misit in eos*, in Aegyptios, ערוב, *Arobb*, *ut comederet eos*, ex *prædicato* colligi potest, quale *subjectum* hic locum inveniat. Refertur enim אכל, *comedit*, quando de comedendis humanis corporibus adhibetur, ad bestias sævas & carnivoras, easque tam quadrupedes, quam volucres. *Jacobus*, Patriarcha, *Iosephi* filii necem animo conjectatam, querebatur: *Mala bestia*, אכלתהו, *devoravit illum*, *Gen. XXXVII, 33.* *Ieremias* inter quatuor suppliciorum genera comminatus est *volucres cæli & feras terræ* לאכול ולהשחית, *ad devorandum & perdendum*, *Cap. XV, 3.* Ex sententia Dei iustissimi *mortuum ex Ierobeami domo in urbe* יאכלו *comedere canes*, & *mortuum ruri* יאכלו *vorare aves cæli*, *debebant*, *1 Reg. XIV, 11.* Eadem sententia ferebatur de *domo Baesæ 1 Reg. XVI, 4*, & de *domo Achabi 1 Reg. XXI*, & speciatim de *Jesabele*, *regina*, quam *canes* יאכלו *comedere* debuerunt in pomœrio *Jesreelis*, *1 Reg. XXI, 23*, *2 Reg. IX, 10*, Quæ impleta est *2 Reg. IX, 36.* De *leone* dicitur *1 Reg. XIII, 28*, quod *Prophetam immorigerum occiderit*, sed לא אכל, *non voraverit illius cadaver.* Et, quando bellicam virtutem, eamque victricem populi Ebræorum,

orum, celebrat *Bileamus*, *ecce*, inquit, *populus hic quasi leana surget, & instar leonis se eriget, non cubabit*, עד יאכל, *donec devoravit prædam, & occisorum sanguinem biberit*, *Num. XXIII*, 24. De *aquila festinante* לאכל *ad devorandum Habac. I. 8*, & de *pullis aquilæ*, *qui oculum eius, qui subsannat patrem suum, & spernit obedientiam erga matrem*, יאכלוה, *devorabunt*, *Salomo Prov. XXX*, 17, testatur. De *lupo* denique, quod *mane* יאכל *comedat prædam & vesperi* spolia dividat, *Gen. XLIX*, 17, commemoratur. Unde efficitur, ut, per ערוב, *Arobb*, certum genus *bestiarum* potius, quam *insectorum*, aut *muscarum*, indicari, censeamus.

IX. Præterea scatebat Aegyptus omni *muscarum* genere, tam ante, quam post hanc plagam immissam. Cum enim inferior præsertim Aegyptus decliuioris esset soli & ob fossas plures, & inundationem Nili, stagnans aqua palustris, & exposita ardoribus solis, muscarum insectis exundavit; (*) & *Bochartus* ipse scripsit: *Aegyptum scatere muscis, ex Bellonio notum Observationum Libri secundi Capite quadragesimo septimo, ubi, circa Pyramides tantam earum frequentiam esse, asserit, ut illis volantibus aer resonet.* (**) Hinc & *Jesaias*, vates divinus, *Aegyptios*, in pœnam Judææ excitandos, *muscarum* nomine designavit, *quæ sunt in extremo fluminum Aegypti*, dicens *Cap. VII*, 18: *Et fiet*

illo

(*) Vid. *Vitringa* ad *Iesaia l. c.*
(**) *Hieroz. P. II Lib. IV cap. 16, a fin. p. 562.*

Digitized by Google

illo die, ut Jehova sibilet ad muscas, quæ sunt in extremo fluminum Aegypti. Quodsi ergo copia omnis generis *muscarum*, & etiam *muscæ caninæ*, iam ante plagam adfuerint in Aegypto; quomodo Deus dicere potuisset ad *Pharaonem* per *Mosem v. 21: Ecce in te, servos tuos, populum tuum, ac domos tuas, muscas caninas immittam?* Qua ratione *Moses v. 24:* Et *venerunt muscæ caninæ plurimæ*, *David Psalmo LXXVIII, 45*: Et *immisit in illos muscam caninam*, & *Psalm. CV, 31: Dixit, & venere muscæ caninæ & pediculi per omnes eorum fines*, scribere potuissent? Quomodo agnovissent *Pharao*, & servi ejus, & incolæ Aegypti, miraculum & signum Dei? Quomodo ipsis manifestata fuisset immensa Dei Ebræorum potentia & fortitudo? Quodsi vero post plagam Aegyptus abundaverit *muscarum*, & inter eas etiam *muscæ caninæ*, multitudine, quomodo post remotam plagam dici potuisset *v. 31*; *Et nulla relicta est musca canina?*

X. Celeberrimus & Theologus, & Philologus, *Zeltnerus*, in Annotationibus ad Biblia Germanica, quæ edidit, coniectat ad *Exod. VIII, 20*, ערב „significare *vermem migrantem*, eumque forsan, „qui excussa frumenti grana corrodit & devo„rat, &, quando in corpora humana immittitur, „acerrime solet mordere; verbum in lingua „Arabica significatum habere vorandi & roden„di; neque sine causa simul iniectam esse men„tionem agri, & damnum forte maximum in „frumento pariter atque in hominibus factum

„esse,

„esse." Curculionem intelligere videtur Vir doctissimus, de quo *Virgilius*: (*)

- - - populatque ingentem farris acervum
Curculio.

Sed ante constitutum habuit, verbum originis innuere apud Ebraeos *nigredinem*, quod tamen nondum constat. Deinde *mordet* quidem *curculio* homines, sed non ita *comedit* atque *devorat*, ut magnam cladem efficere possit. Proprium est huius vermiculi, frumentum conditum perdere; sed non ipsis mortalibus pestem vel stragem inferre; adeoque nec hic Arabica significatio in subsidium vocari potest. Neque rem expedit, quae iniecta est, mentio *terrae*; non enim tam *agri*, qui coluntur & fructum faciunt, quam *provinciae*, quas incolebat populus Regis Ægypti, definiuntur. Dicitur enim postea, quod plaga remota fuerit a *Pharaone*, a servis eius, & *a populo ipsius*, *Exod. VIII*, 27. Neque hic memoriae proditum est quidquam de iactura frumenti, quam fecerint in hac plaga Ægyptii, sicuti factum est in plaga *grandinis Exod. IX*, 31, 32, atque *locustarum X*, 12, 15.

XI. Postquam igitur ostendimus, certum illud genus animalis, quod Deus in quarta plaga immisit in Aegyptios puniendos, non esse ex *insectorum* genere, neque *muscam caninam*, neque *curculionem*; iam declarabimus, quod *lupus* fuerit

(*) *Georg. I*, 185.

erit, quo graviſſime vexata eſt tota Aegyptus. ערוב enim *lupum* denotat, qui dictus fuit a *vespertino*, vel *nocturno*, *tempore*, quo raptum atque prædatum exire ſolet. Ipſa Scriptura ſacra nobis hanc *lupi* naturam, & nominis iſtius originem rationemque, docere videtur. *Zephanias* iudices Ieroſolymæ comparat cum זאבי ערב, *lupis veſpertinis, cap. III, 3*, & *Habacuc*, de Chaldæorum gente, hoſte Judææ, vaticinans, *celeriores*, ait, *erunt pardis equi eius & acutiores* זאבי ערב, *lupis veſpertinis, cap. I, 8. Ieremias*, comminans improbis Iudæis iudicia divina, inter ea commemorat זאב ערבות, *lupum veſperarum*, *ſeu veſpertinum, cap. V, 6.* Multo ante autem Patriarcha *Jacobus* ingenium & fata tribus *Beniaminis* prædicens, eam comparabat cum *lupo veſpertino*, *Beniamin*, inquiens; *inſtar lupi prædabitur, mane comedet prædam, & veſperi ſpolia dividet, Gen. XLIX, 27.* Quod inter alios *R. Schemuel ben Meir* ad *h. l.* obſervavit.

XII. Multus eſt Vir ingenii perſpicaciſſimi, *Bochartus*, in elucidandis locis, quæ produximus, atque in confirmando, quod *lupo* magis proprium ſit, quam leoni, pardo, aut urſo, *noctu ad prædam divagari.* Quem in finem Poetarum Latinorum pariter & Græcorum teſtimonia coacervavit, provocavit ad Arabes, qui *lupum* inde *nocturnum erronem* appellarunt, & non plane infeliciter veſtigia nominis, quo apud Ebræos *lupus* ab ערב, *ereb*, dictus fuit, detecta voluit in Samnitico nomine lupi *Irpus*, unde *Irpini*, vel *Hirpini*,

Hirpini, populi appellati sunt. (*) Miror autem, homini in conjecturis sagacissimo, qui opinionem eorum, qui ערוב, *Arob*, quartam Aegypti plagam, per *colluviem*, vel *mixturam*, exposuerunt, tam operose reiecit, non occurrisse ibi *lupum*; præsertim cum R. *Schemuel ben Meir* jam viderit istum in Aegypto sævientem; quippe qui ad *Exod. VIII, 17*, ita commentatus est: (**) אמר אני כי מיני זאבים הם שנקראים ערוב על שם שדרכם לטרוף בלילות כדכתיב זאב ערבות ישדדם וכתיב בזאבי ערב לא גרמו לבוקר וכאשר יאמר מאודם ארום כן יאמר מעומק עמוק מערב ערוב נויטרינר בלעז שהזאב הוא שהוא הלך בערב עמק שם דבר המעשה קרוי עמוק ארום שחור. *Ego interpretor, quod species luporum dictæ sint* ערוב, *Arob, propterea, quod natura eorum est, rapere noctibus, sicuti exstat Jerem. V, 6, lupus vespertinus vastabit eos, & Zephan. III, 3, de lupis vespertinis scriptum exstat: non exossarunt ad matutinum usque; sicuti ergo dicitur ab* אֹדֶם, *rubedo*, אָרוֹם, *rubicundus; ita ab* עֹמֶק, *profunditas*, עָמוֹק, *profundus, & ab* עֶרֶב, *vespera*, עָרוֹב *vespertinus, nuitriner, nocturnus, in lingua barbara. Nam lupus vespertinus est, qui grassatur vesperi.* עֹמֶק, *profunditas, est abstractum, concreta sunt* עָמוֹק, *profundus*, אָרוֹם, *rubicundus*, שָׁחוֹר, *niger.*

XIII.

(*) Quæ omnia uberius legi possunt in *Hieroz. P. I Lib. III Cap. X p. 823 seq.*

(**) In *Commentario*, qui exstat in *Pentateucho glossato Berolinensi.*

XIII. Tutius sequimur ipsum Codicem Ebræum in investiganda natura *lupi*, & ratione, cur ערוב, *Arob*, dictus sit; alias in *eum* potius quadraret, quam in *muscam caninam*, ut ex Arabica significatione radicis ערב, عرب, qua idem significat, quod אכא, اكل, *comedit, consumsit*, diceretur ערוב, *vorax*; quemadmodum *Simson* in ænigmate suo *leonem* vocavit אֹכֵל, *comedentem, voracem, Jud. XIV, 14*, מהאכל יצא מאכל ומעז יצא מתוק, *ex edente, vorace, exivit cibus, & ex acri dulcedo*. Præterea Celeberrimus *Albertus Schultens* nobis ansam daret ad deducendum nomen *lupi*, *Arob*, per metathesin, in linguis orientalibus satis obuiám, ex radice רעב. In *Commentario* enim suo plenissimo & omni doctrina refertissimo in *Librum Jobi* ad *Cap. V 5*, scripsit, (*) „רעב, famelicus, proprie cavo „ventre præditus, ut ostendit رغب, ampla ventris cavitate fuit, item *gulosus & vorax* fuit. „Suspicor, *κατ' ἐξοχὴν* רעב dictum *lupum*, quem „*κοιλογάστορα* appellat *Aeschylus*. Amant nempe, „*epitheta* animalium pro ipsis *animalibus*, qui„bus apponuntur, frequentari. Sic *Arabes* „mille nomina præbere possunt; mille aliarum „rerum, quæ *poeticis epithetis* insigniri solent. „Pro זאב רעב, *lupo famelico & raptore*, ergo „רעב *κοιλογάστωρ*, isque iterum pro *prædone* „*inexplebili*. Collective eos *Ieremias Cap. V, 6*, „complectitur emblemate זאבי ערבות, *lupi de*„*sertorum, vel Arabiarum*. Habes & זאב ערב, „*lupum*

(*) *Pag. 134. b.*

„*lupum vespertinum*, Habac. I, 8, Zephan. III, 3, „cum quo *grassatores & viri militares* compa„rantur.„ Hisce addimus, quæ porro *Golius* habet, quod eadem radix רעב apud *Arabes* etiam significet, *cupivit ac expetivit*, *cupidam reddidit*, *incitavit*, *cupiditatem monstravit*. Ab avidissimo animali, *lupo*, vulgare proverbium apud *Arabes* sumtum est, quo famelicus quisque dicitur esse *lupo avidior*. (*) Etiam nostri Germani solent dicere: *hungerig wie ein Wolf*, *fressen wie ein Wolf*. *Virgilius* avidam *lupi* rapacitatem descripsit: (**)

- - - - - - - - - - lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis.

Et *Ovidius*: (***)

Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris,
Incustoditum captat ovile lupus.

Et *Phædrus*: (****)

- - - - tunc fauce improba
Latro incitatus.

Ubi simul observamus, quod *latrones* & *lupi* inter se commutent nomina. Sunt enim utrique avidi rapinæ, utrique prædam venantur noctu, idcirco *Hirpini* populi dicti, quod instar lupo-

 rum

(*) *Bochartus* in *Hieroz. P. I col* 822.
(**) *Aeneid. II*, 355.
(***) *Trist. I*, 5, 10.
(****) *Lib. I*, 1.

tum ex rapto viverent. (*) Et doctissimus *Io. Georg. Wachterus* in *Glossario Germanico* sub voce *Wolf*, quod nomen rapacissimæ bestiæ a verbo Gothico *Wilwan*, rapere, vult derivatum, scribit: *Nam ob eandem causam non tantum lupus, sed omnis latro, antiquitus dicitur* Wolf, *ut patet ex composito* Werwolf, *diabolus, hominum latro.*

XIV. Ad hanc eandem originem posset referri עורב, *corvus*, qui *Arabibus* est غُرَابٌ. facta metathesi literarum radicis عَرَبَ. Nam avis est & cupidissima rapinæ, & voracissima. Hinc *Horatius* avidum & insatiabilem captatorem, & & hæreditati aliorum insidiantem, vocavit (**) *corvum biantem:*

> - - - *plerumque recoctus*
> *Scriba ex Quinqueviro corvum deludet biantem,*

imitatus Græcorum proverbium, quod de lupo dicunt, λύκος κεχηνὼς, λύκος χάνων, *lupus inhians*, uti apud *Aristophanem:* (***)

> Οἷσι πίστον οὐδὲν, εἰ μή περ λύκῳ κεχηνότι.
> *Quibus nil fidum ac tutum est nisi inhianti lupo.*

Quoniam hoc *lupo* pariter atque *corvo* convenit, *Horatius* studio hunc cum illo commutavit, ut ad nomen *Corani*, quem perstringebat, alluderet,

(*) *Servius* ad *Virgil. Aeneid. XI*, 785.
(**) *Lib. II Sat. V*, 55.
(***) In *Lysistrata* v. 630.

ret, quod aliquam soni similitudinem habet cum Græcorum *κόραξ, corvus*. Ab ingluvie corvorum desumtum videtur verbum *corvitare* apud *Plautum*: (*)

Novi ego illas ambas estrices; corvitant, *ubi Comesse possunt*.

Aeque sunt frustra, qui עורב deducunt ab ערב, *advesperascere, obtenebrescere*, quam qui *κόρακα* dici volunt *παρὰ τὸν κόρον*, quod significat *nigrum*, cum ערב Ebræorum non magis in significatu *nigredinis*, quam *κόρος* pro *nigro*, apud veteres occurrat. (**) *Arabum* autem غربيب, *garbib*, niger, dicitur a غراب, *corvus*, uti *corvina nigredo* a corvo, & *color coracinus* a corax.

XV. Sed revertemur ad *lupum*, qui Aegyptios vexavit, cui iam nomen suum satis vindicavimus. In hanc igitur bestiam feram atque immanem omnia conveniunt, quæ *Moses* & *David* de quarta plaga Ægypti dixerunt, atque in eadem corruunt dubia, quæ adversus animalium, vel insectorum, *colluviem*, adversus *muscam caninam*, & adversus *curculionem*, moveri possunt. *Lupus* sævus, qualis est nocturnus, fuit, quem *Moses Pharaoni* digito quasi monstravit in plagæ prædictione; iste in *Pharaonem*, servos eius, populum eius, domos eius, immissus, domos Aegyptiorum & terram, cui insistebant, opplevit. Magna enim copia *luporum*, qui agminatim irruerunt in domum *Pharaonis*, servorum eius,

(*) *Cas. IV, 1, 20.*

(**) *Bochartus Hieroz, P, II Lib. II cap. 10 col. 198.*

& omnem terram Aegypti, ut omnes provinciæ, præter terram Gosen, perderentur. Hi ergo *lupi*, ut canit Psaltes, Aegyptios comederunt & devorarunt. Postquam vero ad preces *Mosis* etiam hæc plaga remota esset ab Aegypto, nullus eorum in regionibus habitatis remansit.

XVI. Ni fallor, vestigia *lupi*, ex Dei Ebræorum, qui unus solus verus est, iudicio Aegyptios infestantis, lego in antiquissimæ Aegypti historiæ ruderibus, quæ apud Græcos & potissimum *Diodorum Siculum* occurrunt. Hic ubi diversorum rationes adducit, cur Aegyptii lupos venerati sint, addit: (*) ἔνιοι δὲ λέγουσι, τῶν αἰθιόπων στρατευσάντων ἐπὶ τὴν αἴγυπτον, ἀθροισθείσας παμπληθεῖς ἀγέλας λύκων ἐκδιῶξαι τοὺς ἐπελθόντας ἐκ τῆς χώρας, ὑπὲρ πόλιν τὴν ὀνομαζομένην ἐλεφαντίνην. Διὸ καὶ τόν τε νομὸν ἐκεῖνον λυκοπολίτην ὀνομασθῆναι κ. τ. λ. *Nonnulli affirmant, sub Aethiopum in Aegyptum irruptionem ingentes luporum catervas convenisse, qui hostium incursantium agmen ultra Elephantinam urbem inde fugaverint. Qua de causa præfectura illa Lycopolitana nominetur* &c. Nam confuderunt veteres profani scriptores *Aethiopibus* Iudæos, quos quidam *Aethiopum prolem* esse tradiderunt, prouti apud *Tacitum* (**) exstat, ad quem uberius de ratione, cur *Judæi Aethiopum* nomine in antiquis scriptis profanis

(*) *Lib. I (56 A.) 79 A. B.*
(**) *Hist. V, 2, 5.*

ſanis veniant, commentatus est *Chriſtianus Wornius* in *Libro ſecundo de corruptis antiquitatum Ebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis*, *Capite* præſertim *ſecundo*. Deinde vel ipſi Aegyptii hiſtoriam de exitu Iſraelitarum ex Aegypto, utpote cum maximo ſuo dedecore coniunctam, corrumpere atque invertere anniſi ſunt; (*) vel Græci traditiones obſcure acceptas pro ingenio ſuo formarunt ac præpoſterarunt. Quæ ſi bene obſervamus, facile in ordinem redigenda erit hiſtoriæ veritas, quæ in verbis *Diodori Siculi* latet. Nam 1) Iudæi, qui Aethiopum nomine hic veniunt, non irruptionem fecerunt, sed ἐςϱάτευσαν, in exercitum coiverunt, ſub imperio *Moſis*, adverſus Aegyptum, erupturi ex ſervitute; 2) convenerunt ingentes *luporum* catervæ, qui Aegyptios infeſtarunt, hoſtes Ebræorum; 3) tandem poſt cladem, a lupis inter Aegyptios factam, reliquaque iudicia divina, exierunt Ebræi liberi. Rem itaque vere geſtam tam peruerſe vel Aegyptii, vel Græci, expoſuerunt, ut ſera poſteritas crederet, lupos, Aegyptiis divinitus miſſa auxilia, fugaſſe Ebræos & exturbaſſe. Quemadmodum factum eſt in plagæ ſextæ, in qua Aegyptii ulceribus puniebantur, hiſtoria, quæ inverſa in fabulam tranſiit de Iſraelitis ob lepram & ſcabiem ex Aegypto expulſis, quam ſuo calculo approbavit *Tacitus*, quæ & *Iuſtino* placuit, & aliis. Quod vero commentum ut beatus pariter & doctrinæ atque vir-

(*) Vide *Buddei Hiſt. E. V. T. Tom. I p. 548.*

Digitized by Google

virtutis gloria immortalis *Jo. Franciscus Buddeus* docuit, (*) haud dubie ab ipsis Aegyptiis ortum traxit. Cum enim iudiciorum divinorum, sibi incumbentium, gravitate adacti, non tam dimitterent, quam expellerent, Ebræos, & ipsi inter alia diris ulceribus vexati essent, ut imperitis caliginem offunderent, & ignominiam istam a se averterent, Ebræos ob scabiem a se expulsos commenti sunt.

(*) *Historia Eccles. V. T. Tom. I p. 549.*

IV.

C. A. HEVMANNI
SYMBOLA CRITICA
AD
IVSTINVM MARTYREM.

I.

Cum nuper sub oculos meos veniret nova illa, eaque nitidissima, *Justini Martyris Operum* editio, quam adornasse constat *Prudentium Maranum*, Benedictinæ religionis monachum doctissimum, statim animum induxi, quæ ad piissimum hunc Scriptorem quondam annotavi, recognoscere, sique reperirem, quæ loca quædam *Justini* vel exhiberent sincerius, vel interpretarentur rectius, ea proferre in publicum, communique usui exponere. Plures enim oculi cum plus videant, quam pauciores, ut est in proverbio, nec fieri possit, quin editori magni alicuius voluminis interdum dormitare contingat, præser-

tim

tim si minus lente procedere cogitur in suo negotio; haud sane nullum faciunt operæ suæ pretium, qui, quæ ipsi, acri adhibito studio, luculenta reddiderunt Scriptoris cuiuspiam loca, eorum locorum illustrationem adiiciunt editoris doctis laboribus. Nunc igitur, quæ *Iebbianam Dialogi cum Tryphone* editionem perlegens observavi, & quæ postea, cum *Thirlbianam* editionem non solum istius *Dialogi*, sed simul utriusque *Apologiæ*, perlustrans severa meditatione illustrare mihi visus sum, pace (quod credi fas est,) eruditissimorum Editorum exhibeo, nec tantum ipsorum, sed quorumvis Criticorum, censuræ subiicio.

Ad *Apologiam priorem*.

I.

T. *p. 6*, M. (*a*) *p. 45*: *κολάζεσθαι, ὡς πρέπον ἐςὶ, μᾶλλον δὲ κολάζειν. Thirlbius* aliorum de hoc loco sententias acute expendit, expensas reiicit; ipse vero, nihil se habere, fatetur, certius quod sit clariusque. *Maranus* pro *μᾶλλον* scribit *ἄλλον*, atque ita hunc locum reddit: *ut quemlibet alium punire decet, ita puniantur*. Sed non est calculo critico digna hæc correctio. Primo enim *ἄλλως* scripturus erat *Iustinus*, non *ἄλλον*, quippe quod non potest significare *quemlibet alium*. Deinde etiam *δὲ* resecare debebat *Maranus*; quod servatur ab ipso invitissima Minerva Græca. Alia igitur circumspicienda ratio, veram *Iustini* scripturam restituendi. Mihi vero iam restituta esse videtur, sed nondum agnita. Scilicet lector

 ali-

aliquis doctus huius loci animadverterat, perperam scriptum esse κολάζεσθαι, veramque scripturam esse κολάζειν. Adscripsit igitur ad κολάζεσθαι in margine hoc verborum par: μᾶλλον κολάζειν, hoc est, *scribendum potius* κολάζειν. Recipiens hæc verba in textum descriptor librarius, connexionis causa δὲ interseruit. Ac iustissime emendavit corrector ille marginalis. Nam & in sequentibus persæpe occurrit κολάζειν, at κολάζεσθαι activo sensu nunquam. Imo in *Dialogo cum Tryphone I pag.* 21 & 22, M. *pag.* 107 & 108, ter reperitur κολάζεσθαι sensu passivo. Eodem, quo ego hunc locum sanavi, modo alium paulo ante emendandum esse, iudicabat *Henr. Stephanus.* Verum recte & *Maranus* & *Thirlbius* sententiam *Stephani* reiicit. Mihi quidem ex isto loco tantummodo ὅτι eiiciendum videtur. Tum ita fatur *Justinus* noster: *Vos igitur vocamini quidem pii & philosophi, imo ubique terrarum & gentium laudamini tanquam custodes iustitiæ & amatores eruditionis. An vero & sitis id, quod vocamini, a me docebitur.*

(a) Scias, Lector, paginis præfixam literam T. significare editionem *Thirlbii*, M. *Marani*, I. *Iebbii.*

II.

T. *p.* 10, M. *p.* 46, hæc legimus verba: Δαίμονας θεοὺς προσωνόμαζον, καὶ ὀνόματι ἕκαστον προσηγόρευον, ὅπερ ἕκαστος αὐτῷ τῶν δαιμόνων ἐτίθετο. Recte postrema verba & *Thirlbius* & *Maranus* ita reddidit: *& eo quemque*

Digitized by Google

que nomine, quod sibi *dæmon quisque impofuerat.* Mirum vero, monuisse neutrum, vel pro αὐτῷ rescribendum esse ἑαυτῷ, vel αὐτῷ recte dici pro ἑαυτῷ. Adducere igitur hoc liceat e *Lexico N. T. Pasoris*: Ἀυτȣ̃ *etiam usurpatur pro reciproco* ἑαυτȣ̃, *idque apud Græcos V. T. interpretes longe frequentissime.* Iam horum in lectione cum assiduus esset noster *Iustinus*, merito creditur, eum αὐτῷ scripsisse, non ἑαυτῷ.

III.

T. *p.* 10, M. *p.* 47: ὀυ μόνον μὴ ὀρθȣ̀ς εἶναι φαμὲν, ἀλλὰ κακȣ̀ς καὶ ἀνοσίȣς δαίμονας. Præterit hunc locum *Maranus.* At *Thirlbius* acute vidit, ὀρθȣ̀ς servari non posse, ac pro θȣ̀ς rescribi debere θεȣ̀ς. Unde ὀρ natum sit, minus verisimiliter docet. Mihi vero mentio, quæ præcedit, τῆς ἐπιφανείας τῶν θεῶν, argumento est, scripsisse *Justinum* ὁρατȣ̀ς θεȣ̀ς. Recordor hic ethnicæ illius vocis *Act. XIV*, 11: Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς.

IV.

T. *p.* 46, M. *p.* 61: Χαίρειν κακίᾳ φήσει. Potuit *Justinus* φύσει scribere; ac, ita scripsisse eum, facile credo, eoque magis, quod optime huc id verbi convenit. Certe non est audiendus *Thirlbius*, πάσῃ rescribere gestiens. Ibidem *Dei existentiam confiteri* διὰ τέχνης (qui locus molestiam facessivit pluribus,) nihil esse aliud, quam id facere simulate, & sophistica arte verum animi sui sensum dissimulare, sine dubi-

dubitatione assentior *Marano.* Hoc modo *Iustinus* noster in *Dialogo in Tryphone p. 240* (editionis *Iebbianæ*) interpretationes quasdam sacri Codicis vocat *τετεχνασμένας*, hoc est, sophistice contortas. Ac apud *Ælianum Var. hist. XII, 33*, *διὰ τέχνης vinci* est *superari dolo*, non *fortitudine.* *Σοφίαν τέχνης* vocat *Herodianus VIII, 4, 28.*

V.

T. *p. 90*, M. *pag. 80* Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. Præterit hunc locum *Maranus.* Præteriissem & ipse, nisi *Thirlbius* multum verborum loco huic adscripsisset, eumque emendare conatus esset. Mihi quidem non est dubium, omnia hæc verba esse incorruptissima. Cum enim superius dixisset *Iustinus*, apud Christianos baptizari eos, *qui crediderint, veras esse Christianæ religionis doctrinas*, nunc subiicit, baptismum vocari *φωτισμὸν*, *quia mentes eorum, qui adiuverunt & amplexati sunt Christianas doctrinas, baptismo accepto illuminentur magis ac magis.*

Ad *Apologiam posteriorem.*

I.

T. *p. 126*, M. *p. 96:* Οἱ δὲ νενοηκότες τὰ προσόντα τῷ ὄντι καλὰ, καὶ ἄφθαρτοι τῇ ἀρετῇ. Concoquere hæc potuit *Maranus*, non item *Thirlbius*, qui iure agnoscit magnam huius loci corruptelam. Cum vero eum non emen-

emendet, ſed manum retrahat ab hoc vulnere, dicere mihi liceat, quod ſentio. Scilicet proxime antea dixerat *Juſtinus*, pravos homines conſectari τὰ δοκῦντα καλὰ, virtutis cultores τὰ ὄντως ὄντα καλά. Nunc ita pergit: Οἱ δὲ νενοηκότες τὰ ὄντως ὄντα καλὰ ἄφθαρτοι, (ſubaudi εἰσὶ) τῇ ἀρετῇ, *qui nihil aliud animo ſpectant*, (vel *ſpectarunt*,) *quam vera bona, illi ſunt per virtutem incorruptibiles & immortales*. Iam, quia in proxime præcedenti linea exſtat τὰ προσόντα, facile apparet, errore oculi id verbi repetiiſſe librarium. Ac ita ego quidem cenſeo. Clariorem qui ſe præbuerit correctorem, ei cedam ſine ulla ægritudine animi.

II.

Contueamur, age, & verba ſubſequentia, librariorum ſane vitio obſcuratiſſima. Tam quidem felici eſſe contigit *Thirlbio*, ut duos vulgatæ ſcripturæ errores tolleret. Nam & pro ἔφθασαν reſcripſit ἔφασαν, & νυνεχῆ pro ἂν ἔχει. Quam utramque emendationem corroboro locis ipſius noſtri *Iuſtini* parallelis. Ἔφασαν enim etiam dixit *p. 124*, idque bis; & ὁ νυνεχὴς quoque bis uſurpavit, prius *p. 18* editionis *Thirlbianæ*, deinde *p. 70*. Sed nondum perſanatus eſt totus locus; quem ego quidem ſic refingendum exiſtimo: Ὁ καὶ περὶ χριστιανῶν, τῶν ἀπλυτάτων ἀνθρώπων, καὶ μὴ τοιαῦτα πραξάντων, ὁποῖα ἔφασαν οἱ ποιηταὶ περὶ τῶν νομιζομένων θεῶν, ὑπολαβεῖν δεῖ

Digitized by Google

πάντα συνεχῆ, ἐκ τοῦ καὶ αὐτοὺς καταφρονεῖν θανάτου λογισμὸν ἕλκοντα, Quod etiam de Christianis, hominum genere simplicissimo, (hoc est, moribus prædito incorruptis,) *nec ea facientibus, quæ de commentitiis Diis narrant Poetæ, existimare oportet sapientes omnes, argumento inde ducto, quod & ipsi mortem contemnunt*. Quod pro *τῶν τοιαῦτα πραξάντων* rescripsi *μὴ τοιαῦτα πραξάντων*, eo quidem nomine ne reprehendar, minime vereor. Namque & alibi locorum narrationes Poetarum de flagitiis ac sceleribus Deorum Noster eodem instituto commemoravit, & quidem in *Apol. I p. 9*, & *23*, & *33*, & *37*, atque in *Apol. II p. 124*, & *131*, & *134*, editionis *Thirlbianæ*; quo postremo loco, etiam dicuntur *οἱ τοιαῦτα πράξαντες θεοί*.

III.

T. *p. 133*, M. *p. 98*, hoc est, sub finem *Apologiæ* huius *secundæ*, rogat *Iustinus*, ut sua hæc Apologia omnium exponatur conspectui & lectioni, *ὅπως καὶ τοῖς ἄλλοις τὰ ἡμέτερα γνωσθῇ, καὶ δύνωνται τῆς ψευδοδοξίας καὶ ἀγνοίας τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι, οἳ παρὰ τὴν ἑαυτῶν αἰτίαν ὑπεύθυνοι ταῖς τιμωρίαις γίνονται.* Exponit scopum Apologiæ suæ, qui alius esse non poterat, quam ut cognoscerent ethnici doctrinam Christianorum, cognitoque, eam non esse pravam & irreligiosam, persequi eos ac pœnis immeritis afficere desinerent. Recte igitur vidit *Clericus* in *Historia ecclesiastica duorum primorum Seculorum* ad annum CLXII,

§. 7,

Digitized by Google

§. 7, *p. 689*, posterioribus etiam verbis loqui *Justinum* de Christianis, non de ethnicis; quæ quidem fuit plurium, atque etiam est *Marani*, sententia. Versio tamen *Clerici*, id quod satis docet *Thirlbius*, non congruit verbis Græcis; nec *Langius*, qui & ipse sensum *Iustini* verum assecutus est, verba hæc eius: *τῆς ψευδοδοξίας καὶ ἀγνοίας τῶν καλῶν ἀπαλλαγῆναι*, ita reddens: *suspicione falsa liberari*, videri potest satis expressisse id, quod repræsentant verba Græca. Mihi quidem non est dubium, ita reddi hæc verba oportere: *ut etiam ceteri* (ethnici) *res nostras cognoscant, utque a crimine falsæ doctrinæ optimarumque rerum ignorantiæ* (hoc est, ignorantiæ iustæ veræque religionis, quæ utique summum hominis bonum est,) *liberari possint ii, qui, cum sint innocentissimi, pœnis afficiuntur gravissimis.* *Ψευδοδοξία* rectissime appellatur falsa religionis doctrina, quam æque bene *κακοδοξίαν* vocavit *Epiphanius* in *Ancorato cap. 27.* Ac *Irenæum* quoque hoc verbo usum esse *Lib. III cap. 3*, e versione eius apparet. Nam pro *malam sententiam*, quod habet eius interpres, verbum verbo exprimere solitus, Græcum verbum fuisse *κακοδοξίαν*, vix dubitari potest. Ad verba hæc: *παρὰ τὴν ἑαυτῶν αἰτίαν*, quod attinet, etiamsi concederemus *Marano*, reddi ea posse *sua culpa*, tamen merito cum *Thirlbio* sentimus, ea & hoc sensu capi posse, idque Græcæ voculæ *παρὰ* usui convenientius, ut significent *præter suam*

cul-

Digitized by Google

culpam; quemadmodum παρὰ γνώμην est *præter opinionem*, παρὰ φύσιν *præter naturam*, πάντες παρὰ Σωκράτην, *omnes præter Socratem*. Quodsi dixeris, *liberari crimine falsæ doctrinæ* durius dici ἀπαλλάττεσθαι τῆς ψευδοδοξίας, etiam hoc largior, qui, quam dure subinde & alibi locorum loquatur *Iustinus*, haud ignoro, ac simul intelligo, aliam quamcunque huius loci versionem & a scopo *Iustini*, & a vi sermonis Græci, aberrare.

Ad *Dialogum cum Tryphone*.

I.

I. *p. 248*, T, *p. 315*, M. *p. 179*: *Ioannes in Apocalypsi prædixit, eos, qui in Christum credunt, mille annos esse transacturos Hierosolymæ*, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν καὶ (συνελόντι φάναι) αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν. Longius hæc ita reddidit: *ac postea universalem & (ut semel dicam,) sempiternam omnium unanimiter simul resurrectionem & iudicium futurum esse*. Pro *sempiternam Maranus* exhibet *æternam*. At quam incommode dicitur *sempiterna*, vel *æterna*, *resurrectio* & *æternum iudicium*, imo quam intolerabiliter! Silent tamen ad hunc locum non solum tres illi Editores doctissimi, sed nec in annotationibus suis quidquam monuit aut *Langius*, aut *Kortholtus*; cum tamen facile intelligi posset, pro αἰωνίαν scribi oportere αἰωνίων, ac versionem hanc esse debere: *ac postea uni-*

ver-

versalem & (ut verbo dicam,) ætatum communiter omnium resurrectionem futuram esse & iudicium. Scilicet *αἰὼν* hoc loco est *ætas*, hoc est, humanæ vitæ spatium. Γενεὰν alias vocant Græci. *Hesychius*: Αἰὼν, ὁ βίος τῶν ἀνθρώπων, ὁ τῆς ζωῆς χρόνος. Quo sensu Homerus in *Iliade* hoc verbum usurpavit *Lib. V* 685, & *Lib. X*, 415 Plura huius generis loca veterum qui videre gestit, *Suiceri* inspiciat *Thesaurum ecclesiasticum*, itemque *Massoni Histoire critique de la rep. des lettres Tom. III pag.* 145 & 146.

Illud adhuc quærendum restat, quid sibi velit hoc loco ὁμοθυμαδὸν, cum ἅμα sufficiat, & illud ὁμοθυμαδὸν incongruens sit, si reddatur *unanimiter*. Observo igitur, ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες pro ἅμα ἅπαντες occurrere *Actor. II*, 1, & *V*, 12. Hinc mihi fit verosimile, etiam *Iustinum* scripsisse ὁμοθυμαδὸν πάντες, & ἅμα ad interpretandum ὁμοθυμαδὸν margini a docto quodam lectore inscriptum irrepsisse postea in textum; nisi forte credere mavis, κατὰ πλεονασμὸν utrumque coniunctum fuisse a *Iustino*.

II.

I. *p.* 240, T. *p.* 308, M. *p.* 176: Ἀγγέλους γὰρ πονηρευσαμένους καὶ ἀποστάντας τοῦ Θεοῦ λέγεις, *nam, angelos improbe se gessisse, & a Deo defecisse, dicis.* En sensum, quo verba hæc capiunt tres nostri Editores! Mirum vero, eos

Digitized by Google

nec hic hæsitasse, cum, si ita scripsisset *Justinus*, docuisset, Judæos lapsum malorum angelorum non habuisse cognitum. Atqui satis norat, eam doctrinam esse Judæis cum Christianis communem. Præterea quis Græcus unquam hunc in modum locutus est: ἀγγέλους ἀποστάντας λέγεις, *dicis*, *defecisse*, siue *desciuisse*, *angelos*? Proinde agnosci hic debebat, aliquot verba excidisse non tam librarii cuiuspiam, quam alia fortuita, iniuria. Scilicet adduxerat *Justinus* hæc verba *Iesaiæ* e *Cap. VIII, 4*, ita, ut a Græco interprete sunt reddita: *Puer capiet opes Damasci & spolia Samariæ*; atque iis significari dixerat, Christum, quamprimum natus esset, debellasse diabolum, magosque Bethlehemum delatos abalienasse a diabolo, ac sui cultores fecisse. Hanc vero interpretationem reiicit Judæus *Trypho*, *Iesaiam* illo loco non loqui de diabolo, contendens. Desunt igitur hic verba nonnulla, & fortasse pauca; quæ restituere non est Critici, sed hominis divini; etsi sensum perditorum verborum assequi haud est difficile. Ceterum non errabat *Trypho*, cum hanc *Justini* interpretationem contemnebat, & simul Græcam versionem; quippe quæ utraque ab hodiernis *Jesaiæ* interpretibus reiicitur omnibus. Adeo nec hos movit auctoritas *Justini*, ac plurium ecclesiæ veteris doctorum, *Justino* assentientium; quos nominatim produxit *Whitbyus* in libro *de Scriptura sacra interpretatione secundum Patrum commentarios pag. 99 & 100.*

III.

III.

I. *p.* 6, T. *p.* 139, M. *p.* 103, memorat *Justinus Platonicos*, *Stoicos*, *Peripateticos*, *Theoreticos*, & *Pythagoricos*. Facile apparet, *theoreticam sectam* hic dici eam, quæ solet *Sceptica* vocari & *Pyrrhonia*. *Sceptici* vocantur, inquit *Gellius* XI, 5, id est, *consideratores: qui in quærendo semper considerandoque sunt*, & *nihil decernunt*, *nihil constituunt*. Σκεπτικοὶ igitur & θεωρητικοὶ eiusdem notionis vocabula sunt. Eodem sensu hi Philosophi, vel potius Philosophiæ simulatores, appellabantur ζητητικοὶ, semper scilicet quærentes veritatem, nunquam invenientes. Ac proferunt hoc nomen *Laertius* IX, 69 & 70, ac *Sextus Empiricus Hypotyp. Pyrrh. Lib.* I *cap.* 3. Quare recte vidit *Langius*, cum, *Justinum* de Scepticis hic loqui, docuit. Contra manifestus est error *Marani*, professores Philosophiæ theoreticæ à *Justino* signari, contendentis, a practicæ Philosophiæ magistris diversos. Nunc enim etiam Platonici, & Pythagorici, & Aristotelici, & Stoici, erant hoc sensu Philosophi *theoretici*? Quam absurde igitur fecisset *Justinus*, si theoreticis theoreticos opposuisset!

IV.

Liceat ὡς ἐν παρόδῳ aliquot proferre correctiones Latinarum versionum huius *Dialogi*.

I. *p.* 33, M. *p.* 111, διαθήκη non est *testamentum*, (ita & *Langius* reddidit, & *Maranus*,) sed *foedus*, sive *pactum*.

I. *p.* 234, M. *p.* 174, hæc verba: διὰ τὴν

Digitized by Google

ἄθεον καὶ ἄνομον αὐτοῦ γνώμην, ita reddidit *Langius: propter iniquum & impium eius* (Regis Assyriorum & *Herodis*) *animum*. *Maranus* ita: *ob impium & improbum eius animum*. Quia ad Assyrium Regem primario respicitur, quocum comparatur *Herodes*, *animus* ἄθεος rectius redditur *ethnicus & veri Dei cultu vacuus*, ἄνομος *leges divinas per Mosem datas contemnens*; quo sensu ἄνομος & ἀνόμως clarissime usurpatur 1 *Cor*. *IX*, 21, & *Rom*. *II*, 12. Atque, hanc appellationem satis vere etiam in *Herodem* convenire, docet eius historia.

I. *p*. 235, M. *p*. 175, φοβηθεὶς minus recte redditur *metu perculsus*, rectius *reverentia* (mandati angelici) *tactus*.

I. *p*. 350, M. *p*. 213: Μυστήριον καὶ αὐτὸ τοῦ τέμνειν ὑμῶν τὸ γένος διχῇ μέλλοντος. Hoc ita reddidit *Langius*: *quod & ipsum est symbolum*, *Christum bifariam genus vestrum concisurum esse*. *Maranus*: *Christi mysterium id quoque*, *qui genus vestrum bifariam divisurus est*. Ego quidem ita reddenda censeo hæc verba: *Quo ipso tacite significabatur*, *Christum in duas partes divisurum esse gentem vestram*, & alteram quidem (ita pergit *Justinus*,) salvaturum, alteram damnaturum.

Subsisto, id unum admonens Lectores meos iterum, haudquaquam me hoc labore detractum ire laudibus meritissimorum de *Justino Martyre* triumvirorum, sed, quæ longo labore

defa-

Digitized by Google

defatigati reliquerant aliis, me supplere conatum esse ex aliqua parte.

V.
CHRISTOPHORI SAXII
Επίκρισις φιλολογική,
SIVE STRICTVRÆ IN NVPERVM FRANCI CVIVSDAM LIBELLVM DE INCERTO HISTORIÆ ROMANORVM ANTIQVISSIMÆ.

SECTIO III ET VLTIMA.

M*onumenta* olim, teste *Marcello,* JCto, *l. 10. ff de Probation. publica potiora testibus esse Senatus censuit.* Ab huius decreti initiis discedere inprimis nolunt ii, qui in Historia quoque nescio quod πιςὸν τῆς ἐπιςήμης minute magis & curiose, quam vere, quærendum esse putant. Ad quorum sive opinionem, sive arbitratum, ut nos componeremus, neve prætermittere nos, vel assumsisse, aliquid videremur, ut ea, quæ prima dederimus, ne desereremus, rationes quoque, cur hæc ita sint, afferendas iudicavimus, præsertim vero iisdem argumentis uti placuit, iisdem sententiis, quarum ratione effecta rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta vulgo subducuntur. Ut igitur iam liceat una comprehensione superiora complecti, non dubitem dicere, Historiæ Romanæ

 veri-

Digitized by Google

veritatem, cum monumentis rerum, tanquam clarissimis antiquorum temporum vestigiis, memoriæ causa in posterum proditis, confirmetur, non modo non confusam haberi, aut incertam, nec inpugnatam toties iis, quæ obiiciuntur, elevari posse, sed, enitescente post omnem insultum eius gloria, non opinione vulgo concepta, sed post multam inquisitionem causa velut cognita, staturam esse. Atque hæc veteris memoriæ signa nobis explicanda fuerant. Sed, si enodatius, vos, Lectores, ignoscetis. Horum enim Commentariorum finibus & ingeniolo nostro utcunque nos servire oportuit. Cum igitur tot monumentorum indicia in Auctorum libris exstent, quæ rerum antiquitus gestarum eventus certissime signarunt, nos quid aliud possumus dicere, quam quod fuit, & visum est scriptoribus priscis, quod historiæ prodidere omnes, quod oculorum sensibus est comprehensum? Præterea qui potest disertis verbis literarum publicarum iniecta mentio intelligi, si, quæ laudant illi passim, tabularum, annalium, fœderum, legum, aliorumque librorum, monumenta Romæ nusquam comparuerunt, aut qua ratione cogitari potest de præstantia & accuratione veterum Auctorum, si, quod omnis scriptorum turba illis temporibus ad res subtiliter cognoscendas necessarium, vehementerque expetendum, iudicabat, principes & heroes literarum Latinarum aut ignorasse, aut studio deseruisse, comminisceris? Etenim hoc pacto res concurrent, ut interpretor, contrarie,

riæ, quibus ſumtis, naſcitur reapſe inelegantiæ peccatum, cujus ne ſuſpicione quidem vetuſtiſſimi annalium conditores tenentur. Contra perſpicuum eſt, Scriptores nullo alio ad res intelligendas, ornandasque, & ad conformationem hiſtoriæ ſuæ, adiumento uſos eſſe, quam talibus priſcarum literarum exemplis. Qua de re dubitare nemo audebit, qui iſtorum in rebus deſcribendis curam recognoſcet, qui *Livium* (*Lib. XLIV cap. 18 & 22*) videbit pæne totidem verbis *Actorum urbanorum*, ſeu *diurnorum*, narrationem repetentem, (vid. *Pigbii Annales* ad A. U. C. 585 *p. 379*, & *Dodwelli Append. ad Lect. Camd.* a *p. 678* & *p. 685*,) qui denique ſanctiſſimam eam Auctorum veterum conſuetudinem cogitabit, qua proviſum erat, ne quis res populi ſui perſcribere inſtitueret, niſi ad tabulas & libros in locis ſacris reconditos, (*ἱερὰς βίβλους, καὶ ἱερὰ γράμματα*,) exquiſiverit, quoad ſit id, quod voluit cognitum & exploratum. Quam legem ſi a *Dionyſio*, aut alio huius ſimili, latam, commendatamque, videremus, cur miraremur, cauſa nulla ſubeſſet, ſed, cum eandem *Joſephus*, at minorum gentium, ſi cum *Livio* & *Dionyſio* contendatur, Auctor, non modo tradiderit, ſed diu ante, & a ſe, maiorum exemplo obſervatam, ſummisque in virtutibus cuiuslibet ſcriptoris ſemper poſitam eſſe, demonſtraverit, his verbis: *Περὶ μὲν οὖν τούτων ἀναγκαίαν ἐποιησάμην τὴν παρέκβασιν ἐπισημήνασθαι βουλόμενος τῶν ἐπαγγελλομένων τὰς*

ἱστορίας συγγράφειν τὴν ἐγχείρησιν. (Vide *Lib. I contra Apionem T. II* ed. *Haverk. pag.* *443* a §. *6* ad *10*, inprimis §. *11*,) ex rationum profecto collatione & argumentatione, a tenuiori Scriptore ad ceteros inducta, qui in historia maiori & uberiori arte versati sunt, conficitur hoc, ut veteres historiæ scribendæ munus constantissime uniceque in multiplici monumentorum pervestigatione situm esse putarint. Nunc, quoniam, de monumentorum reliquiis satis disputatum esse, arbitror, de Censoris nostri dictis, consequentibusque, videamus.

Cap. III p. 26: On soutient, qu' il est encore resté &c. Neque id iniuria. Primum enim illud *pleraque* apud *Livium* satis demonstrat, non universas literas flammarum & spoliationum hostilium iniuria intercidisse, sed multa tantum, hoc est, ex incredibili monumentorum multitudine non pauca interiisse. Hæc enim vis & potestas est vocis *pleraque*, quam ex rationibus Latini sermonis subtiliter explicatam dedit *Perizonius* in *Dissert. VII de Republica Romana T. II Diss. p. 706 §. 12.* Recte propterea *Gerard. Jo Vossius de Histor. Latinis Lib. I Cap. I pag. 4. plumbeo eum pugione*, inquit, *hic pugnare, arguit illud, quod Livius contentus fuit dicere, pleraque Pontificum & aliorum monumenta periisse. Imo, ut longe plura atque adeo universa incendio hoc absumta forent, non propterea omnis antiquitatis Romanæ notitia periisset. Nec enim eiusce temporis homines memoriam usque*

usque adeo omnem amiserant, ut nec ipsi, penes quos non modo legendi, sed etiam scribendi servandique annales ius erat, non bona ex parte instaurare eosdem possent. Secundo, qui poterant omnia interire monumenta, cum maxima eorum & utilissima pars in tutissimo ædis Capitolinæ loco custodita fuerit? Adi *Dodwellum de Cyclis Diss. X p. 593.*

Pag. 31: du peu que nous trouvons cité par ci par là de ces traités. Hanc criminationem valde iniquam esse, persuasus sum. Primum enim non quæritur de his fœderum monumentis, quorum memoriam in libris antiquis servatam esse, hodienum deprehendimus, sed quæ re ipsa tum præsto fuerunt. Potest enim ex his indiculorum fragmentis numerus eorum exilis nobis videri, qui per se olim grandis & copiosus fuit. Dein quis nescit, hanc obtinuisse olim scribendi rationem, ut nunquam fontes rerum gestarum, nisi in causis dubiæ fidei, indicarent illi, non, quod certis historiæ scribendæ præsidiis destituerentur veteres, sed quod ipsa literarum elegantia quendam velut narrandi tenorem & continuationem sine frequentibus citationum diverticulis juberet. Præterea, nunc hoc, nunc illud, ad obscuritatem historiæ demonstrandam facere potuisse, mones, quo tamen nihil constabilitur. Forte etiam, inquis, Scriptores tam veteribus memoriis aut nesciverunt uti, aut noluerunt. Utrumque contigisse, ne minima quidem suspicio ex libris eorum, aut aliunde, est, sed gnaviter cuncta excussisse, sola laus videtur approba-

Digitized by Google

re, qua *Livius Cincium* commendat, *diligentem talium monumentorum auctorem* nuncupans *Lib. VII c. 3.* Immo clarissime patet iuniorum ex Auctorum testimoniis, quantum laborem, studium, atque operam, colligendis digerendisque rerum summis maiores impenderint. Verum, ut Scriptorum incuriam Censor ostenderet, nonnullas adduxit e *Polybio* & *Plinio* foederum formulas, quæ cum vulgari constantique Auctorum ceterorum famæ refragentur, nihil aliud inde effici posse putat Censor, quam ut *Livio, Dionysio*, & aliis rerum vetustarum auctoribus, tales foederum leges silentio prætereuntibus, fides abrogetur, aut rerum certe illarum omnis traditio suspecta nobis & lubrica videri debeat. Si hæc est felicitas tuae Criticæ, ut gladio nodum Gordium scindas, parum curans, quomodo solvatur, ægre non feres, si Te nimis ferocem *Aristarchum* appellavero. Valde memorabilem esse illam *Polybii* formulam (*Lib. III c. 22 p. 245* ed. *Gron.*), non nego, nec a quoquam alio Auctore proditam, cum *Casaubono* in *Historiæ Polybianæ Synopsi Chronologica p. 1587 T. II* lubens præ me fero, sed, eandem quoque opinioni meæ mirabiliter patrocinari, simul profiteor. Etenim, meo iudicio, tam tenuia & parva Romanarum rerum initia, si *Dionysium* audis, non fuerunt, ut nominis Romani virtutem & gloriam angustis Romæ & Latii limitibus ante Italiæ subiugatæ tempora contentam fuisse arbitremur. Sed forte id satis argumenti est, Romanos iam hoc anno Tarquinienses & Etruscos vicisse, quoniam Car-

tha-

Digitized by Google

thaginienſes, nondum valida admodum Romanorum re, cum iis foedus pangendum eſſe, iudicarunt. Tantis vero Etruſca gens diu ante *opibus erat, ut iam non terras ſolum, ſed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, fama nominis ſui impleſſet*, *Livio* auctore (*L. I c. 2*). Quæ cum videretur aliquid priſtinæ famæ ſuæ amiſiſſe, fractis nonnihil rebus ſuis, triumphante hoc anno *Publ. Valerio Poplicola*, ut ex faſtis triumphalibus conſtat, haud dubie Poenis huius ineundi foederis cum Romanis expreſſa neceſſitas eſt, verentibus quippe, ne Romani, in occaſionem a fortuna datam intenti, & in ſuis antea rebus obſtinati ultores, ad maiora aliquando graves ſervent animos, qui forte aſportandi ſolum frumenti cauſa in Siciliam navigabant, ne aliquando prædas in mari agere inciperent. Nam, etſi *Polybius* (*Lib. I cap. 20 p. 28* ed. *Gron.*) auctor ſit, ante bellum Punicum primum nunquam Romanos cogitaſſe de navibus, *τότε πρῶτον*, inquiens, *ἐπεβάλοντο ναυπηγεῖσθαι σκάφη - - - τῶν δὲ ναυπηγῶν εἰς τέλος ἀπείρων ὄντων τῆς περὶ τὰς πεντήρεις ναυπηγίας, διὰ τὸ μηδένα τότε τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν κεχρῆσθαι τοιούτοις σκάφεσι - - οὐ γὰρ οἷον εὐλόγους ἀφορμὰς ἔχοντες, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀφορμὰς καθάπαξ, οὐδ᾽ ἐπίνοιαν, οὐδέ ποτε ποιησάμενοι τῆς θαλάττης.* Id tamen puto intelligendum eſſe de navibus onerariis & claſſicis, ipſoque

que maris dominio, non de vectoriorum navigiorum usu, utpote quæ Romanos diu ante mercium importandarum, frugumque coemendarum, causa conscendisse, non modo *Anci* temporibus *usque ad mare imperium Romanorum prolatum, & in ore Tiberis Hostia urbs condita*, (*Liv. L. I cap. 33,*) sed quæsitum etiam frumentum dextris ab ostia littoribus, lævoque per Volscos mari usque ad Cumas, imo in Sicilia quoque quæsitum, (*Liv. L. II cap. 34,*) & largitiones Siculi frumenti a *Sp. Cassio* plebi factæ (*Liv. L. II cap. 41*), declarant. Plura de hoc loco vide apud *Huetium* in *Histoire du Commerce & de la Navigation des Anciens cap. 21 p. 113 - 120* (*a Paris 1727, 12,*). Maior difficultas oritur e nominibus Consulum, tabulæ fœderis icti præscriptis. Quanquam enim eodem, quo *Brutus*, anno *Horatius* Consul erat; *Brutus* tamen cum hoc Consule simul fasces non tenuit. Unde *Justus Rycquius de Capitolio Rom. cap. XI p. 98* eam templorum & magistratuum confusionem antiquissimo seculo & incuriæ *Polybii* condonare vult; *Dodwellus* vero, *de antiquis Rom. Cyclis Diss. X Sect. 104 p. 664* ἀκρίβειαν & fidem *Polybii* aperte sollicitans, *Et sane*, inquit, *Polybium ipsum illis accenset gravissimus Criticus, Dionysius, qui temporibus hisce antiquissimis minus fuerint accurati;* his tamen duobus in *Polybium* severius animadvertit *Iul. Pontedera*, Vir Celeberrimus, cuius verba hic transscribere, non a re alienum esse puto, præsertim

cum

cum Epistolæ eius in paucissimorum hominum manibus versentur. Ait autem Vir literatissimus in *Antiquitatum Latinarum Græcarumque Enarrationibus Epistola XXXVI p. 324 seq.*: *His tamen ab omnibus receptis & probatis opponuntur, quæ Polybius de primo inter Romanos & Carthaginienses icto fœdere memoriæ mandavit. - - Quis enim præter hunc scriptorem Brutum & M. Horatium simul primos Consules facit, & ab utroque Capitolium sacratum dicit? Quæ si vera traduntur, satis admirari nequeo, cur Dionysius eadem silentio prætereat? Cur Livius, qui tam multa a Polybio exscripsit, ista non sequatur, vel ut mendacia & falsa non refellat. Etenim, quicunque res gestas scribendas suscipit, quæ apud probatos scriptores pertinentia reperiuntur, nullo modo dissimulare, aut posthabere, debet, sed repetere & confirmare, si vera, vel vitii insimulare, si falsa. Neutrum factum est, quasi scribendo delirasset Polybius, cui nisi plurimum tribuisset Livius, non parvas perpetuo ordine historias ab eodem mutuatus non fuisset. Quid igitur dicendum? Quod res ipsa declarat, Dionysii ac Livii ætate in Polybio non exstitisse illa, sed inferiore tempore ab imperito, nescio quo, inserta. Nam sunt alia illo fœdere comprehensa, quæ ad illa tempora non pertinent. Ardeates enim, quibuscum gerebant bellum Romani, (ab Ardeæ obsidione propter intestinos tumultus & impotentes Tarquinii libidines recesserant, pactis in XV annos induciis,) cur hostes tanquam socii recipiuntur, & ab omni* Car-

Carthaginiensium iniuria vindicantur? Hæc ille. Sed rectissime Auctor *Residuorum ad templum Capitolinum & Rycquii Commentarium*, seu Vir philologus, hoc est, *Jac. Gronovius*, a duriuscula hac virorum doctorum censura *Polybium* liberavit *p. m. 22-24*, (ed. Lugd. Bat. 1696, 12.). Rationem, cur in principio posita fuerint horum Consulum nomina, erudite investigavit sæpissime a me laudatus *Perizonius* in *Diss. IX p. 697 T. II Differt.* eius, iunctim in lucem editarum L. B. 1740, 8.

Pag. 35: en quoi il est dans une oposition manifeste. Male. Non enim vox ὑπήκοοι ad Ardeates, Antiates, Laurentes, Circeienses, Tarracinenses, referri simpliciter potest & debet, qui inter Ῥωμαίων συμμάχους locum iure obtinebant, sed spectat potissimum ad ἄλλον μηδένα Λατίνων, quasi γενερικῶς dicantur Λατίνων ὑπήκοοι, hoc est, legibus & foederi Latino addicti & obnoxii, inter quos, non inficior, urbem Romam jam tum principatum affectasse. Etenim non sine ratione scribit *Livius* (*L. I c. 45*): *Ea erat confessio, caput rerum Romam esse.* Adhæc ipsa etiam verba ὅσοι ἂν incertum & futurum sæpissime tempus designant, ut ideoque Carthaginienses videantur non solum, quod præsens, & ante pedes modo erat, vidisse, sed etiam illa, quæ futura erant, Romanæ ditionis incrementa prospexisse. Ceterum vereor, ut in reddendo formularum illarum sensu ubique accuratus & diligens esse potuerit *Polybius*, utpote

Digitized by Google

te Græcus homo, & priscæ latinitatis tanto minus gnarus, quanto magis perspectum erat, illorum monumentorum explicationis nonnunquam viris ex Romana gente doctissimis negotium facessivisse. In talibus enim causis, præsertim tam veteribus, unius quandoque syllabæ, aut vocis, immutatione in utramque partem peccatis locus est, quibus vernaculæ hodienum exercitationes versionum quotidie laborare solent.

Pag. 36: Si Tite Live eût consulté ce traité, il n' eût pas manqué. Vide ad h. l. *Livii Jo. Douiatium p. 425.* Diu ante, scilicet A.U.C. 268, *Sp. Cassio Viscellino* III, & *Proculo Virginio Tricosto* Coss. regnante *Gelone* Tyranno, Pœnos in Siciliam venisse, certum est, quod *Diodorus Siculus L. XI T. II* ed. *Rhod. p. 16 - 20,* & *Herodotus L. VII cap. 165 p. 438* ed. *Gal.* pluribus exponunt. Sed, fractis rebus, & exercitu pæne omni deleto, eodem reverti ante non ausi sunt, quam per seditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum ducerent. Quare non iniuria primum eorum ingressum ex eo tempore notavit *Livius*, postquam manere decreverant. Etsi enim *Diodorus Siculus L. XIII p. 169 T. II* scribit: Excitos demum A. U. C. 341, *M.* [illegible]*elio* & *L. Furio Medullino* Coss. ab Aegesth[illegible]ontra Selinuntios fuisse; vero tamen simile e[illegible]osdem in Sicilia quoque, durante bello Peloponnesiaco, novas res moliri cœpisse, præsertim cum idem *Diodorus L. XII p. 129* memoret, iam A. U. C. 330 *App. Claudio, Sp. Nautio, L. Sergio,*

Digitized by Google

gio, & *Sext. Iulio*, Trib. Milit. Coſ. pot. ab Ægeſthanis in auxilium vocatos eſſe.

Pag. 37: Comme du premier, qui ſe ſoit fait. Iniquiſſima eſt dica, quam *Livio* ſcribis. Nunquam illud fœdus, quod cum Carthaginienſibus legatis, amicitiam ac ſocietatem petentibus, *M. Valerio Corvo* & *M. Popillio Lana* Coſſ. hoc eſt, A.U.C. 406, Romæ ictum erat, primum vocavit. Contra ſatis liquet ex eodem (*L. IX cap. 43*), non incognitum ei fœdus *Polybianum* fuiſſe, quoniam ibidem, *Et cum Carthaginienſibus*, inquit, *eodem anno fœdus tertio renovatum*. Quo efficitur, ut *Livius* ante conſtituerit duo fœderum genera, alterum a *Polybio* traditum, alterum, cuius ipſe (*L. VII cap. 27*), meminerat. Prius eum ſane minime latere potuit. Sed, cur idem ille, qui *Polybium* in multis vertit, hoc fœdus noluerit de Græcis in linguam Latinam vertere, vel ſaltem eo indicio admoneri, ut atcherypon cognoſceret, ad nos non pertinet iudicare.

Pag. 39: Telles qu' il n' auroit pu les impoſer qu' à un peuple qu' il auroit ſubiugué. Miror, magno *I. F. Gronovio* ad *Tacit. Hiſt. Lib. III cap. 72* (*p. 414* ed. *Amſtel. 1672, 8*,) idem in mentem veniſſe. Putat enim, confiteri *Plinium*, Romanos aliquam a *Porſena* obſequii formulam accepiſſe, nec *Taciti* narrationem longe abire ab hac indignitate, quæ apud *Plinium* eſſet (*L. XXXIV cap. 54*); ſed nullam adhuc video cauſam, quare unicus *Taciti* locus ceterorum omnium Auctorum, quotquot in hanc

hanc usque ætatem transmissi supersunt, testimoniis opponatur. *Plinii* certe verba vulgari sententiæ fraudi esse nullo modo possunt. Si enim *Porsena* Romanos superasset, illa formula potius *lex*, quam *fœdus*, appellanda fuisset. Verum aut communis hæc apud antiquissimas gentes consuetudo obtinuit, ut, pace constituta, ea inprimis lex sanciretur, *ne ferro, nisi in agricultura, uterentur*; hoc est, ne ferrum postea, telluri fodiendæ aptum, in cædem hominum vertere conarentur, aut ferri tum, quod magis placet, raritas in caussa fuit, quare id nominatim in fœdere comprehensum invenerit *Plinius*. Aliter enim haud planum fit, cur etiam *stilo scribere vetitum* vetustissimi Auctores prodiderint. (Scribendum enim utique hoc loco *vetitum* pro *intutum*, quem locum ex manuscripto restituit *Gronovius*.) Quanquam enim *Plinius* ibidem auctor est, *ferri metalla ubique propemodum reperiri*; in ipsa tamen Italia ferri interdum inopia fuisse videtur, quemadmodum *Comi*, utpote quibus in locis ferraria metalla non fuerunt, teste eodem *Plinio Lib. XXXIV Sect. 41* ed. *Hard.*

Ad *Cap. IV pag. 45*: *Le Secours de tous les bréviaires* &c. Imperita contentio librorum pontificalium cum hodiernis sacrificulorum Pontificiorum breviariis. Quid enim omnia, quæso te, hodie Missarum crepundia, & inconditæ illæ rituum descriptiones, cum rebus publice gerendis commune habent? At, quoniam olim sive domi militiæque, sive privatim publi-

ceque, vetere consilio conditorum urbis nihil inchoari sine rebus divinis rite perpetratis poterat, satis intellectu proclive est, multa in talibus libris formulariis describi oportuisse, quæ quidem ad sacra proprie non pertinebant, sed quæ plurium tamen rerum ante actarum memoriam in lucem utcunque proferebant.

Pag. 46: Si une partie de ces livres ne pourroit pas nous être suspecte avec raison &c. Male confundis libros Pontificales cum Annalibus Pontificum. Illos aliquantisper a Pontificibus suppressos fuisse, ut religione obstrictos tenerent multitudinis animos, ut haberent, quo identidem plebs consultum veniret, non inficior. Verum, de Annalibus nihil abscondisse Pontifices, Auctor classicus est idem, *Cicero de Orat. (L. II cap. 12), res omnes*, inquiens, *singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.* Nec, ab ipso *Livio (Lib. VI cap. 1)* rem eandem traditam esse, abnuerim. Quæ enim certantium studia in verbis: *alia ex aliis*, seu *alia ex eis, edita etiam in vulgus*, quorum sensus est obscurus? Nam eruditum profecto fuisset, partem earum legum supprimere velle, quæ iam ab universo populo latæ promulgatæque in foro erant. Tolle *alia ex eis*, &, omnia apta & bene connexa esse: videbis. Suspicor propterea, legendum esse *annales editi etiam in vulgus*, etiamsi Codicum auctoritas deficiat, quam negligere hic invitus

vitus

Digitized by Google

vitus cogor. Interim magna est diversitas Codicum in hoc loco, quam vide apud Celeberrimum *Drackenborchium T. II p. 258*, & in similibus his literarum formis facillime labi scribæ solent. Cum enim paulo ante *Livius* excitarit Commentarios Pontificum, quod generale nomen esse opinor, sub quo & Annales & libri sacri Pontificum continebantur, haud incongruum videtur statuere, ex illo Commentariorum genere Annales more institutoque maiorum in vulgus editos fuisse, reliquam vero partem scitis, formulis, & mysteriis, Pontificum destinatam lucem non vidisse.

Pag. 47: Ne suffit elle pas pour nous rendre suspects tous ces livres des Pontifes.) Vide, quæso, ne, dum Pontifices Romanos ex lege Corneliæ falsitatis accusas, ipse legis Remmiæ sanctione tenearis. Haud difficulter enim iniquissimæ huius suspicionis illi absolvuntur, si consideraveris, aliud esse, sacrorum religiones, ab opinione vulgi sensuque disiunctas, non propalare, aliud instrumenta imperii & urbis vitiare, &, si illud commiserunt, non sequi, ut etiam hoc perpetraverint. Num propterea contendes, publica rerum monumenta sub *Augusto* confusa fuisse, quia ipse Imperator auctor fuit, *ne acta Senatus publicarentur*, teste *Suetonio* (in *Aug. 36*), quæ suspiciones importunæ si valerent, nulla forte memoria a fraude & mendaciis hominum immunis foret. Esset enim aliquis, qui non tantum res vetustas in dubium vocaret, quod *Livius*, (*Lib. III cap. 55*,) *institutum etiam*, inquit, *ab iisdem Con-*

ſulibus, ut SCta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quae ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque, ſed orietur fortaſſis etiam nonnemo, qui recentiorum temporum, quibus *Ciceronis* ingenium eluxit, hiſtoriam perverteret, quod ipſe *Cicero de Leg. Agrar. II cap. 14, T. II P. 1* ed. *Grav. p. 409*, de licentia Decemvirorum, tabulas corrumpentium, queritur, *illud magis eſt*, inquiens, *credendum & pertimeſcendum, quod audaciae decemvirali corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumque Senatusconſultorum, quæ facta nunquam ſunt, cum ex eo numero, qui per eos annos Conſules fuerunt, multi mortui ſint, magna poteſtas permittitur.* At enim vero tua exempli inductio, a libris *Numæ* deſumta, nihil conficit. Obſunt enim narrationis illius veritati non contemnendæ rationes, quas apud *Thom. Hearnium* in *Annotationibus* ad *Tom. V Livii pag. 243*, & *Crevierium T. III pag. 507*, omnia propemodum inde mutuantem, leges. Adde *Marc. Donatum* in *Livio Drackenborchiano (T. V pag. 488 ſeq.)*, quorum tamen iudicio hic ſuffragari nolo, quoniam illa res a doctiſſimis clatiſſimisque antiquæ memoriæ teſtibus, *Livio, (Lib. LX cap. 29,) Plutarcho*, (in *Numa pag. 74,*) *Plinio, (Lib. XIII cap. 13,) Valerio Maximo, (Lib. I cap. 1 §. 12,) Lactantio, (de falſa Religione Lib. I cap. 22 p. 110* ed. *Heum.*) & *Feſto* (in *Numa*), traditur, cuius lacunas *Scaliger* in *Caſtigationibus* ſuis *pag. 115* ed. 1576 egregie reſtituit. Sed me haud

poe-

pœnitet eorum esse sententiæ, qui putant, non tam in illis libris diversis rituum, cerimoniarumque, formulas ab his, qui tunc obtinebant, exscriptas exsignatasque fuisse, quam nonnulla liberius dicta de Diis, eorumque criminibus, lectis rerum summis, *Q. Petilium* animadvertisse, quæ cum dissolvendarum religionum essent, nefas iudicabat Prætor, (id enim est illud *μηδὲν ὅσιον ἐκπιστα τοῖς πολλοῖς τὰ γεγραμμένα γενέσθαι* apud *Plutarchum* l. c.) talia de mysteriis illorum numinum irreverentius, hoc est, verius, scripta evulgari. *Plinius*, notanter addens rationem, cur combusti fuerint libri, *quia*, inquiens, *philosophia scripta essent*, &, ut conjicio, plerasque Deorum virtutes portentaque procul dubio ludibrio haberent. Non igitur perinde-est, quemadmodum *Jo. Tolandus* in *Adeisidæmone pag. 18*, ad hunc locum commentatur, *utrum hæc verba omnem innuant Superorum cultum dissolutum iri per Numæ libros, sub Janiculo repertos; an vero solam illius ævi Romanam religionem in periculo versatam esse*, & paulo post: *Quocunque modo supra allata Livii verba intelligere velis, manifesto exinde patet, religionem apud Romanos fuisse Politiæ in totum adaptatam.* Si enim hæc sola ratio fuisset, quare Commentarios *Numæ* abolitos cuperent, quod multum a pristinis *Pompilii* institutis illorum temporum religiones abhorrerent, veriti quippe, ne sacrorum fides populo sublesta fieret, insipienter sane & ridicule fecissent, si ea tunc

demum sacra multis studiis asservare tentassent, a quibus iam ante populi voluntate, legisque XII Tabularum auctoritate, haud inviti recessissent. Verum libri illi omnem Numinum reverentiam pervertere videbantur, quod ex *Lactantio l. c.* clarius discimus, ubi diserte, *quibus religiones*, inquit, *non eas modo*, *quas ipse instituerat*, *sed omnes praeterea*, *dissolvit*.

Pag. 54: D' ou vient cet Historien trouveroit il tant de peine &c.) Ἄπορος πολύς. Has querelas non a defectu, sed abundantia, monumentorum profectas esse, crediderim, quæ a nostris quoque memoriis haudquaquam abesse solent, etsi innumeris Actorum, Diplomatumque, tabulis hodie superbiamus. Est enim videlicet ea historiæ natura, ut in nonnullis sæpissime causis semper aliquid tenebrarum & obscuritatis maneat, quod satius est in medio relinquere, quam, multa coniiciendo, nihil dicere.

Ibid. A nous les faire considérer comme un tissu des fables &c. Utcunque statueris, haud scio tamen, utrum, tuam magis adversus res vetustas & incompertas iniquitatem prodas, an librorum illorum auctoritas infirmior sit futura, quam subvertis. Etsi enim super illorum fragmentis, quæ indicant Auctores, præfracte non pugnavero, cessurus etiam læto animo certiora docentibus; hoc tamen me puto liquido ostendisse, non omnino intercidisse Annales maximos, antiquissimorum temporum testes locupletissimos. Sufficit nobis, a *Cicerone, Dionysio, & Gellio* inprimis, excitari, qui ni exstitissent, quis con-

contendat, eos nihilo minus, cultissimorum Auctorum testimonio, laude & suffragiis dignos judicari oportuisse? At, is gnaviter impudens sit, necesse est, qui ex unico istorum librorum fragmento, in *Noctibus Gellianis* servato, omnes eorum virtutes definire audet, nihilque præstitisse aliud, quam miraculorum aliquot ineptias & nugas, comminiscitur. Uti enim ridicula, *nec ex cathedra* (sunt verba *Tolandi* in *Adeisidæm. pag.* 52 §. 25,) *lata, est Gregorii contra Livium sententia, quasi sinceram Romanorum historiam posteritati commendare posset, si religiones eorum, quæ res civiles tam prope spectabant, non sigillatim diserteque enarrasset, aut quasi superstitiones eorum non optima fide commemoraret, nisi animum iisdem habuisset occupatum & imbutum* (conf. *Les Oeuvres du* Francois de la Motte le Vayer *dans le Jugement des Auteurs Latins*, sub *Tite Live p.* 371,) ita quoque Annalium conditores minus candidos & veraces judicaverim, ni, quod creditum vulgo erat illis temporibus, in literas retulissent, quorum deinde vestigia recentioris ævi Auctores legere suo jure debebant. Recte enim *Valerius Maximus Lib.* I *cap.* 8 *pag.* 101. ed. *Torren. Nec me præterit*, inquit, *de motu & voce Deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur, sed, quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent: nostrum sit, inclytis literarum monumentis consecrata perinde ac vana non refugisse.* Quænam porro vis est ratiocinii

tui? Quia *Gellius* absurdam aliquam fabulam, & naturæ legibus repugnantem, ex Annalibus maximis repetiit, ergo nihil Annales illi præter portentorum acervos continuerunt? Ad eum modum si velis iudicare, *Eusebium* quoque, *Socratem*, *Sozomenum*, *Theodoretum*, & alios sacræ disciplinæ Auctores, ex eorum Scriptorum medio tollere poteris, qui historiæ civili & legibus illorum temporum intelligendis prosunt. Etenim proclive tibi erit, ex tituli natura demonstrare, usum eorum in rebus politicis & civilibus nullum esse posse, quia Historiam Ecclesiasticam scripserunt. In Actis Senatus & urbis nonnullorum fit prodigiorum mentio. Conficiturne ex eo, ut præter aliquod tactiones quercuum de cælo nihil illa memoriæ mandarint?

Pag. 58: On peut assez naturellement conclure de là, que ce qui concernoit.) Τὸ Δίϊον γρύ. Primum enim non constat, utrum ille sacrorum neglectus a Pontificum maximorum incuria, an ab efferatis militia animis Romanorum, vel *Tulli Hostilii* ferocia, ortum habuerit, utpote qui, teste ipso *Livio*, nihil ratus erat minus regium, quam sacris dedere animum. Videtur potius religionum curatio a nutu & arbitrio Regem pependisse, qui, si omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxii degerent, multitudinem quoque omnem a vi & armis ad consultanda procurandaque sacra convertebant, ipsique se homines in Regis, velut unici exempli, mores formabant, contra, si undique excitandi belli materiam quærebant Reges, tota

quo-

Digitized by Google

quoque civitas eum ſtatum rerum, neglectis quandoque religionibus, aut prave cultis, requirebant, non quod Pontificum interfuerit, ſacrorum Commentarios vitiare, ſed quod Reges ipſi ſacra rite inire noluerint, aut quod plebs ipſa in mores & inſtituta Regis ſui abiret. Deinde, diſtinguendum eſſe, cenſeo, inter id, quod gubernandæ rei publicæ cauſa, & quod poſteritatis ratione habita fieri ſolet. Illic fraudem locum habuere potuiſſe, concedo. Hic autem, ubi totum eſt ingenuitatis negotium, nec, quid tuæ ætatis hominibus approbes, ſed quid poſteri de te iudicaturi ſint, vehementer proſpiciendum; mirari nos non ſubit, cur, quæ ad ſacra pertinebant, a Pontificibus maxime, ut tanto magis aſſidua Deorum cura & pietate multitudinis pectora imbuerent, occultata, Annales vero ſoli in album relati, & in publico propoſiti fuerint.

Ad *Cap. V p. 62: Que l' hiſtoire n' ait pas retiré grand avantage.*) Ἀπροσδιόνυσα ſcribis. Interim controverſiæ de *A. Cornelii Coſſi* ſpoliis opimis diu immorari non lubet, quoniam ante nos a viris doctiſſimis eruta iam & enodata fuit. Vide ante omnes *Thom. Demſterum* (in *Etruria Regali Lib. II cap. 52 pag. 214 T. I,*) & *Jac. Perizonium*, qui rem totam ex inſtituto pertractavit, (in *Animadverſ. hiſtoricis Cap. VII* a *pag. 236 - 320*, Amſtelod. 1685, 8,) cuius aliquot paſſim ſummulas repetiit Celeberrimus *Drackenborchius* ad *Livium* (*Lib. IV cap. 19*). Inprimis tenenda eſt defenſio *Livii Perizoniana*

contra *Muretum*, (*Var. Lect. Lib. XV cap.* 14,) *Thom. Hearnium*, (in *Annotat.* ad *Vol. I pag.* 192,) & *Clericum*, qui omnes animadverterant, *Livium* ſibi repugnare. Inquit enim *Perizonius l. c. pag.* 290: *Verum hæc non eius fuit negligentia oſcitantiaue, ſed ſtudium veritatis, quam autem reverentia Auguſti obſcuraverat, id quod etiam prodit, quum ſerie rerum ad ipſum Coſſi Conſulatum deducitur Cap. 30, ubi nullam Tolumnii, nullam omnino opimorum, tunc temporis ab eo relatorum, mentionem facit.* Hunc quoque pereximium *Perizonii* locum Celeberrimus *Dratkenborchius* (ad *Livium IV*, 32, *p.* 992, 993, *T. I*,) in compendium miſit, ad quem Lectores ablego. Ceterum Vir doctus coniectura ſua, quam ipſe Celeberrimus *Drackenborchius* ad *Liv. IV*, 19, *p.* 938,) non probat, ſuperſedere potuiſſet, ſi *Perizonii*, viri ſuis meritis vere magni, de ſpoliis opimis diſputationem legere dignatus eſſet. Quis enim credat, *Auguſtum* & *Livium* tam oſcitanter inſpexiſſe titulum, ut neuter horum diſcrimen cognominis & dignitatis viderit. Rectiſſime contra Celeberrimus *Drackenborchius* titulum hoc pacto refinxit:

A. CORNELIVS COSSVS. CONSVL.

Quare huius Epigrammatis veritatem non ſine veri ſpecie defendit *Crevierius* ad *h. l. pag.* 257, *illa*, inquiens, *Inſcriptio non ideo coniiciebat neceſſario in unum eundemque annum Coſſi ſpolia opima, eiusque Conſulatum: ſed declarabat tantummodo, eum & Conſulem fuiſſe, & ſpo-*

Digitized by Google

ſpolia opima cepiſſe, h. e. duplici nomine clarum haberi, quod & magiſtratu ampliſſimo functus eſſet, & rariſſimum in bello decus ſibi peperiſſet, quamvis illa decora diverſis temporibus ei contigiſſent.

Ad *Cap. VI pag. 68: Qui introduiſit la coutume de publier ces actes* &c.) Si lectionem meam, ſupra * adductam, probare non vis, vulgarem quoque communi illa explicandi lege, quam *Suetonii* interpretes commendant, defendo. Aiunt ſcilicet, nonnulla apud *Suetonium* late ſumi, quæ ſtricte intelligi nequeant, eamque legem aliquot exemplis demonſtrant. Sic ſcribere *Suetonium* inquiunt (in *Tiber.* 37), *Tiberium ius moremque aſylorum, quæ uſquam erant*, aboluiſſe, cum ex *Tacito* tantum conſtet, modum ei rei adhibitum fuiſſe. Eodem modo prodere eum dicunt (in *Auguſt. c. 43*), *Auguſtum navale prælium circa Tiberim cauato ſolo, in quo nunc Cæſarum nemus eſt*, edidiſſe, quæ quidem marmoris Ancyrani dictis apprime convenirent, at *Suetonii* temporibus non æque. Etenim *Suetonii* ætate nihil forte præter nemoris appellationem ſupererat.

Pag. 69: Mais je doute fort, que ce fut un recueil d' actes &c. Immo ſatis oſtendit *Dodwellus* in *Prælect. Camd. Præl. XI* § 4 *pag. 392, 393*, per *Muciana* Acta intelligi poſſe Senatus Commentarios, hoc eſt, Senatorum orationes, in-

* Vide horum *Miſcellaneorum Vol. II P. IV p. 620.*

interlocutiones, altercationes, & alia id genus suffragia, uno verbo, omnia, quaecunque in utramque partem olim in curia disputata fuerant. Neque illud dubium tuum, a Bibliothecis & Epistolarum ratione desumtum, impedit, quo minus illa pro publicis haberi debeant. Quidni enim vel *ἀπόγραφα* esse poterant ad fidem *αὐτογράφων* descripta, vel in eiusmodi Bibliothecis custodita, quae posteris temporibus in locum tabulariorum successerunt, qualis erat sub Imperatoribus Bibliotheca in templo Pacis, Bibliotheca Tiberiana, Ulpia. Vid. *Vopisci Divum Aelianum pag. 209*, ed. *Hist. Aug. Script.* Paris. 1620, fol. eiusdemque *Tacitum pag. 228*, & *Probum p. 233*, item ibid. *Claud. Salmasium* in *Trebellium Pollionem p. 302.*

Ad *Cap. VII pag. 73*: *Parce qu' il ne les cite jamais que d' après Licinius Macer* &c.) Huius sententiae rationem convellit locus *Livii Lib. IV cap. 13*, quem vide.

Pag. 75: *Qu' il y en avoit plus d' une edition* &c.) Nescio unde duplex librorum linteorum genus possis hariolari, nisi te *Livii* formula: *in tam discrepanti editione*, quae ibi Consulum editio est, forte in errorem deduxerit. Nam, unicum *αὐτόγραφον* fuerit, necesse est, reliqua exemplaria, quorum per se non plena fides, quod a librariorum mendis immunia esse non solent. Sed praeclare itidem *Perizonius* in *Animadvers. hist. cap. IX p. 370*, *diversos*, inquit, *unius anni Consules a diversis Tuberone*

& Macro proferri, iure miratur, & notandum duxit Livius. Causa rei haud dubie est alterius utrius ἁμάρτημα μνημονικόν.

Pag. 76: Qui avoit fait partie des mémoires de famille &c.) Inscite. Nunquam enim legimus, Commentarios familiarum in æde sacra & publica repositos fuisse, quemadmodum libri lintei, quos ad Monetæ invenit *Licinius Macer. Plinii* vero locus (*Lib. XIII cap. 11*), quem contra lintei usum publicum & sacrum excitas, nihil obest. Id enim non vult *Plinius*, ut lintei usum publicis monumentis abiudicet, sed particulæ illæ *mox & satis* denotant, linum olim proprie, ut Hieraticam chartam, religiosis voluminibus dicatum fuisse, quo tamen mox etiam privata confici cœperunt. Conf. hic Auctores, quos Celeberrimus *Drackenborchius* ad *Liv. Lib. IV cap. 20 pag. 938 seq.* laudat.

Pag. 80: Que chaque famille conservoit avec grand soin &c.) Id certe *Dionysius* non tradit, sed custodiebant tantum illos Commentarios ἀπὸ τῶν τιμητικῶν οἴκων ἄνδρες ἐπιφανεῖς.

Ad *Cap. 8 pag. 85: Ils servoient bien plus à embrouiller l'histoire.*) Male hic denuo confundis familiarum commentarios cum elogiis funebribus, ex quibus nonnullas Scriptorum discordias fluxisse, cum *Dodwello* (*de antiquis Rom. Cyclis Diss. X Sect. 74 pag. 591*), & *Perizonio* (in *Animadvers. historic. cap. 6 p. 207 seq.*), non inficior. Sed evidentissime hos Commentarios

a mor-

Digitized by Google

a mortuorum laudationibus distinguit *Gellius* (*Noct. Att. Lib. XIII cap. 18*), & inprimis *Cicero* (in *Bruto cap. 16*), *ipsa enim familia*, inquiens, *sua quasi ornamenta & monumenta servabant & ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam, quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior.* Neque alia re quoque vitiatam memoriam, nisi funebribus laudibus, falsisque imaginum titulis, esse retur *Livius l. c.* (adi, sis, *Perizonium Anim. hist. Cap. VI p. 210-212*). Quam vanitatem nemo in priscis hominibus miretur. Etenim omnes laudis cupiditate ducimur, alius alia via, neque desunt hodie familiæ, quæ ad se famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Neque veterem tantum illis laudationibus historiam mendosiorem factam esse scribit *Cicero*, sed, *rerum*, inquit, *nostrarum*, quasi confiteatur, ne suis quidem temporibus honorum mentiendorum libidinem desiisse. At, neminem veterum, quantum scio, commentariorum codices reprehendere, memini. Potius digni fuerunt habiti, e quibus familiarum originem *Atticus* ipse ita subtexeret, ut *ex eo clarorum virorum propagines* cognoscerentur, *Cornelio Nepote* teste, (in *Vita Attici cap. 18*,) quibus libris nihil poterat esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habebant notitiæ clarorum virorum. Ex quo intelligitur, virum tanti ingenii & candoris, antiquitatisque diligentissimum investigatorem, eiusmodi stemmata traditurum

Digitized by Google

turum non fuisse, si perspectum habuisset, nihil in iis esse, de quo non ambigi, aut controversia certe moveri, posset. Ne quid dicam de familiarum ordinibus, a *M. Valerio Messala*, teste *Plinio* (*Lib. XXXV cap. 2*), digestis, cui, tantum abfuit, ut tralatitia falsorum titulorum & laudationum iactantia fucum faceret, ut potius ipse indignaretur, imbelles dominos intrare in alienos triumphos, siquidem ex aliis Commentariorum fontibus unicuique constare poterat, qui a quo ortus, quos honores, quibusve temporibus, ceperit. Ceterum Latini sermonis te non satis peritum esse, arguunt verba *Livii*: *& publica monumenta rerum confusa*, a te vernaculo sermone sic reddita: *& les monumens publics*. Ibi enim non intelligi publica monumenta, sed res publice gestas, manifestum est ex eo, quod singulorum gestis à *Livio* opponuntur.

Pag. 89: *Comme le temoignent Denis d'Halicarnasse* &c.) Recte hæc omnia dicuntur secundum Auctores priscos, sed de veritate omnis memoriæ dubitandi occasionem inde male arripis. Quodsi tibi dederim *L. Iunium Brutum*, filiis eius interfectis, sine prole decessisse, *Dionysio* (*L. V pag. 280* ed. *Hudson.*) & *Dione Cassio* (*L. XLIV p. 246* ed. *Leunc.*) auctoribus, (quanquam *Posidonius* apud *Plutarchum* in *Bruto* *p. 216, 217, T. V* ed. *Bryan.* huic rei contradicit,) num propterea alii ejusdem gentis patriciæ *Iuniæ* superesse non poterant, ad quos forte posteris temporibus plebeiæ gentis familia quædam a *Luc. Iunio Bruto* quodam, cuius *Dionysius* meminit

minit (*Lib. VI pag. 381* ed. *Hudson.*) iam ante cognomen sortita, vel adoptionis iure, vel connubii sanguine transibat. Quomodo enim tibi persuadeas, *Ciceronem*, tam gravem virum, *Bruto* assentari potuisse, nisi constans eius rei & popularis fama testimonium perhibuisset, aut qui potuisset *Cicero Attici* opus φιλοτέχνημα appellare (*Lib. XIII Ep. ad Att. 40*), nisi *Atticus* verisimillimas rationes illius generis assecutus fuisset. Eodem pacto non temere sollicitanda erant *Muciæ*, *Furiæ*, *Pomponiæ*, & *Marciæ*, gentis stemmata, quorum veritatem agnoscunt numi familiares apud *Valliantium T. II p. 102* & *278*. Etiamsi enim talia monumenta ad fidem rei faciendam simpliciter non valeant; ostendunt tamen communem vetustatis opinionem. De gente *Pomponia* vide ipsum *Plutarchum* in *Numa pag. 60 T. I* ed. *Bryan.* *Furiæ* autem gentis gloria excitatis *Suetonii* dictis nequicquam elevatur, cum quod unicus recentioris Scriptoris locus adversus tot locupletes memoriæ testes natura sua nihil efficit, tum quod hanc *Liviæ* gentis ostentationem satis redarguunt verba *Tranquilli*: *traditur etiam*, quasi dicat, esse hanc quæsitam propriæ familiæ laudem, cuius certam fidem derogabat vetustas famæ communis, hoc est, omnium intelligentium opinio.

Ad *Cap. IX p. 66*: *Ni autre Ecrivain contemporain.*) Convenit tua interpretatio cum *Aug. Mascardi* sententia, qui in libro, *dell' Arte historica* (*in Roma 1636*, 4, *pag. 7*,) temere improvideque scribit: *così espressamente dice Dionisio*:

apud

Digitized by Google

apud quos nemo antiquus exstat neque tabularum auctor, neque historiæ. His enim verbis: *Nec quisquam æqualis temporibus illis Scriptor exstat, Livius* Historicum potius, (hoc est, συγγραφέα, vel λογογράφον,) quam Annalium auctores, desiderare videtur. *Res enim sua memoria gestas*, inquit *Dodwellus* (in *App.* ad *Præl. Camd.* § 8, *pag.* 659,) *& sibi satis exploratas futuris in eorum monumentis consignabant coævi Pontifices Maximi* (vid. omnino ibi integrum locum). Sequentium vero temporum unusquisque Scriptor ex παλαιοῖς λόγοις ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένοις ἝΚΑΣΤΌΣ ΤΙΣ παραλαβὼν ἀνέγραψε, uti *Dionysius* (*Lib. I pag.* 59) auctor est. Et quomodo, quæso, *Licinium Macrum* falsi accusare, (*Liv. Lib. VII cap.* 9,) aut qua ratione imaginis titulum refellere, *Livius* potuisset (*Lib. IV cap.* 16.), si præter domesticas familiarum laudes nullum certius vetustatis monumentum exstitisset,

Cap. X pag. 105: *Ils n' ont parcouru que légerement* &c. Potestatem vocis κεφαλαιωδῶς assecutus non es. Non enim negligenter *Fabium* & *Cincium* scripsisse, prodit *Dionysius*, sed, tantum rerum summas, & capitulatim velut res gestas illos exposuisse, confitetur. In hac controversia satis nobis est id unum, a nonnullis δόξαις, siue πεπλανημέναις διαλήψεσι, quibus, ut nunc, sic olim, Scriptores propter humanæ sortis labem irretiri se passi sunt, ad levitatem, aut

ταχυπειθείαν Auctoris ipsius rationem non valere, sed hæc omnia tantum *secundum quid* intelligi debere. Poterant enim *Fabius* & *Cincius* ex populari temporum illorum opinione multa, ex monumentis plura, quæ inveniebantur, literis suis mandare, verum non tanto sane delectu, quanto Scriptores posterioris ævi, *Cato*, *Polybius*, *Varro*, *Livius*, & *Dionysius*, fecerant. Duo & plures iisdem monumentis uti possunt, neque tamen res usquequaque similiter ab omnibus declarabitur. Quo præstantior enim est in altero bonitas ingenii, tanto magis excubat quasi ad minutissimas *περιστάσεις*, quæ inquirentem ad verisimillimam rerum vetustarum cognitionem ducunt. Ex quo tamen non sequitur, ut, si in una re Scriptor erraverit, in omnibus simul caussis eum labi oporteat. Nonne ex ipso *Dionysii* iudicio vides illud *κεφαλαιωδῶς* scribere, item *τὸ ῥάθυμον αὐτȢ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν χρόνων*, & *τῆς ἀληθείας ἀταλαίπωρον* (*Lib. IV p. 234*), non impedire, quo minus alio in loco *Fabius* auctor *βεβαιωτὴς* dici nominarique possit (*Lib. VII pag. 475*). Præterea non est, quod verba: *Ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω*, ad tempora & res gestas populi Romani, quibus ipse *Fabius* interfuit, referamus. Nam eas certe perscribere apud animum non constituerat *Dionysius*, ad id saltem tempus pertexere historiam cupiens, unde *Polybius* initium sui operis fecerat. Contra satis luculenter hac dictione approbatur, *Fabium*

Digitized by Google

bium non modo ex conversatione doctissimorum hominum (ὁμιλίᾳ λογιωτάτων ἀνδρῶν), sed monumentis etiam, quæ ipse inspexit, multa didicisse. Pertinet huc egregia *Balduini* consultatio in libro *de Institutione historiæ universæ, & eius cum Jurisprudentia coniunctione, pag. 628 - 631 T. I Pen. Hist.* *Fieri*, inquientis, *profecto vix potest, quin aliquid falsi in historiarum monumenta irrepat. Sed nimis illi, non iam dico, morosi, sed importuni & intemperantes, Censores sunt, qui statim atque quippiam eius generis in aliquo Scriptore notare possunt, totum Scriptorem superbe ac fastidiose abiiciunt.* (Vide omnino integram eius orationem usque ad verba *pag. 631*: *falsa cum veris complectamur.* Quem sane locum ego omnibus Dialecticis, inprimis hominibus nostris, qui nescio quam victoriam de universa antiquitate se reportasse gloriantur, si propter aliquot errata Scriptoris, aut libri totius, fidem in dubium vocare possunt, legendum quam maxime commendo.

Pag. 110: Il avoit adopté bien d'autres fables, &c.) Talia pluribus argumentis refellere non est opus. Legas, quæso, *Perizonium* in *Diss. VII de Republica Romana T. II Opusculorum eius* §. *XI pag. 703 - 705.*

P. 113: Que c'étoit un très mauvais ouvrage &c.) Quis denuo tibi ius dedit, ab rerum *Annibalicarum* historia ad omnes *Fabii* libros concludendi? Quænam te intemperiæ tenent, aut cur talia componere audes, quæ componenda non erant? Poteras enim ex ipso *Vossio* phi-

storiæ *Fabianæ* de rebus Annibalicis, & annalium eius de *Originibus Romanis*, discrimen addiscere. Proinde, quod uno libro tribuit *Polybius*, non sequitur, ut alteri quoque accommodet. Neque contendit ibi *Polybius*, omnia in eo esse *ἄλογα*, sed notat tantum in aliquibus rerum gestarum particulis (*παρὰ τούτῳ*) eius *ἀλογίαν*, &, ut ipse fidem illius non penitus aspernandam censet, *οὐκ ἐν μικρᾷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ Συγγραφέως πίστιν*, sic auctor est suasorque, ne quis eius dicta tanquam cœlitus delapsa iudicet, (*οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν*, *T. I p. 230* ed. *Gron.*) quia Senator Romanus fuerit, & eius belli temporibus vixerit. Quod omnino iudicium maiorem verecundiam habet, quam tuum. Aliis quoque argumentis constat, *Polybium* hac *Fabiani* nominis obtrectatione omnem eius fidem tollere noluisse, quoniam *Titus Livius*, *Cremutii Cordi* confessione (apud *Tacitum Annal. Lib. IV cap. 34.*) *eloquentiæ ac fidei præclarus inprimis*, quem *Polybii* iudicatio latere nullo modo poterat, in his rebus potissimum, ubi nihil haustum ex vano volebat, *Fabium*, æqualem temporibus belli Punici II Auctorem, sequebatur (*Lib. XXII cap. 7*). Sed est scilicet ea hodiernorum Dialecticorum vafrities, ut, si per hos elegantiæ arbitros staret, etiam *Polybii* fides aliquando vicissim subleста haberi possit, quoniam a *Dionysio* (*Lib. I p. 60*) notatur, aliquotve

eius

Digitized by Google

eius errores *Perizonius* (in *Animadverſ. Hiſt. Cap. I pag. 12 ſeq.* & *34 ſeq.*) in medium attulit.

Cap. XI pag. 116: Que c' eſt ſur l' autorité de Fabius Pictor que tous les Hiſtoriens &c.) Vid. quæ ad h. l. diſſeruimus in *Sect. II pag. 479 P. III. T. II* horum *Miſcellaneorum.*

Ibid. Ignoratur enim noſtris temporibus hiſtoria &c.) Hiſtoriæ ſcilicet exædificatio, quæ in verbis poſita erat. Antiquiſſimi enim res tantum illuſtres annotabant, eaque ſæpe ſine ullis rerum adiunctis, præſertim ſi ordinariæ eſſent, nec magni ad memoriam momenti. Non tenebant profecto, quibus rebus exornetur hiſtoria, &, dum intelligeretur, quid dicerent, unam dicendi laudem putarunt eſſe brevitatem.

Pag. 122 lin. 10: dans quelque hiſtoire plus ancienne &c) Dubium nullum eſt, quin per *ἀρχαίας ἀναγραφὰς* apud *Dionyſium* publicæ monumentorum tabulæ ſignificentur. Opponuntur enim, ut puto, *χρονογραφίαις*, & hæ ſolæ ſcilicet erant *ἀξιοχρέοι*.

Cap. XII p. 127: Qu' il eût négligé de les nommer dans cet endroit &c.) Immo, quam inutiles per ſe ſint citationes, & quomodo hiſtoriæ veritas non ab eiusmodi indicationum frequentia, ſed ab indole, eruditione, & ingenio, ſcribentis pendeat, ſupra demonſtravi *P. I T. I* horum *Miſcellaneorum* a *pag. 70.* Conf. quæ diximus *T. II P. IV pag. 623.* Qualis autem hæc ſit tua criminatio, unica exempli inductione poteris intelligere. *Herodoti*, *Hellanici Lesbii*,

Eratosthenis, *Zenodoti Trœzenii*, *Dionysii Chalcidensis*, *Callistrati*, *Damastis Sigensis*, immo *Varronis* sui, in Præfatione non meminit. Igitur *Dionysius* hos omnes nec vidit, nec legit? Cur vero ibidem tabularum & Annalium monumenta nominatim indicare neglexerit *Dionysius*, neque mea, neque tua, nosse interest. Sufficit, virum sapientem *γράμματα*, *δέλτους*, *λόγους ἀρχαίους*, duntaxat in consilium adhibuisse, cum res accuratius definienda occurreret. Censesne tu, curiosissimum illum antiquitatis investigatorem, qui *λεπτομερῶς* sæpissime plura indagavit, quam domestici Auctores, unquam commissurum fuisse, ut eiusdem peccati reus evaderet, quod aliis vehementer exprobrabat. Atqui vero, cum ab illorum consiliis ratio eius longissime abesset, qui negligentius *προαιρούμενοι μὲν τὰς κρατίστας ὑποθέσεις, εἰκῆ δὲ καὶ ῥαθύμως αὐτὰς συντιθέντες ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων*, (*Lib. I pag. 1.*) rerum monumenta componebant, ipseque, hanc primam esse historiæ legem, putaret, ne quid falsi Scriptor dicere auderet, ne quid veri non auderet, (*ταῦτα δὲ νομίσας ἀναγκαῖα καὶ πρῶτα θεωρήματα τοῖς ἱστορικοῖς εἶναι*, & alio loco: *Ἐγὼ δὲ*, inquiens, *ὅσα μὲν ὁρᾶν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκούειν οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν*, (*Lib. I pag. 54.*) plane absurdum est, credere, talem virum, in quo nulla inerat suspicio gratiæ, nulla simultatis,

(ex

(ὡς οὐχὶ κολακείας χάριν, ἐπὶ ταύτην ἀπέκλινα τὴν πραγματείαν, ἀλλὰ τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ δικαίου προνοούμενος, *Lib. 1 p. 7*,) qui porro τάς τε τῶν ἑλλήνων καὶ τῶν Ῥωμαίων τῶν μάλιστα πιστευομένων ἱστορίας παραλαβὼν, *Lib. I pag. 35* ed. *Hudſon.* ſtudioſe legerat, talem, inquam, virum reapſe idem vitium potuiſſe ſectari, quod tantopere abhorruerit.

Pag. 134: Relever l'origine des Romains pour leur faire ſa cour &c.) Multorum teſtimoniis de hac re ſupra confirmatum eſt, maiora videri æternæ urbis initia, quam vulgo traduntur. Nam, qui rationem veterum coloniarum novit, ſatis intelligere poteſt, *Romulum* & *Remum*, tanquam duumviros coloniæ deducendæ, multas ſecum illuſtres & patricias familias abduxiſſe, e quibus deinde patres ſuos legiſſe *Romulus* videtur. Etſi enim *Livius* prodit, *obſcuram atque humilem* conciviſſe *ad ſe* multitudinem *Romulum*, (quo in teſtimonio perhibendo patriciis ſuis *Livium* nonnihil ſtuduiſſe, ſunt, qui ſuſpicantur,) puto tamen, utramque opinionem, & *Dionyſii*, & *Livii*, ſimul ſtare poſſe. Opus quippe erat ſine dubio turba hominum forenſi, ſine qua ne condi quidem urbs, nedum aliquid ad magnitudinem roboris accipere, poterat, ſed ſolo agreſti hominum genere conſtitiſſe, quis eſt, qui ſerio contendat? præſertim cum animadverterit,

Digitized by Google

ipsum *Livium* (*Lib. I cap.* 23), *cum Lavinium*, inquientem, *ab Troia*, *ab Lavinio Alba*, *ab Albanorum stirpe Regum, oriundi Romani essent.* Albæ scilicet Longæ tum *supererat multitudo Albanorum Latinorumque*, ipso *Livio* teste (*Lib. I cap. 6*), a quorum potentia sibi forte timebat *Numitor*, quos etiam *Livius* a pastoribus aperte videtur distinguere, *ad id*, notanter scribens, *pastores quoque accesserant.* Quomodo vero inculta & horrida servorum & plebis multitudo spem facere *Romulo* & *Remo* poterat, *parvam Albam*, *parvum Lavinium*, *præ ea urbe*, *quæ conderetur*, fore, nisi principes quoque Albanorum eodem commigraverunt, qui non modo novæ urbi splendorem addere, sed viribus etiam consilia parare, poterant? Ita enim forte *Romuli* exemplo ductus Rex *Tullus*, *Julios*, *Servilios*, *Quintios*, *Geganios*, *Curiatios*, *Cloelios*, in Patres legerat (*Liv. Lib. I, 30*). Unde, quæso, iura hospitalitatis, quæ cum Sabinis exercuisse Romanos, argumento est locus *Livii* (*Lib. I cap. 9*): *Invitati hospitaliter per domos*, si quælibet hominum colluvies, sine discrimine, liberorum, an servorum, esset, Romam occupasset? Unde *Potitii* & *Pinarii*, quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca incolebant, (*Liv. Lib. I, 7,*) si præter contemtibilem finitimorum populorum turbam alios mortales suis mœnibus non continuit Roma? Memoratu dignum est, quod de illustris illius gentis monumento apud *Diodorum Siculum*, (in *Bibl. Histor. Lib. IV pag. 228, T. I* ed. *Rhod.*) relatum

tum

Digitized by Google

rum legimus. Ait is: Ἐν ταύτῃ (sc. πόλει) δὲ τῶν ἐπιφανῶν ὄντων ἀνδρῶν Κάκιος (reponendum Ποτίτιος, seu Ποτίκιος, ipso *Rhodomanno* iudice *pag. 359* in *Coniecturis* ad h. l.) καὶ Πινάριος, ἐδέξαντο τὸν ἡρακλέα ξενίοις ἀξιολόγοις, καὶ δωρεαῖς κεχαρισμέναις ἐτίμησαν. Καὶ τούτων τῶν ἀνδρῶν ὑπομνήματα μέχρι τῶν δὲ τῶν καιρῶν διαμένει κατὰ τὴν Ῥώμην. Τῶν γὰρ νῦν εὐγενῶν ἀνδρῶν τὸ τῶν Πιναρίων ὀνομαζόμενον γένος διαμένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ὡς ὑπάρχον ἀρχαιότατον. Τοῦ δὲ Κάκιος ἐν τῷ Παλατίῳ κατάβασίς ἐστιν, ἔχουσα λιθίνην κλίμακα, τὴν ὀνομαζομένην ἀπ' ἐκείνου Κακίαν, οὖσαν πλησίον τῆς τότε γενομένης οἰκίας τοῦ Κάκιος. Ceterum adversus talia nobilitatis priscæ vestigia *Juvenalis*, Poetæ Satirici, ridicula subsannatio inepte, (ne quid durius dicam,) inducitur, cum perspicuum sit, eam inesse Satirici irrisioni & lasciviæ virtutem, ut libere vagetur, ut quosvis rumusculos undecunque e medio promat, & callida quandoque maledicendi licentia dicaciter cavilletur. Quid est ergo, quod sententiæ *Dionysii* vim inferre possit, cum ipse confiteatur (*Lib. I p. 75*), ἃ μὲν οὖν ἐμοὶ δύναμις ἐγένετο σὺν πολλῇ φροντίδι ἀνευρεῖν, Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων συχνὰς ἀναλεξαμένῳ γραφὰς ὑπὲρ τοῦ Ῥωμαίων γένους. Tantumne omnes tuas suspiciones valituras esse credis, ut aliquam possint *Dionysii*, viri solertissimi, iudicio particulam de-

rogare, qui profecto non rumoribus quibusdam vulgi, sed certissimis antiquitatum vestigiis, rem demonstrare satagit, *μυρία*, inquiens, *δ' εἰς τοῦτο λέγειν ἔχων, καὶ πολλοῖς τεκμηρίοις χρῆσθαι δυνάμενος, ἀνδρῶν τε μαρτυρίας φέρειν οὐκ ἀξίων ἀπιστεῖσθαι* (*Lib. I pag. 76*).

Pag. 139: Ce qui m' en paroit le plus digne de foi &c.) Omnes hæ dubitationes, quæ sequuntur, e ceterorum genere telorum sunt, quæ te potius iugulant, quam in *Dionysium* iacta nocent. Si enim *Dionysius* fide sua, tanquam pignore interposito, rem præstat, si ex plurimis Auctorum narrationibus id, quod verisimillimum est, deligit, quid est, quare Auctori candidissimo, solerti, in ipsis rerum argumentis, in urbe, inter tot homines rerum patriarum peritissimos, versanti, indecenter oggannias? Num propterea sequetur, ut decipere posteros voluerit, quod Auctorum sive errores, sive pugnas, nonnunquam præteriit? Condonandum id ei scilicet, & laudi potius ducendum est, quod accurata rerum expositione, quam Auctorum inter se luctantium indiciis, suapte natura vanis, & ad posteritatem nihil valituris, historiam excolere maluerit. In causa *Horatiorum* & *Curiatiorum* nullum remanet hodie dubium, quin *Horatii* populi Romani fuerint. Fac enim, Auctores utroque eorum nomina traxisse, res tamen ipsa demonstratione amplius

non

Digitized by Google

non egebat. Plurium enim Scriptorum testimonia vincunt, quos etiam *Livius* sequi videtur. Quid ergo posterorum intererat, diversas omnium Scriptorum sententias super hac re explicatas videre? cum singularum quæstionum fides a iudicio illius, qui e variis Auctorum opinionibus verisimillimam optimamque deligere solet, unice pendeat.

Pag. 143: Il auroit bien fait de nous avertir des raisons &c.) Hæc profecto loca argumento sunt, *Dionysium* & alios Scriptores non temere aut cœco impetu vetustiores Auctores secutos esse, sed in re controversa modo pluri Scriptorum suffragia, modo publicorum monumentorum fidem, dictis *Fabii* antetulisse. Quod fortassis etiam in hac causa *Antiatum* & *Coriolani* evenisse, mihi persuadeo. Nam, si forte spolia Antiatum, a *L. Cornelio* Cos. in ærarium relata, de capto tum Antiatum oppido aut χώματι ὑψηλῷ διὰ πολυχειρίας ἐργασθέντι μνῆμα ἐπίσημον, titulis ornatum, vel τάφος ὅπλοις καὶ λαφύροις κοσμηθεὶς secundum *Plutarchum* (in *Coriolano pag.* 233 ed. *Ruald.*) de vero leti genere, quo succubuit *Coriolanus*, *Dionysium* dubitare amplius sinebant, licebatne ei, neglectis omnibus aliorum Scriptorum, immo *Fabii*, longe antiquissimi Auctoris, narrationibus, id certo affirmare, quod vel ipsa rerum fama, vel tituli forsan nonnulli, tradebant?

P. 147: Je pense qu' il est inutile de s' étendre beaucoup sur ce dernier &c.) Verum isne, qui

Digitized by Google

qui vanum non vult, (*Lib. XXII*, 7,) nos fallet? aut quo modo suspectus nobis videri potest is, quem uno ore omnes prisci Auctores candidum vocant? Vide mihi, sis, unicum *Fabii* elogium, quo ad *Livii* laudem nihil est profecto absolutius: *Non indignetur*, inquit ille, (*Lib. X cap. 1 pag. 914*, ed. *Burm.*) *sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem.* A quorundam hodie obtrectatorum ῥηθορευόντων argutiolis *Livium* non perfunctorie defendit *J. B. L. Crevierius* in eruditissima Praefatione, *Livio* (*Parisiis* A. 1735, 4, in lucem edito,) praemissa, (*T. I Artic. 3 §. 1, 2*, a *p. V - XXV*,) ad quam Lectores ablego, ne alterius scrinia compilasse videar. Non inficiandum quidem est, negligentiorem esse *Livium* quandoque in consignandis rebus gestis. *Omnino*, inquit *Sigonius*, (*Commentar.* in *Fastos*, *Operum* eius, *Mediolani*, A. 1737, fol. typis excusorum, *pag. 91*,) *Livius, cum ad sua tempora properaret, exiliter atque anguste res has e primis rei publicae temporibus videtur tractasse, & consulta negligens fuisse.* Quam oscitationem saepissime *Perizonius* quoque notat *Cap. VIII Animadverf. Histor.* Verum res notatu dignissimas non tam consilio, quam memoriae lapsu & incuria, praeteriisse crediderim. Neque frequentes eius querelae σκέψιν & inconstantiam, sed scribentis ingenuitatem, efficiunt. Quare verecunde, ut par est, *Onuphrius Panvinius*

vinius (in *Commentar. ad. Lib. I Fast. pag. 62,*) *Ego tamen*, inquit, *multis argumentis mihi diu ante persuasi, antiquissima hæc populi Romani gesta longe diligentius a Dionysio conscripta fuisse, cum Livii præsertim ea præcipua cura fuerit, nequaquam hæc vetustissima gesta describere, sed ea potissimum monumentis literarum mandare, quæ a secundo bello Punico, vel paulo ante, ad suam usque ætatem, a populo Romano gesta sunt; prioribus temporibus, tanquam a multis diligentissime descriptis, omissis*; eiusdemque Epitomator, *Joachimus Grellius*, in *Chronologia* ad *T. Livii Historiam*, sub *titulo: De causis dissensionis, seu repugnantiæ, Historicorum in numerandis ac digerendis annis ab V. C. pag.* 7, *Minime*, ait, *Livii propositum fuit, vetustissima quaeque populi Romani gesta accurata explicatione persequi, quæ a multis diligentissime descripta, & edita iam ante erant, sed ea potissimum literarum monumentis mandare, quæ paulo ante bellum Punicum secundum ad suam usque ætatem a populo Romano gesta fuissent*, & paucis interiectis: *Hinc si quis veterem Romani imperii originem apud Dionysium legat, temporumque rationem apud ipsum examinet, ac cum Livii brevitate comparet, haud dubie illius diligentiam huius festinationi præponet. At, utriusque instituto considerato, utrique suam laudem æquus lector deferet, ac si Livius, tanquam ad alia festinans, nonnulla vel omiserit, vel negligentius tractarit, id excusatione potius, quam insectatione, dignum indicabit.* Idem in

in *Epiſtola nuncupatoria*, præfixa *Chronologiæ*, præclare ita: *In tanta itaque errandi proclivitate, moleque laboris maxima, ſi præſtantiſſimus Auctor, deque Romana Hiſtoria optime meritus, humani quid paſſus ſit, ac velut longo itinere defeſſus pede altero impegerit, venia id ac benigna interpretatione, quam inſectatione, dignius erit; nam, ut eſt in veteri verſiculo, ὐδεὶς ἀνθρώπων ἐςιν ἅπαντα σοφός.* Plura, quæ defenſioni *Livii* inſervire poſſunt, argumenta quære apud *Perizonium* in *Animadverſ. hiſtor. Cap. II pag. 87 ſeq.*

Quoniam vero Auctorum vetuſtisſimorum a me pasſim iniecta fuit mentio, non a re alienum, aut Lectoribus iniucundum, fore ſpero, ſi nobilisſimum quemque ſuperiorum Scriptorum, quos *Diodorus Siculus*, *Livius*, *Dionyſius*, *Plutarchus*, forte legerunt & perſcrutati ſunt, notatis ſimul ætatibus, quibus quisque vixiſſe creditur, collaudatisque eorum in Hiſtoriam meritis, velut in tabula breviter ſuccincteque digeſſero. Sunt autem hi:

	circiter A.U.C.
I. *Ageſilaus* quidam, ſive *Acuſilaus*, *de rebus Italicis*. (Vide *Voſſium de Hiſtoricis Græc. Lib. I cap. 2 pag. 12* ed. 1624, 4, Lugd. B.)	309.
2. *Antiochus Syracuſanus*, qui *ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιςότατα καὶ σαφέςατα* ſcripſit, Auctore *Dionyſio pag. 10.* (Vide *Voſſ. l. c. Lib.*	330.

IV.

IV cap. 7 pag. 371 seq.) *Octavianus Ferrarius* in affecto opere *de Origine Romanorum*, (*Thesaur. Antiquit. Grav. T. I pag.* 3,) *Ergo valde*, inquit, *bonus Auctor est Antiochus; ut qui non solum antiquus sit, verum etiam certus et gravis, quodque pluris est, quam omnia, doctis & iudicio praestantibus viris vehementer probatus.* A.V.C.

3. *Antigonus Carystius*, videtur scripsisse ἱςορίαν Ἰταλικὴν, de qua *Dionysius pag.* 5. (Vide *Voss. l. c. Lib. I cap.* 12 *p.* 63, 64.)

4. *Timaeus, Libris VIII* Ἰταλικὰ καὶ Σικελικὰ composuit. Ad eius Κοινὰς ἱςορίας provocavit *Dionysius pag.* 5. Reprehenditur a *Polybio*, sed laudatur idem a *Cicerone* & *Diodoro Siculo*, quorum loca vide apud *Vossium l. c. Lib. I cap.* 12 *pag.* 67 - 70; item *Baylium* in *Dictionaire Histor.* & *Critiqu.* sub *Timée.* 464.

5. *Hieronymus Cardianus. Res Romanas* κεφαλαιωδῶς attigit. *Dionysius pag.* 5: τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν ἐπιδραμόντος Ἱερωνύμου τοῦ καρδιανοῦ συγγραφέως. (Vide *Voss. l. c. Lib. I cap.* 11 *pag.* 81 *seq.*)

6. *Quintus Fabius Pictor.* Optime *Fabios* distinxit *Ger. Jo. Vossius* de *Hist. Lat. Lib. I cap. 3* a *pag. 12 - 15.* Noster est, qui τῦ συνεδρίυ μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων. Sed frustra hic vir magnus duos *Fabios* comminiscitur, alterum, qui Latinos, alterum, qui Græcos, annales scripserit. Puto equidem, nostrum eundem esse cum illo, quem *Cicero Numerium* vocat. Interfuit bello Gallico, (anno, ut interpretor, v. c. 529,) *L. Aemilio Papo* & *C. Atilio Regulo* Coss. *Eutropius* tantum *Lib. III cap.* 2 unum Consulem *L. Aemilium* nominat. Aliam notam temporis, quo vixerit, apud Scriptores exstare, non memini. Posset enim noster *D. Junii Peræ* Collega haberi, qui A. V. C. 488 fasces tenuit. Sed certis Auctorum testimoniis hac in re destituimur. Fragmenta eius vide ad *Sallustium Haverkampianum T. II pag. 257.* Tenendus hic locus est *Ciceronis de Orator. II, 12: Satis est, non esse mendacem. Atqui ne nostros contemnas - - Græci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio.* Et paulo post: *Itaque, qualis apud Græcos Pherecy-* A. U. C. 529.

des,

des, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti: talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio, (modo enim huc ista sunt importata,) &, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Conf. Theodori Ryckii Dissertationem de primis Italiæ Colonis, & Aeneæ adventu, ad Stephani Byzantini ἐθνικὰ T. II pag. 437 n. 20, & Mart. Hanckium de Rerum Romanarum Scriptoribus P. I cap. 1 Art. 1, it. L. II P II c. 1 a p. 196. neque minus Dan. Guil. Molleri Diss. de Q. Fabio Pictore, Altorfii, 1690, 4. | A.U.C.

7. L. Cincius Alimentus. Ἀνὴρ τῦ βυλευτικῦ συνεδρίυ, apud Dionys. pag. 60. Vid. Voss. de H. L. Lib. I cap. 4 pag. 16. Ryckius l. c. pag. 438 n. 21. Ἀρχέτυπα perqvisivit. Vid. Dodwellius de Cyclis pag. 593. Fragmenta eius vide ad Sallustium Jos. Wassei (Cantabrigiæ, 1710, 4.) T. II pag. 173. | 544.

8. Q. Ennius. Vid. Voss. de H. L. Lib. I cap. 2 pag. 5, & Hanckius l. c. Lib. II P. I cap. 1 a pag. 1-11. | 549.

9. L. Jul. Cæsar. Vid. Ryckius l. c. pag. 438 n. 22.

10. M. Porcius Cato. Vid. Voss. de H. L. | 559.

Digitized by Google

Lib. *I cap.* 5 *pag.* 19 *Ryckius l. c. p.* 438 *n.* 23, *Hanckius l. c. P.* I *cap.* 2 a *p.* 22, & *Lib. II P. II c.* 2 a *p.* 198. Apud *Dionysium* audit λογιώτατος τῶν Ῥωμάιων *pag.* 9, & ἐπιμελὴς γενόμενος, ἐι καί τις ἄλλος ἐις τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογυμένης ἱϛορίας &c. *pag.* 60, *Plutarchus* in *Catone pag.* 438: Τὰς ἱϛορίας συγγράψαι φησὶν ἀυτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν. ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχῃ τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι. Conf. quoque *Bayle Dictionaire* &c. sub *Porcius*, item *Beroaldi* Orationem, in enarratione *T. Livii* habitam, *Trewenschraderi Fastis Livianis* (*p.* 254 & 257) adiectam. Fragmenta extant apud *Sallustium Wassei p.* 180-215. | A.U.C.

11) *M. Fulvius Nobilior.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap.* 5 *pag.* 23. Consul fuit cum *Cn. Manlio Vulsone* A. 565. Eius censuram oratione exagitavit *M. Porcius Cato.* Vid. *Popmam* ad *Fragmenta Catonis* in *Sallustio Wassei p.* 205. 565.

12. *L. Scribonius Libo.* Vid. *Voss. H. L. Lib. I cap.* 6, *pag.* 23, Fragmenta habes in *Sallustio Wassei pag.* 180. 602.

13. *A.*

Digitized by Google

A U.C.

13. *A. Postumius Albinus.* Vide *Voss. de H.Græc.L.I c.20-104.* & *de H.L.L.I c.6 p.24, Ryckium l.c.pag. 438 n. 24.* Excitatur ab Auctore libri *de Origine gentis Romanæ cap. 15 pag. 30* ed. *Arntz.* Fragmenta eius vide in *Sallustio Wassei pag. 215.* 603.

14. *L. Calpurnius Piso*, qui ab Auctore *Originis gentis Romanæ Acilius Piso* vocatur *cap. 15.* Gravis Auctor. Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 6 p. 24*, *Ryckius l. c. pag. 430 n. 27*, *Hanckius l. c. Lib. II. P. I cap. 2* a *pag. 11.* Adde *Fragmenta Histor.* in *Sallustio Wasci pag. 218 - 223.* 605.

15. *Polybius*, *Lycortæ* F. *Megalipolitanus.* Vid. *Voss. de H. Gr. Lib. I cap. 19 pag. 97.* 606.

16. *L. Cassius Hemina.* Vetustissimus Annalium auctor, seu verissimus. Vide loca Auctorum apud *Vossium de H. L. Lib I cap. 7 pag. 26*, & *Ryckium l. c. pag. 438 n. 25* item Fragmenta eius in *Sallustio Wassei p. 273.* 608.

17. *Q. Fabius Maximus*, Servilianus. Nescio, utrum sit idem, qui *Q. Fabius Labeo* apud *Ciceronem* in *Bruto cap. 21.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 7 pag. 27.* Conf. eundem *Lib. I cap. 3 pag. 14*, & *Ryckium l. c.* 612.

pag. 438 n. 26. Fragmenta dabit A.U.C.
Sallustius Haverkampi T. II pag.
262.

18. *C. Fannius*, M. F. de quo *Voss.*
Lib. I H. L. cap. 7 pag. 28. Ex- 615.
stat quoque de eo *Dan. Guil. Mo-*
leri Dissertatio, Altorfii, 1693, 4.
Fragmenta vide in *Sallustio Wassei*
p. 179. Summa veritate historiam
scripsit, si credimus *Fabio Mario*
Victorino, veteri Commentatori in
Expositione in I Rhetor. Cic. n. 52
pag. 130. (*Antiquor. Rhetor. Lati-*
nor. Pithoei, Paris. 1599, 4.)

19. *Sempronius Asellio.* De quo *Voss. H.* 620.
L. Lib. I cap. 8 pag. 33, Rycquius
l. c. pag. 438 n. 28, Hanckius l. c.
P. I cap. 3 a *pag. 29*, & *Lib. II P.*
II cap. 3 a *pag. 206.* Fragmenta
vide in *Sallustio Wassei pag. 232*
T. II.

20. *C. Sempronius Tuditanus.* De
quo *Voss. l. c. Lib. I cap. 8 pag. 31.* 625.
Inter Scriptores συχνὺς refert
Dionysius pag. 9.

21. *L. Cælius Antipater.* Scriptor lu- 625.
culentus. Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap.*
8 pag. 31, Hankius l. c. Lib. II P. I
cap. 3 pag. 16. Fragmenta vid. in
Sallustio Wassei pag. 224.

22. *M. Octavius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib.*
III pag. 714. Ryckius l. c. pag. 439
n. 29.

	A.U.C.
n. 29. Fragmenta habet *Sallustius Wassei pag. 275 T. II.*	
23. *Sext. Gellius.* De quo vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 8, pag. 34.* Fragmenta servat *Sallustius Wassei, pag. 218.*	625.
24. *Cn. Gellius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 8 pag. 34.* Fragmenta eius quædam restant in *Sallustio Wassei pag. 216.*	625.
25. *Clod. Licinius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 8. pag. 35.* Fragmenta exhibet *Sallustius Wassei p. 234.*	
26. *Junius Gracchanus.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 9 pag. 36.*	633.
27. *P. Rutilius Rufus.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 9 pag. 37.* Fragmenta suppeditabit *Sallustius Wassei pag. 231.*	649.
28. *Q. Lutatius Catulus.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 9, pag. 38, Ryckius l. c. pag. 439 n. 30.*	652.
29. *L. Cornelius Sisenna.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 10 pag. 41, Hanckius l. c. Lib. II P. I cap. 5* a *pag. 21.* Fragmenta eius disce ex *Sallustio Wassei pag. 255.*	660.
30. *Q. Claudius Quadrigarius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 10 pag. 44, Hanckius l. c. Lib. II P. I cap. 4 pag. 18.* Fragmenta Histor. in *Sallustio Wassei pag. 241.* Adde animadversionem *Wassei* ad *Clodii Li-*	665.

	A.U.C.
civil Res Romanas ibidem pag. 234.	
31. *Q. Valerius Antias.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 10 pag. 45, Ryckius l. c. pag. 439 n. 32.* Fidem eius nonnunquam laborare, *Perizonius* in *Animadverf. hist.* probatum ivit *cap. 6 pag. 209.* Reliquias monumentorum eius collectas reperies in *Sallustio Wassei pag. 250.*	665.
32. *Vennonius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. III pag. 726,* it. *Fragmenta Histor.* in *Sallustio Wassei pag. 180.*	665.
33. *C. Licinius Macer.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 10 pag. 45, Ryckius l. c. pag. 439 n. 31.* Fragmenta habet *Sallustius Wassei pag. 235.*	665.
34. *Q. Lutatius.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 12 pag. 54.* Fragmenta eius pete ex *Sallustio Wassei pag. 223.*	668.
35. *M. Terentius Varro.* Vid. Diligentissimus investigator antiquitatis, de quo *Voss. H. L. Lib. I cap. 12 pag. 54, Hanckius l. c. Lib. II P. I cap. 6 pag. 23 - 37.* Præceptor eius fuit *L. Aelius*, de quo *Cicero* in *Bruto cap. 56, Vir egregius,* inquit, *idemque eruditissimus, & Græcis literis & Latinis: antiquitatisque nostræ, & in inventis rebus, & in actis, Scriptorumque veterum literate peritus, quam scientiam Var-*	670.

ro

Digitized by Google

A. U. C

rò noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus & illustrioribus literis explicavit. Fragmenta recludit *Sallustius Wassei pag.* 271.

36. *L. Aelius Tubero*, aliis *Q. Aelius Tubero, δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συνάγωγὴν τῆς ἱςορίας ἐπιμελής.* Vid. *Voss. de H.L. Lib. I cap. 12 pag. 56, Ryckius l. c. pag. 439 n. 33*, item *Fragmenta Histor.* in *Sallustio Wassei pag 229.* 690.

37. *M. Tullius Cicero.* Vid. *Voss. de Hist. L. Lib. I cap. 11 pag. 51.* 691.

38. *T. Pomponius Atticus.* Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 11 pag. 48.* Fragmenta eius colligit *Popma* in *Sallustio Wassei pag. 272.* 707.

39. *Diodorus Siculus.* Vid. *Voss. de Hist. Graec. Lib. II cap. 2 pag. 132.* Cel. *Fabricius Bibl. Graec. Lib. III cap. 31 pag. 772, Dolendum est*, inquit, *in Romanis praecipue rebus non semper accuratissime temporum calculum ponere, & nomina, ut queritur Demsterus, corrumpere, pauci tamen Scriptores exstant, ex quibus tanta lux definiendis temporibus affulgeat.*

40. *M. Valerius Corvinus Messalla.*

Vid. *Voff. de H. L. Lib. I cap. 18 p. 88.* A. U. C.
Hanckius P. I cap. 7 pag. 49, item *Lib. II P. II cap. 7 a p. 223.* Exstat quoque de eo *Dan. Guil. Molleri* Dissertatio, *Altorfii*, 1689, 4, item *Fragmenta Histor.* ad *Sallustium Wassei pag. 277.*

41. *T. Livius.* Vid. *Voff. de H. L. Lib. I cap. 19 pag. 93*, *Hanckius l. c. P. I cap. 9* a *pag. 57*, & *Lib. II* a *pag. 235.* 725.

Scriptores ante *Dionysium* & *Plutarchum* celebres, sed quibus certa ætas assignari non potest.

E Latinis:

Cn. Egnatius Verinus. Vid. *Voff. de H. L. Lib. III pag. 702.* *Fragmenta Histor. l. c. pag. 275.*

Cn. Aufidius. Fragmenta eius congesta vide in *Sallustio Wassei pag. 255.*

Domitius. Vid. *Voff. de H. L. Lib. III pag. 701.* *Fragmenta Histor.* in *Sallustio Wassei pag. 275.*

E Græcis:

Alexander Ephesius, apud Auctorem *Originis gentis Romanæ cap. 9 pag. 18* ed. *Arntz.* Vid. *Voff. de Hist. Gr. Lib. III pag. 241.*

Aristides Milesius, apud *Plutarchum.* Vid. *Voff. l. c. Lib. III pag. 252.*

Ari-

Digitized by Google

A.U.C.

Aristocles, apud eundem. Vid. *Voss. l. c. Lib. I cap. 1 pag. 131.*

Cephalon Gergidius, apud *Dionysium.* Vid. *Voss. de H. G. Lib. III pag. 260.*

Clodius, apud *Plutarchum*. Vid. *Voss. l. c. Lib. IV pag. 413. Fragmenta Histor.* in *Sallustio Wassei pag. 270.*

Clitonymi Italica, apud *Plutarchum.* Vid. *Voss. de H. G. L. III pag. 265.*

Demagoras, Scriptor σύγχρος, apud *Dionysium.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 271.*

Diocles Peparethius, apud *Plutarchum.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 274.*

Dionysius Chalcidensis, apud *Dionysium.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 277.*

Meryllus, apud *Plutarchum.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 306.*

Myrsilius Lesbius, apud *Dionysium*, Vid. *Hanckium l. c. P. II cap. 1 pag. 299.*

Promathion, apud *Plutarchum* in *Romulo pag. 19.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 323.*

Pythocles, apud eundem. Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 325.*

Silenus, apud *Dionysium.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 329.*

Theophilus, apud *Plutarchum.* Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 333.*

Theotimus, apud eundem in causa *Porsenæ* & *Coclitis* excitatus. Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 333.*

Digitized by Google

Zenodotus Troezenius, συγγραφεὺς ὀμβρικῦ ἔθνυς, apud *Dionysium*. Vid. *Voss. l. c. Lib. III pag. 338.* Excitatur quoque a *Plutarcho* in *Romulo p. 26* in causa raptus Sabinarum & Hersiliæ. A. U. C.

Porro:

42. *Dionysius Halicarnasseus*. De quo *Voss. l. c. Lib. II cap. 3 pag. 135*, *Henckius* in libro *de Romanis Scriptoribus P. I cap. 8 a pag. 52*, & *Lib. II P. II cap. 7 a pag. 227*, & *Mottanus Vayerius* in Operum eius *T. II pag. 305*, item iudicia de eo vide in editione *Hudsoniana Dionysii Tomo I.* Notatu dignum est, quod *Eusebius* de eo scribit in *IV Præpar. Evangel. cap. 16*: περὶ τῆς παλαιᾶς ἀνθρωποθυσίας eum vocans Διονύσιον τὸν Ἁλικαρνασσέα ἄνδρα τῆς Ῥωμαικῆς ἱστορίας ἀκριβῆ τὴν γραφὴν ἅπασαν ἐκθέμενον, cui assentit *Scaliger* in *Animadversionibus Eusebianis*. Vide *Voss. l. c. pag. 136.* Conf. quoque eruditissimam *Henrici Dodwelli* Dissertationem *de ætate Dionysii Halicarnassei*, *Annotationibus variorum interpretum in Tomum priorem Dionysii* insertam *pag. 323 - 329 T. II.* 725.

43.

Digitized by Google

43. *Sostratus*, rerum Etruscarum Scriptor, apud *Plutarchum*. Vid. *Voss.* *l. c. Lib. II pag.* 147.	A. U. C. 730.
44. *L. Fenestellæ* Archaica. Vid. *Voss. de H. L. Lib. I cap. 19 pag. 100.* Vide quoque *Fragmenta Hist.* in *Sallustio Wassei pag.* 272.	770.
45. *Plutarchus Chæronensis*. Vid. *Voss. de H. G. Lib. II* a *pag. 169*, *Hanckius P. I cap. 11 pag. 31, Lib. II P. II cap. 12* a *pag. 250 - 280.*	850.
46. *Sext. Aurel. Victor*. Vid. *Voss. Lib. II cap. 8 pag. 195*, *Hanckius P. I cap. 29* a *pag. 149, Lib. II P II cap. 29 pag. 300.*	1090.

Cum igitur de rebus antiquis & longissime ante memoriam nostram gestis præcipuam maximamque fidem iis Auctoribus adhibere nos oporteat, qui earum nobis testimonia exhibere possunt, quoniam, ipso *Aristotele* iudice *Rhetoric. Lib. I cap. 15 pag. 544* ed. *Duvallii T. II* οἱ δ᾽ ἄπωθεν, καὶ περὶ τούτων πιστότατοι· Πιστότατοι δὲ οἱ παλαιοί· ἀδιάφθοροι γάρ. Πιστώματα δὲ παρὰ μαρτυριῶν. Cum præterea satis iam demonstratum esse arbitrer, gravissimos locupletissimosque priscæ memoriæ auctores non tam rumores ἀδεσπότους, quam idoneam rerum famam, literasque publicas & privatas, sectatos esse, efficitur sane, ut, nisi ἀπορεῖν velimus, tot classicis testibus refragari nullo

nullo modo possimus. Egregie enim *Plinius* in *Panegyrico cap. 62*, *melius*, inquit, *omnibus*, *quam singulis, creditur. Singuli enim decipere, & decipi, possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.*

Verum tu ex dissensione Auctorum & discrepantia universam illorum temporum memoriam aut spuriam, aut suspectam, certe reddi posse credis. Quo in consilio nihil est, quod non vehementer reprehendi damnarique debeat. Primum enim discrepantia vel in re, vel in rei adiunctis, versatur. Si talis in re ipsa est, creat utique molestiam lectoribus, & memoriæ fidem nonnihil imminuit. Si in rei adiunctis animadvertitur, fundamentum profecto historiæ salvum manet. Etsi enim Auctorum pugna aliquam vim ad dubitationem habere vulgo censetur, nego tamen primo, omnem hac ipsa memoriæ fidem sollicitari, secundo historiam scriptam esse, aut scribi posse, quæ apud omnes rerum auctores sibi usquequaque similis evadat. Quot enim ingenia, tot scriptionis species & formæ, quæ si rerum fundamenta subvertere possent, dubium nullum esset, quin non modo pervetus Romanorum historia, sed quæcunque alia, hoc argumenti ictu concideret. Desinetne *Cyri*, Regis Persici, historia esse verax & certa, quia de morte eius variant Auctores *Xenophon* & *Justinus*, quorum alter in lecto senem occubuisse, alter, in bello Scythico, contra *Tamyrin*, periisse, tradit? Quis Romanarum, quæso, histo-

storiarum veritatem serio in dubium vocabit, si in ceteris etiam rebus, quæ Romæ & in provinciis post Seculum V ab V. C. acciderunt, Scriptores non usquequaque inter se conspirare intelliget. Sic, verbi causa, ut paucissimis tantum exemplis utamur de mortis genere *Hannibalis* dissentiunt Auctores. Alii venenum, (uti *Livius Lib. XXXIX cap. 51,*) alii taurinum sanguinem, exemplo *Themistoclis*, hausisse dicunt, (vide *Plutarchum* in vita *T. Q. Flaminii pag. 380 seq.*) alii A. V. C. 570, alii anno & biennio serius, mortuum esse scribunt. *Catonis* mortui opinionem de delenda Carthagine obtinuisse, *Cicero* (*de Offic. Lib. 1 cap. 23, in quo etiam mortui*, inquiens, *valuit auctoritas,*) tradit, cui refragantur alii, qui, supervixisse belli initiis *Catonem*, perhibent. *Perizonius* in *Animadv. Histor. cap. 8 pag. 334 Livium* notat, quod in prælio referendo, duce *L. Scipione* contra *Antiochum* prope Magnesiam ad Sipylum commisso, intricatus & sibi repugnans sit. Sic etiam oblitum sui esse *Livium pag. 341 ibid.* monet ad *Liv. Lib. XXVI cap. 21.* De *Syphace* in triumphum ducto nondum conveniebat inter Auctores (vide *Livium Lib. XXX cap. 45*). Quo fato *Scipio* Africanus perierit, in diversum Auctores trahebant. In lectulo inventum esse mortuum, nullaque vestigia vulnerum apparuisse, tradidit *Appianus Bell. Civ. Lib. 1. P. II p. 616* ed. *Amstel. 1670, 8*, alii, elisarum faucium in cervice notas repertas esse, dixerunt, (uti *Velleius Paterculus Lib. II cap. 4,*) alii, a *Sempronia* uxore, sorore *Gracchorum*

Digitized by Google

eborum, fuisse interemtum, contenderunt; alii, a C. *Carbone*, Trib. pl. (uti *Cicero de orat. cap* 40, & ad *Q. Fratrem Ep. 3. Lib. II*,) alii, a *M. Fulvio*, necatum esse, memoriæ prodiderunt, uti *Plutarchus* in *Graccho pag.* 839. Vide quoque *Livium Lib. XXXVIII cap.* 56. Item de anno mortis eius nihil certi constabat, teste *Livio Lib. XXXIX cap.* 52, ubi *Livius* neque *Polybio*, neque *Rutilio*, neque *Antiati*, adstipulatur. De *Eumene* Rege longe diversa tradiderunt Auctores *Livio* teste (*Lib. XXXXIV cap.* 31. Eum de Romanis præclare meritum esse, *Appianus* in *Syriac. c. 88 p. 145* ed. *Toll.* contendit. Ejus contra fidem inconstantem & dubiam fecerunt legati ex Macedonia, tum Romam venientes, commemorante eodem *Livio L. XLIV c.* 20. Porro disputabatur, utrum *M. Perperna*, an *M. Aquilius*, de *Aristinico* triumphaverit. *Velleius* (*L. II c.* 4) & *Valerius Maximus* (*L. III c.* 4) aiunt, *M. Perperna* hunc honorem obtigisse. Alii, ut *Justinus* (*Lib. XXXVI c.* 4) & *Eutropius*, contradicere videntur. Utrum *Paullus Aemilius* tertium, an secundum, triumphaverit eum, victo *Perse*, triumphum ageret, parum constabat. Numi tertium eo tempore triumphantem, literati vero lapides, hoc est, tabulæ Capitolinæ, secundum, referunt. De summa omnis captivi auri argentique translati tum non minus disceptabatur. (*Liv. Lib. XXXXV cap.* 40.) Neque in morte *Persei* describenda sibi constant Scriptores. Alii post quadriennium Albæ inedia mortuum, (*Vellei. Patercul. Lib. I cap.* 11,) alii post biennium, alii

a custo-

Digitized by Google

a custodibus ob causam, quæ non additur, iratis vigilare coactum produnt, donec fatiscens exspiraret. (*Plutarchus* in *Aemilio pag.* 274 & 275.) Allobrogum legati tempore coniurationis *Catilinariæ* in domum *D. Bruti*, uti *Sallustius Bell. Catil. cap.* 40 vult, secundum *Ciceronem* vero in *Orat. Cat. III*, 6, in ædes *Gabinii*, adducti fuerunt. *Perizonius* in *Animadversion. Hist. cap.* 8 *pag.* 327 discrepantias *Plutarchi* in rebus, quæ ad tempora *Cæsaris* pertinent, animadvertit. Ne quid iam dicam de diversa recentioris historiæ fama. Cuius rei testimonia bene multa dabunt *Bierlingius* in *Comment. de Pyrhonismo historico cap.* 1 §. *XI-XX pag.* 37, *Jo. Burch. Menckenius* in Dissert. X *de Historicorum in rebus narrandis inter se dissidiis, horumque caussis*, quæ exstat in *Diss.* eius *literariis* a *p.* 87 - 90, & *Lengletus du Fresnoi dans le Supplement de la Methode pour etudier l' histoire T. V P. I à Paris*, 1741, 4, a *p.* 23. Conf. *Catrouium* & *Ruilium* in Præfatione ad *Histor. Roman. p. XXI.* Num quisquam eo delapsus est audaciæ, ut propter inconstantes nonnullarum rerum commemorationes universæ historiæ fidem elevare conaretur? At, inquies, quomodo tandem rei gestæ veritatem cognoscemus, si ea tot Scriptorum certaminibus turbatur? Respondeo primum *Livii* ipsius verbis (*Lib. IV cap.* 55): *Incertum diversi auctores faciunt; illa pro certo habenda, in quibus non dissentiunt.* Non enim nos movere debet, Scriptores in multis discrepare,

Digitized by Google

pare, ſed cogitandum eſt, non temere eſſe, quod in pluribus argumentis conveniant. Secundo ad tria potiſſimum huius cauſæ momenta recurrendum eſſe arbitror: 1)ad ipſum Scriptoris priſci iudicium,quo ſtare debemus,ſi certam derogat vetuſtas fidem.Hodie quidem nobis haud ſimpliciter licet rem rei, auctorem auctori, præferre, ſed, ſi Scriptores ipſi ex pluribus ſententiis veriſimillimam ſeligunt, importunum eſt, contra eorum teſtimonia argutari, quales ſunt *Dionyſii* ſuper initiis urbis Romæ *(L. I p. 61)* præſtationes: Περὶ τὴν κτίσιν ταύτην ἱςόρηται, πολλοῖς μὲν ἔιρηται, καὶ διαφόροις τὰ πλεῖςα ἐνίοις. Δεχθήσεται δὲ κἀμοὶ τὰ πιθανώτατα τῶν μνημονευομένων. Vid.quoque *Strabonem Geograph. L. V p. 352* ed. *Almeloween.* Αὕτη μὲν ὖν ἡ μάλιςα πιςευομένη τῆς Ῥώμης κτίσις ἐςίν: item *Plutarchum* in *Romulo p. 19*: τῦ δὲ πίςιν ἔχοντος λόγυ μάλιςα καὶ πλείςυς μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος ἐις τὺς ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος. Huc quoque pertinent *Livii* ſolennes formulæ: *Invenio apud quoſdam, idque propius fidem eſt, L. II c. 41; me haud poenitet eorum ſententiæ eſſe, I, 8; hos ut ſequar, inclinat animus, I, 24; eo magis adducor, ut credam, II, 18; ego quantum in tanto intervallo temporum coniicio, III, 70; propius fidem eſt, III, 17; habeo auctores, ſed propius vero eſt, IX, 36.* (2) Ad multitudinem Auctorum, idem tradentium, animum attendendum eſſe, iudico, qui certiores, antiquiores,vel ætate propiores,

res memoriæ rerum illarum fuerunt, quorum in utramque veri partem magna vis esse solet. Hinc *Livius*, *ea frequentior*, inquit, *est fama*, (hoc est, opinio Scriptorum,) *quam cuius Piso auctor est*, *II*, *32*; *eo magis Fabio*, *præterquam quod antiquior est*, *crediderim*, *I*, *55*; *eodem anno descisse Antiates*, *apud plerosque Auctores invenio*, *III*, *23*, *pluribus Auctoribus magis adducor*, *ut credam*, *VI*, *42*; *Auctoribus hoc dedi*, *quibus dignius credi est*, *VIII*, *26*; *id ne pro certo ponerem*, *vetustior Annalium Auctor*, *Piso*, *effecit*, *X*, *9*. 3) In computatione annorum quando discordiæ incidunt, *Dodwellum* sequi placet, qui in *Diss. X de antiquis Romanorum Cyclis* pluribus exposuit causas, unde numerandorum annorum diversitates oriantur. Quibus legibus plerasque Auctorum lites defendere haud abs re erit. Poterant enim indubiæ fidei monumenta adesse, quæ tantum incerta fiebant recentiorum ratiociniis, & interpretum culpa. Ait autem *Dodwellus* (*pag. 592 Sect. 74*): *Illud difficilius*, *quo pacto res gesta eadem ad Consules tam diversos*, *tamque invicem dissitos*, *potuerint referri a veracibus temporumque coævorum monumentis. Et tamen multa habet huiusmodi exempla in primis præsertim antiquissimisque temporibus Livius. Hæc fidem ipsam monumentorum illorum vel penitus convellerent*, *vel saltem admodum dubiam evincerent*, *si*, *ut in Scriptorum editorum Annalibus*, *quos excerpsit Livius*, *ad magistratus annuos gesta quæque annua relata sunt*, *ita se res etiam* ha-

Digitized by Google

habuisset in coaevis Archivis. *Sed a) aliter annos designabant in Archivis omnium antiquissimis, quam per Consulatus, aliosve quosvis magistratus annuos. Ab Epochis numerabant certis & perpetuis, & quotannis sui similibus. In templis illa condebantur Archiva, quorum anni a dedicatione numerari solebant.* Vide ibidem plura usque ad *Sect. 76 pag. 598* & *879.* b) Lapsi quandoque sunt veteres in Graecorum Romanorumque Annalium contentione, de quo argumento egregia est eiusdem *Dodwelli* observatio (*Sect. 45* a *pag. 534*, & *Sect. 106* a *pag. 668 seq.*). c) Pendet nonnunquam calculi error ab inito, vel finito, Consulatu, aut Dictatura, ad quos numerorum sive limites, sive notas, animum attendere nos iubet laudatus a me *Dodwellus Sect. LI pag. 545 seq.* d) Accidit quoque saepissime, ut, qui victoriam reportabant ab hostibus, post magistratus demum triumpharent. Conf. eundem *Dodwell. ibid. Sect. 64 pag. 571*, & Cel. *Jul. Pontederam* in *Antiquit. Latin. Graec. Enarrat. Epist. 36 pag. 326, 327*, ubi Vir egregius animadvertit, fastos triumphales *notare annum, quo triumphans Consul creatus est, dein quo ductus est triumphus*, nonnullisque id exemplis demonstravit. e) Tenendum est inprimis, suffectos Consules cum veris haud raro commisceri, quam iudicandi normam si quis noverit, dubitari non potest, quin e multis se difficultatibus & tricis nonnunquam expediat.

Ad

Digitized by Google

Ad *P. II cap. 1 pag. 155: Cette raison suffira t' elle pour rendre erogable* &c.) Immo hæc *Plutarchi* ratio subtiliter est excogitata, quoniam fieri non potest, ut respublica præclare & divinitus instituatur, nisi conditores illius urbis & literarum & rerum agendarum usu subactos sumas. Ceterum non incongrue *Nieupoortius* in *Prolegomenis* ad *Hist. Rom.* scribit *de Romuli expositione & nutritione per lupam facta, seu per fœminam, quæ corpus vulgaverat, nemo tam hospes in historia est, qui hoc velit absque ullo argumento ita statim reiicere, cum & alia & vetera & recentia exempla infantum miris modis educatorum exstent. Sic Cyrus a cane educatus dicitur in Justino Lib. I cap. 4 & Lib. XLIV cap. 4, quibus adde varias historias Aeliani Lib. XII cap. 42, & Phil. Camerarium in Horis subsecivis Centur. I, 75,*

Pag. 158: C' étoit d' un Auteur Grec si peu connue, & si peu digne de foi &c.) Quanquam eius fama hodie in obscuro est; non sequitur tamen, ut nullum rei gestæ, præsertim tam veteris, testimonium perhibere possit, cuius fidei ne ipse quidem *Plutarchus* quidquam derogat. Sed fortassis iam ante *Dioclem* hæc & his similia in Græcis literarum monumentis tradita fuerunt, v. c. in *Lycophronis Cassandra*, cuius Auctor vixit *Ptolemæi Philadelphi* temporibus A. U. C. circiter 470.

Pag. 162: Il n' en est pas moins vrai, que son autorité sur ce point, &c.) Vid. *Cortium*

Digitized by Google

ad h. l. pag. 39. Neque tamen vulgari Historicorum opinioni repugnare videtur *Sallustius*, si damus, ter & quater locum illum a variis Græcorum coloniis occupatum & desertum fuisse, quod ab *Herculis* quoque comitibus factum esse novimus. (Vid. *Dionys. Lib. I pag. 59, 60.*) Ideoque largimur, Romam ante *Romulum* conditam fuisse, quam sententiam in peculiari Academica prolusione tuitus est *Bartholom. Christ. Richardi* Jenæ, 1706, 4. Sed quæritur, quis primum stabilem ibi sedem fixerit. Atque tam pervulgata res erat olim, ut omnes sine controversia *Romulum* urbis parentem nuncuparent. Vide, post *Dionysium*, *Octavianum Ferrarium de Origine Romanorum pag. 29 & 30 Thes. Antiq. Græc. Perizonium* in *Diss.* sæpissime laudata §. 4 *pag. 657-690*, & *Jo. Steph. Granaram* in *Diss. dell' Antichità & origine di Roma. In Venezia*, 1734, 4. Atque utinam haberemus *Gisb. Cuperi* Dissertationem *de primis Romæ Regibus*, quæ lucem non vidit.

Pag. 165: De plus incertain que la venue d'Enée en Italie &c.) Omnem illum argumentorum apparatum unicus *Dionysii* locus (*Lib. I pag. 39*) evertit: Τῆς δὲ ἐπὶ Ἰταλίαν Αἰνείου καὶ Τρώων ἀφίξεως, Ῥωμαῖοί τε πάντες βεβαιωταὶ, καὶ τὰ δρώμενα ὑπ' αὐτῶν ἔν τε θυσίαις καὶ ἑορταῖς μηνύματα, Σιβύλλης τε λόγια, καὶ χρησμοὶ πυθικοὶ καὶ ἄλλα πολλά. ὧν οὐκ ἄν τις ὡς εὐπρεπείας ἕνεκα συγκει-

κειμένων ὑπερίδοι. Nemo est profecto hodie quem non moveant *Ryckii*, *Perizonii* (*Diss. VII*), & *Nieupoortii*, rationes, in *Prolegomenis* ad *Histor. Rom.* traditæ. Observator enim Halensis hac in causa iudicium suum interponere non debebat, qui Auctores priscos parum profecto versavisse ac legisse videtur. Conf. quoque *Vulpii Vetus Latium T. I Lib. I cap. 5* a *pag. 46 seq.*

Pag. 167: Il n' y a pas plus de sureté dans ce qu' on dit du tems auquel elle fut fondée &c.) *Sethus Calvisius* in *Isagoge Chronologica* (Francof. 1620, fol. *cap. 10 pag. 68*) de *Epocha urbis conditæ* putat, non discrepare inter se annum *Catonianum* & *Varronianum*, quod attinet ad „tempus urbis conditæ. Nam *L. Tarruntium* „*Firmanum* æque ac *Catonem* & *Dionysium* „eruere annum ex eclipsi, quæ & *Romulo* nato, „& moriente, accidit. Iam vero notum esse, „eclipsem posteriorem anno Olympyadico 61 „evenisse. Reductis igitur a 37 solidis, quibus „regnasse *Romulum*, consentiunt omnes, efficie„tur annus Olympiadicus 24, qui est Olympi„adis sextæ quartus finiens; quod vero discre„pent inter se uno anno, id in historia demum „post Reges exactos observari, ubi Olympiados „annos ad Consules applicarint.„ Neque tamen hæc discrepantia historiam ipsam reddit dubiam. Nam orta est a confusione Calendarii & anni Romani, qui non longe diu demum ante *Ciceronem* certis quibusdam legibus fuit adstri-

Digitized by Google

ctus. Quis, amabo, Christi Servatoris nostri gesta in dubium vocare ausit, quoniam de anno eius *γεννησίας* nihil certi constat? Vide, sis, innumerabiles fere Chronologorum discordias, apud *Fabricium* in *Bibliogr. Antiquar. pag. 187 - 193.* Verum, in definiendis Urbis conditæ initiis celebriores Chronologos biennio tantum, immo vero unico anno integro, dissentire, comprobavit *D. Josephus Maria Stampa* ad *Car. Sigonii Fastos consulares*, *Operum Sigonii*, Mediolani A. 1732 fol. evulgatorum, *T. I pag. 41 - 44*, quæ profecto aberratio in rebus tam vetustis attendi non meretur, ipso *Dionysio* iudice (*Lib. VII pag. 418*): Ὀλίγοις μὲν ἂν ἔτεσι διαμαρτεῖν τῶν χρόνων δοίη τις ἂν ἱστορικοῖς ἀνδράσιν ἀρχαίας καὶ πολυετεῖς συνταττομένοις πραγματείας. Conf. locum *Plutarchi*, a Cel. *Fabricio l. c.* excitatum. Etsi enim *Censorinus de Die natali cap. 21*, discordiam illam in sex septemque tantummodo annis versatam esse, existimat; *Timæi* tamen Siculi, *Fab. Pictoris*, *L. Cincii*, *Polybii*, & *Diodori Siculi*, item *Fastorum Græcorum*, in Sicilia repertorum, hoc est, *Chronici Alexandrini*, computationes negligendas esse putamus, quoniam veri speciem non habent, * *Catoniana* tantum & *Varroniana*, seu *Tarruntiana*, contenti Nam *Var-*

* Conf. hic *Fastos Regum secundum varias urbis conditæ Epochas*, apud *Dodwellum de Cyclis T. XIII ad Diss. X pag. 879*, & *Diss. X Sect. 104 - 106 a pag. 664 - 670.*

Digitized by Google

Varro hoc quodcunque caliginis discussit, conferens tempora, nunc defectus, eorumque intervalla, *retro* dinumerans. Quæ profecto conclusionis chronologicæ ratio omnium optima est, si a rebus cognitis ad minus cognitas progressionem faciunt, quo pacto etiam sive *Cato*, sive *Dionysius*, ratiocinatus est, retro annos computando. *Catonianam* utplurimum sequuntur *Marmora Capitolina*, * *Livius*, ** *Dionysius Halicarnasseus*, *** *Solinus*, *Eusebius* in παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, *Frontinus*, **** & *Cassiodorus*, e nostris temporibus *Jo. Cuspinianus*, *Gregor. Haloander*, *Henr. Glareanus*, *Car. Sigonius*, *Steph.*

* Quanquam enim *Th. Lydiatus* in *Canonibus Chronologicis*, seu *Serie summorum magistratuum & triumphorum Romanorum*, Oxon. 1675, 8, *pag.* 3, statuit, Fastorum computationem inter *Catonianam* & *Varronianam* mediam esse, commode tamen æræ *Catonianæ* adscribi posse, existimo, quoniam illi exordiuntur ab anno 4 Olympiadis sextæ, eoque finiente. Hæc autem urbis epocha ab anno primo Olympiadis septimo incipit.

** Vid. *Dodwellus de antiquis Romanorum Cyclis Sect.* 81 *pag.* 610, licet aliquando cum suis rationibus Epochæ *Fabianæ* rationes misceat, docente id eodem *Dodwello l. c. Sect.* 73 *pag.* 589.

*** Vid. *Henr. Dodwelli Chronologiam Græco-Romanam pro hypothesibus Dionysii Halicarnassei T. II* ed. *Hudson.*

**** Hinc *Fr. Pagius* æram *Catonianam* quandoque appellat *Frontinianam*. Vide eius Dissertationem *de Periodo Græco-Romana pag.* 14, in *Critica in Annales Baronii*, Antwerp. 1727, fol.

Digitized by Google

Steph. Vinandus Pighius, * & *Jul. Pontedera* in *Antiquit. Latin. Grac. Enarrat. Ep.* 33, de *Romulea Hexacteride, quo anni tempore inceperit, & quo anno Olympico, unde Roma principium ducitur.* (Vide eum *pag.* 307.) Aeram *Varronianam* adoptarunt e veteribus *Atticus, Cicero* apud *Solinum, Dio Cassius, Plutarchus, Velleius Paterculus, Plinius*, ** *Tacitus, Gellius*, *** *Censorinus*, & ex nostra aetate *Onuphr. Panvinius*, **** *Petavius*, ***** *Narisi-*

us,

* *Annal. pag.* 11: *Probatiori magisque receptæ assentiri atque inhærere visum fuit, quæ Olympiadis VII anno circiter primo conditam tenet.*

** De *Plinio* maiore vide *Dodwellum Diss. X de Cyclis Sect.* 59 *pag.* 559 *seq.* Miscere eundem quandoque *Calovianas* rationes cum *Varronianis* suis, probatum ivit idem *Dodwellus ibid. Sect.* 67 *pag.* 577.

*** Mox tamen *Polybianam*, seu *Cornelii Nepotis*, mox *Varronianam*, secutus. Vide *Dodwell. Diss. X Sect.* 91 *pag.* 631.

**** De *Fabiana* χρονοτάξει ita ille *Lib. I Fastorum: Animus aliquando fuit, Pictoris annorum rationem in digerendis meis fastis sequi, quam certe, nisi veram, ceteris tamen omnibus certiorem esse, existimo. Verum, cum viderem, omnes, quotquot exstant, historiæ Romanæ Scriptores vel Varronianam sententiam sequi, vel uno aut altero anno tantum ab eo recedere, id facere omisi, ne, dum hac ipsa annorum serie eos illustrare nitor, ipsos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem, quam omnes fere, præter admodum paucos, sequi liquet.*

***** *Varronianam* omnium optimam esse, contendit in *Rationario temporum P. II Lib. I.*

us, *Bucherius*, *Usserius*, *Pagius*, & *Dodwellus*. * Nobis utique placet *Catoniana*, 1) quod cum *Capitolina* convenit, 2) quod *Dionysius*, refutatis expensisque aliorum, ipsius etiam *Varronis* forte, ratiociniis, verum hunc & indubitatum esse numerandi modum, prodidit. Nobis cum consentit *Jo. Rualdus* in *Animadversione* ad *T. I Plutarchi p. 2* & *11* ed. *Augustin. Bryani* (Londini, 1729, 4.).

Pag. 169: Mais le malheur veut que ces éclipses, &c.) Dodwellus quidem ad *Chronologiam Græco-Romanam pro hypothesibus Dionysii* §. *10 pag. 9*, *Romulo recentiorem fuisse*, ait, *eclipsium doctrinam apud ipsos etiam Græcos, a quibus tamen multo adhuc serius emanavit ad* Romanos. Verum, cum ipse *Plutarchus* in *Romulo pag. 24* testetur *Antimachum Teium*, Poetam melicum, σύνοδον ἐκλειπτικὴν ἐν αὐτῇ γενέσθαι σελήνης πρὸς ἥλιον ἣν ΕΙΔΕΝΑΙ (vidisse) καὶ Ἀντίμαχον τὸν Τήϊον ἐποποιὸν, non a verum alienum est, statuere, plane diversum videri hunc *Antimachum* ab illo ejusdem nominis Poeta, quem *Platoni* amicum fuisse, idem *Plutarchus* in *Lysandro pag. 443* refert, quare, eum urbis conditæ temporibus æqualem haberi posse, existimo.

Pag. 172: Il est aisé de remarquer que Tarrutius &c.) Vide *Dodwell.* ad *Chronolog. Dionysii* §. *10*,

* Vide Diss. X *de antiqu. Rom. Cyclis Sect. 58* a *pag. 157*, & *Sect. 102* a *pag. 656*, item *Sect. 103* a *pag. 663*.

Digitized by Google

§. *10, 11, 12*, qui *Tarruntii* Chronologiam & *συζυγίαν* ad regulas artis suæ exegit. De nomine *Tarruntii* variant Auctores veteres. Mea *Ciceronis* & *Solini* (*Polyhist. cap. 2*) exempla constanter exhibent *Tarutium*, seu *Tarrutium*. *Plinii Elenchus Auctorum ad Lib. XVIII* (*Hist. Natural. Lib. I*) habet: *L. Aruntium, qui Græce de astris scripsit*. *Plutarchus* Ταρρούτιον (*pag. 24* in *Romulo*) refert. *Baylius* contendit, scribi debere *Tarruntius*, (vide *Dictionaire historique* sub *Tarruntius*,) ex quo capite omnes fere suas dubitatiunculas chronologicas depromsit Censor. Quicquid sit, uno tamen omnium ore & confessione exploratum manet, urbem XI Cal. Mai. fuisse conditam. Diserte enim *Plutarchus* (*pag. 23* in *Romulo*) ὅτι μὲν, inquit, ἐν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται, quem etiam diem posteri constanter patriæ natalem vocitarunt, solennemque & fastum esse iusserunt, teste *Dionysio Antiquit. Lib. I pag. 75*. Conf. *Histoire Romaine par les P.P. Catrou & Rouillé T. I, a Paris, 1725, 4, pag. 59 seq.*

Cap. II pag. 176: Tels sont la mort de Remus &c.) Hæc omnia tantum ad περιστάσεις historiæ pertinent, non ad historiam ipsam. Interim de *Remi* morte illi famæ cum *Livio* assentimur, quæ *vulgatior est* (*Lib. I cap. 7*). In caussa triumphi Romulei haud dubie *Plutarchus* vincere videtur, quoniam numus *Hadriani* argen-

Digitized by Google

genteus eius sententiæ favet. (Conf. *Histoire Romaine per Catrou T. I pag. 92.*) De *Tarpeia* virgine vide *Ryequium* subtiliter disputantem in Comment. *de Capitolio Romano cap. 3* a *pag. m. 27 - 33.* Discrepantes Scriptorum veterum opiniones de morte *Tatii* utcunque conciliarunt Auctores *Historia Romana Gallica pag. 122 T. I.* Quod ad mortem *Romuli* attinet, sequor *Dionysium*, quia ipsum non pœnituit eorum esse sententiæ, qui πιθανώτατα γράφωσι, *pag. 118.* In originibus *Lupercalium* definiendis maior est auctoritas *Livii*, *Dionysii*, & *Plutarchi*, quam *Valerii Maximi*. Originem vocis *Thalassii* recte, ut equidem puto, exposuerunt *Livius* & *Plutarchus* * *pag. 26* ed. *Xylandr.* Frf. 1620, fol. ipseque *Festus* (*pag. 558* ed. *Dac.*) ex quodam historiarum Scriptore, quem *Scaliger Atilium* fuisse conicit, refert *Talassium nomine virum rapta virgine unica pulchritudinis; quod ei id coniugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari.* Neque hic obstat interpretatio huius verbi *Varroniana* apud *Festum*, siquidem unius ῥήσεως duplex potest esse significatus. Sacris certe Dei Consi, seu Neptuni, vox *Thalassius* mirifice conveniebat. De Vestalibus vide † *Histoire Romaine par les P.P. Catrou et Rouille T. I pag. 157 - 164.* De *Nonis Caprotinis* nulla est probabilis inter Auctores, quantum novi, dissensio. Nam *Plutar-*

* *Dionysius* de hac re nihil prodidit, in quo falsus est *Anton. Augustinus* ad *Festi* locum.

Digitized by Google

tarchus in *Romulo pag. 36* memorat, eum diem, quo *Romulus* vitam finivit, *Nonas Caprotinas*, seu plebis fugam, fuisse dictum, non ac si nominis originem a *Capra* palude duxerit, sed a *caprifico*. Vide ipsum *Plutarchum l. c.* & in *Numa pag. 60*, item in *Camillo pag. 146*, & *Macrob. Saturnal. Lib. 1 cap. XI p. m. 208* ed. *Steph.* Etiamsi enim nonnulli initia Nonarum illarum a *Romuli* casu derivarint; *Plutarchus* tamen iudicium suum interposuit, quod sectari fas est. Addit enim: *Τὸν δ' ἕτερον λόγον οἱ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων δοκιμάζοντες.* Neque *Saturnaliorum* obscuræ & dubiæ origines erunt, si quis perpenderit, Saturnalia vetustiora ipsa urbe esse potuisse, ut *Macrobius* tradidit *Lib. 1 cap. 7*, quæ neglecta forte *Romuli* temporibus, a *Numa* demum, uti *Plutarchus* vult (in *Numa pag. 75*), instaurata, & perpetuis quibusdam legibus sancita fuerunt.

Pag. 178: Tel est l' enlevement des Sabines, &c.) *Gronovius* raptum Sabinarum virginum serio in dubium vocare non poterat, quoniam memoriam huius rei gestæ nobis servavit nummus gentis *Tituriæ* apud *Patinum Numismatum Famil. pag. 278.* Contra eiusdem famæ communis auctoritatem *Bierlingius* in *Comment. de Pyrrhonismo historic. cap. 3 §. 2 pag. 140, 141*, inania quædam attulit, quæ confutatione nostra non indigent.

Pag. 179: Mais les Albins sur tout eussent-ils refusé des femmes &c.) *Romulus* non propter-

pterea a *Crustuminis*, *Caninensibus*, *Antemnatibus*, & *Sabinis*, connubia petiit, quod ab Albanis se repulsam laturum esse suspicabatur, sed consilia patrum & avi sui *Numitoris* (ἢ καὶ Νομίτωρ ὁ πάππος αὐτῷ προσέθετο, *Dionys. Lib. II pag.* 99,) legatos misit circa finitimas gentes, qui *societatem* connubiumque novo populo peterent. Nam, Albanos Romanum genus non fastidisse, ex eo colligitur, quod tergemini fratres *Curiatii* & *Horatii*, sub *Tullo Hostilio* clari, consobrini erant nati; e duabus sororibus *Secienni* Albani, quarum altera *Curiatio* Albano, altera *Horatio* Romano, nupserit. (Vide *Dionysium Lib. III pag.* 150.) Etenim, cum multæ & magnæ & bellicosæ gentes Romanis vicinæ essent, quæ omnes videbantur prosperis rebus *Romuli* invidere, nulla re alia commodius, nisi sanguinem & genus miscendo, conciliari poterant. Quare non tam propter mulierum inopiam, quibus forte Romana pubes magis & plebs carebat, quam ceteri ex Albanis oriundi Romani, raptus est institutus, quam ut arctioribus vinculis has duas gentes rex constringeret, auctore *Plutarcho* (*pag.* 25, 26): ἅ τε δὴ μεθ' ὕβρεως μηδ' ἀδικίας ἐλθόντες ἐπὶ τὴν ἁρπαγὴν, ἀλλὰ συμμίξαι δὲ ἐκ ἐθέλοιεν (vide *pag.* 61 in *Numa*).

Pag. 192: *Ne pouvoit pas non plus parler de ce partage* &c.) Quamvis non tanto apparatu, quo *Dionysius*, rem explicuerit *Livius*, hominum

minum tamen studia his verbis innuit *cap. 17: Inter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne, quia post Tatii mortem ab sua parte non erat regnatum in societate aequa, possessionem imperii amitterent, sui corporis creari regem volebant*; Romani veteres *peregrinum Regem aspernabantur*. In variis voluntatibus *regnari tamen omnes volebant*, &c. & *cap. 18: Audito nomine Numæ, patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumto, videbantur; tamen neque se quisquam, nec factionis suæ alium, nec denique patrum, aut civium, quemquam, præferre illi viro ausi.*

Pag. 193: Qu' elle vécut treize ans & que Numa passa à Rome &c.) Quot verba, tot errores. Vide, quæso, *Plutarchum*, & intelliges, plane contrariam vim verborum Græcorum esse. *Tatia* enim non tredecim annos nata diem supremum obiit, sed λέγεται τρίτῳ καὶ δεκάτῳ μετὰ τὸν γάμον ἔτει τελευτῆσαι. Neque *Numa* Romam abiit, sed tantum ἐκλιπὼν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς, hoc est, neglecta vita urbana rusticari, & in Deorum lucis commorari, maluit.

Pag. 197: Selon Tite Live lui même, il en avoit deja fait une partie &c.) Lis commode potest dirimi, si statuimus, *Tarquinium Priscum* opus inchoasse, *Superbum* perfecisse. (Vide Notas ad *T. I Dionysii Halicarnass. Hudson. pag. 236.*) Forte *Tarquinius Priscus*, suffossis montibus,

bus, viam aperuerat, quam *Superbus* additis pluribus foraminibus dilatavit, ut urbis sordes tanto facilius in Tiberim abducerentur.

Pag. 198: A la somme d' environ six mille livres &c.) A singulorum civium opibus ad ærarii publici divitias male concluditur, e quo solo sumtus in cloacas erogati fuisse videntur.

Cap. IV pag. 200: Primus iniussu populi voluntate patrum regnavit &c.) Ego vero tecum quovis pignore contendere ausim, hunc locum *Livii* esse corruptum. Hinc meo periculo lege: *primus iniussu populi sine voluntate patrum regnavit.* Utrumque enim factum esse reor actu primo. Quodsi *Servius* voluntate patrum ad regiam dignitatem evectus fuisset, *nec patrum, nec plebis, animos periclitari* potuisset, neque credibile est, cum adversa patrum voluntate de agris viritim dividundis ad plebem laturum fuisse (*Liv. cap. 46*), si a patribus regnum accepisset. Verum ipse *Livius cap. 47 L. Tarquinium* ita aperte loquentem inducit, *non interregno, ut antea, inito, non comitiis habitis, non per suffragium populi,* non auctoribus Patribus, *mulicbri dono regnum occupasse,* quod *Dionysius* confirmat (*Lib. IV pag. 213*): Τοῖς δὲ πατρικίοις οὐκ ἦν τὰ γινόμενα καθ' ἡδονὰς, ἀλλ' ἠγανάκτουν καὶ χαλεπῶς ἔφερον, οὐκ ἀξιοῦντες αὐτὸν ἑαυτῷ τινα μηχανήσασθαι βασιλικὴν ἐξουσίαν.

Pag.

Pag. 203: Et d'y oter tout pouvoir au Peuple &c.) Nec de Patriciis, nec de plebeiis, ibi sermo est. Neutri enim ordini suffragia ademit, sed, quoniam locupletes & assidui cives onera rei publicæ facilius ferre poterant, quam pauperiores, æquum etiam erat, ipsam rei publicæ vim & maiestatem divitum in manibus absque invidia tenuiorum esse, *τῆς πολιτείας ἔσεσθαι κυρίες, τὲς πένητας ἀπελύσαντες ἀπὸ τῶν κοινῶν*, propterea *Tullius ἐπὶ τὲς πλεσίες μετέθηκε τὸ τῶν ψήφων κράτος.* (Vide *Dionysium Lib. IV pag. 224.*) Quocum *Livius (l. c. cap. 43)* egregie conspirat, *hæc omnia*, inquiens, *in dites a pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus. Non enim (ut a Romulo traditum, ceteri servaverant reges,) viritim suffragium eadem vi, eodemque iure, promiscue omnibus datum est; sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset.* Per primores civitatis non tam senatores & patricios intelligi debere puto, quam homines ceteris ditiores, qui ex omni ordine esse poterant.

Pag. 206: Mais il n' y a aucune aparence &c.) Estne hæc idonea ratio ad evertendam veterum Scriptorum auctoritatem? Quis negat, Regibus expulsis penes populum ius summum fuisse? Igitur Democratia facta ex commentariis *Servii*, hoc est, suffragiis comitiorum centuriatorum, quorum ratio forte descripta erat in

Digitized by Google

in libris *Servii*, uti *Sigonius* recte vidit. (Vid. *Livium* Cel. *Drackenborchii T. I pag. 231.*) Nec aliter hunc locum *Creviurius* interpretatur *p. 80*, *Vidimus supra*, inquiens *cap 48, & Dionysius quoque testatur, Servium in animo habuisse deponere imperium. Potuit itaque commentarios conficere, in quibus eam regendæ reipublicæ formam describeret, quam libera olim civitas Romana constituere deberet.*

Pag. 207: A ce que Tite Live avoit dit plus haut du dessein de Servius d' etablir un gouvernement républicain &c.) Si id arbitratu tuo dixit *Livius*, quid est, quod *Dionysium* & *Sigonium* inscitissime cavillari audeas, tecumque paulo post frontibus adversis pugnes, dicendo: *Au lieu que selon Tite Livè c' etoit un gouvernement Aristocratique, où il entroit un peu de Democratie?* Tune existimas, urbem propterea a proceribus rectam fuisse, quia duo Consules ex commentariis *Servii Tullii* creabantur? Nihil profecto minus. Neque enim tirones ignorant, Regibus expulsis penes Consules & patres tantum auctoritatem & potestatem, contra penes populum, imperium, hoc est, jus legum ferendarum, belli indicendi, magistratus eligendi, & quæ sunt reliqua imperii popularis insignia, fuisse.

Pag. 214: Si nous ne posons cela &c.) Quasi ὑς τὴν Ἀθηνᾶν. Hæc omnia *Dionysius* tacite indigitat, utpote quem *Servii* instituta & leges, ab eodem ipso supra laudatæ, nullo modo latere poterant.

Cap. V pag. 219: Sur les ouvrages de quelques modernes &c.) Respexit haud dubie Censor ad *Boivinii* disputationem de tribubus Romanis, (*Les Discours sur les Tribus Romains*, vid. *Memoi-*

res de l' Academie des belles lettres T. I. à *pag. 93*, & *T. V* a *pag. 88* & *118* ed. Amstel.) qui *pag. 96 l. c.* scribit: *Mais malgré toutes ces opositions, ces Auteurs ne sont peut etrè pas au fond si contraire qu' ils le paroissent; & il seroit peut être même assez facile de les concilier.* Est certe hic locus de tribubus priscis admodum abstrusus & difficilis propter numerorum errores, qui librariorum culpa in Auctorum libros irrepserunt. Sed valet hic quoque lex, a summo *Perizonio* in *Babylonicarum atque Ægyptiacarum originum & temporum antiquissimorum investigatione* (ed. Viri Cel. *Car. Andr. Duckeri*, Traj. ad Rh. 1736, 8, *T. II c. 3 p. 31 seq.*) lata, nihil corruptius in libris veterum esse, quam nomina propria & numeros. *Infiniti*, inquit ille, *in hisce errores librariorum, ac dein etiam ipsorum Auctorum, qui in corrupta aliorum inciderunt exemplaria, passim deprehenduntur.* Conf. *Xylandrum* in *Annotat.* ad *Plutarchi Camillum pag. 151, nota*, inquientem, *numerorum (nam ne Graeci quidem iis carebant,) multorum sunt mendorum causa.* Eandem puto fortunam *Dionysii* loco (*L. IV pag. 220*) contigisse. Nam vulgares numeri tribuum rusticarum. *Fabiani, Catoniani*, & *Vennoniani*, adeo verum turbant, ut nihil his possit esse absurdius. Nam qui potuisset sibi *Dionysius* tam pueriliter (*L. VII pag. 469*) repugnare, *μιᾶς*, inquiens, *γὰρ καὶ εἴκοσι τότε φυλῶν οὐσῶν, οἷς ἡ ψῆφος ἀνεδόθη*, si *Vennonius ἀξιοπιστότερος ὢν* triginta & unam tribus *Servii* ætate constitutas narravisset. Novi equidem, viros doctos illum *Dionysii* locum (*L. VII*) suspectum habere voluisse; (vid. *T. II Dionys.*

onyſ. Hudſon. pag. 340,) ſed, quoniam hæ tribus, de *Marcio Coriolano* ſententiam dicentes, cum *Livianis* accurate congruunt, (*Liv. L. II cap. 21,*) mallem utique enormes *Fabii, Catonis*, & *Vennonii*, numeros falſi accuſare, quam poſteriorem *Dionyſii* narrationem, temporum & tribuum rationibus, aliunde traditis, convenientiſſimam, arguere. His ſumtis, ex tribubus ruſticis *Fabianis* XXVI refingendas eſſe puto XVI, ad quas additis quatuor urbanis, efficitur numerus XX tribuum, a *Vennonianis* autem XXXI demendas X eſſe arbitror, quo facto, Auctores tantum ſuper una tribu variant, in ceteris dehinc optime concinentes. Quamvis enim *Livius* & *Plutarchus* diſtributionem urbis in tribus, ante raptum Sabinarum factam a *Romulo*, non memorarint; eam tamen nullo modo negarunt, ſed, quoniam non nova inſtituta eſt diviſio, ſed nova tantum his tribubus nomina indita fuerunt, forte e re demum ipſis viſum eſt, tribus referre, cum nomen quæque ſuum ſortiebatur. Non inepte ceterum *Crevierius* ad locum *Livii* (*L. I cap. 43 pag. 60*) hæc annotavit: *Quatuor tribus urbanas inſtituit Servius, univerſum quoque agrum Romanum pariter diviſit; quot vero in partes, non ſatis inter Auctores conſtat. Ceterum, cum Livius tribus unam & viginti factas ſcribat A. U. C. 259 L. II c. 21, adjecta tum, ut videtur, tribu Claudia, nec antea mentionem fecerit aucti tribuum numeri, eundemque tribuum numerum appellet in judicio Corioiani Dionyſius L. VII, admodum veriſimile eſt, viginti tri-*

 bus

bus a Servio relictas, quo ex numero si demas urbanas quatuor, efficitur, rusticas tribus sexdecim initio fuisse. Quæ autem tribus, cum initio viginti fuerint, ad quinque & triginta postea excrevere, earum haud immerito dici potest duplicatus quodammodo numerus. Interim vide quoque *Gronovii Observat. L. IV cap. 1.* Cur *Livius* loco tribuum *L. I cap. 13 tres centurias* equitum literis prodat, vid. *Jo. Doujatium* ad *h. l. Hæc vero,* inquientem, *invicem conciliaveris, si memineris, quot tribus populi, totidem equitum centurias, fuisse, hasque ex illis decerptas, denis in singulas curias lectis.* Conf. *Grævium* ad *Flor. L. I cap. 5 T. Ii p. 108.*

Pag. 222: On a demontré qu'il étoit impossible &c.) Vid. Censorem *pag. 119 seq. Laurentius* quidem *Valla* post *Dionysium* putavit, minus verisimilem esse de *Tarquinio* sententiam, quam *Livius* adeptus est, in *Confutatione priori in Benedictum Morandum, Bononiensem,* Operum ejus *pag. 448* ed. *Basil.* 1540, fol; verum neque simpliciter eam defendit *Livius*, (vid. *Gronov.* ad *h. l.*) neque opinio *Pisonis* extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Forte *L.* & *Aruns Tarquinii* natura nepotes, adoptione filii, fuerunt. (Vid. *Crevierium* ad h. l. *Livii pag. 63,* & *Inscriptionem Gruterianam* apud Cel. *Drackenborchium* ad *h. l, pag. 189 T. I.*)

Quia vero non parvi ea res sit momenti ad historiæ illi lucem accendendam, ne antiquitatis cultoribus obtrectationes Censoris fraudi sint, ecce, schema *Tarquinii* stemmatis hic apponemus:

Da-

Digitized by Google

Lucumo, seu *L. Tarquinius Priscus*, Rex V Romæ. Uxor *Tanaquil*. (*Liv. L. I c. 34.*) LXXV annos natus obiit. (*Dionys. L. IV p. 234.*)

Aruns, prior, quam pater, moritur, uxore gravida relicta. (*Liv. L. I c. 34.*)

Egerius, nomen ab inopia adeptus. (*Liv. L. I l. c.*)

Servius Tullius, serva natus, Rex VI Romæ.

Tarquinia, nupta *Servio Tullio*. (*Liv. L. I c. 39.*)

L. Tarquinius Collatinus. Nepotem *Egerii* facit *Dionysius* (*L. IV p. 261*). Uxor *Lucretia*, *Sp. Lucretii* filia (*Liv. L. I c. 57*).

Tullia, natu major, 1) nupta *Arunti*, 2) repudiato *Arunte*, *Lucio Tarquinio* nupsit.

Tullia, natu minor, 1) nupta *L. Tarquinio*, 2) uxor *Arunti*. (*Liv. L. I c. 46.*)

Luc. Tarquinius, (*) natu maior, Rex VII Romæ (*Dionys. L. IV p. 232.*) 1) Uxor *Tullia* minor, 2) *Tullia* maior.

Aruns Tarquinius, mitis ingenii juvenis (*Liv. L. I c. 46*). 1) Uxor *Tullia* major, 2) *Tullia* minor. Non multo post incestas nuptias fato absumtus. (*Dionys. L. IV p. 234.*)

Tarquinia, *Tarquinii Prisci* filia sec. *Dionysium* (*L. IV p. 264*). Igitur amitam *L. Tarquinii* facit, in quo falsus fuisse videtur. Maritus fuit *M. Iunius* (*Dionys. L. IV p. 264*).

L. Iunius Brutus, sorore Regis natus (*Liv. L. I c. 56*).

Ex *Tullia minore*.

Sextus Tarquinius, recte *Dionysio* πρεσβύτατος (*L. IV p. 261*). *Lucretiæ* vim intulit, a Gabiis confossus (*Liv. L. I c. 60*).

Ex *Tullia majore*.

Aruns Tarquinius, *Titus Tarquinius*, ambo Delphos missi, quibus comes & custos datus erat *L. Iun. Brutus*. (*Liv. L. I. c. 56.*)

Sextus Tarquinius, recte *Livio minimus e tribus* (*L. I c. 53*), in prælio ad Regillum occubuit (*Dionys. L. VI p. 350*).

Tarquinia, nupta *Octavio Mamilio Tusculano* (*Dionys. L. IV p. 246*).

* *L.* & *Aruns Tarquinii* Regis *Tarquinii Prisci* filii, an nepotes, fuerint, parum liquet (*Liv. L. I c. 46*). Sed putandum est, in tanta senectute a *Tarquinio* non fuisse procreatos, quoniam a *Livio L. I c. 42 juvenes regii* appellantur, quod nomen utrum nepotibus possit convenire, acutiores me interpretentur. Patet utique, non omni veri specie destitutam esse *Livii* opinionem. Fac enim, secundum *Dionysium* XXVII annorum fuisse *L.* & *Arunt. Tarquinios*, nonne poterat iis regnum eripi insidiis *Servii Tullii*, quæ res profecto exemplis non caret? Interim propter alias rationes, quas ibidem *Dionysius* ex *Pisonis* Annali affert, nihil definiendum esse arbitror.

Narrationem *Licinii* & *Gellii* adeo non esse, ut vult *Dionysius* (*L. VI pag. 349* ed. *Sylb.*) absurdam, exemplis Regis *Masinissa*, *Antea*, Scytharum Regis, & aliorum, decrepita fere senectute fortiter in prælio decertantium, probat *Casaubonus* ad *Dionysium pag. 338* ed. *Hudson. T. II.* Parum abfuit, quin in *Guil. Budæi* sententiam irem, formulam *Livii* (*L. II cap. 19*) *equum admittere* per *conscendere* explicantis (in *Annotat.* ad *Pandect.* ed. *Basil.* 1557, f. *pag. 293*), nisi, virum doctum aliquid humani passum esse, peropportune monuisset Cel. *Drackenborchius* ad *h. l.* (*T. I Liv. pag. 322, 323.*) Quare nihil hic ad præstationem scribo. Fides ejus rei penes Auctores erit. Variatum enim hic in historia, non dubitem.

Pag. 228: Tite Live le fait le cadet &c.) Plures Auctores *Livio* assentiunt, quorum loca vide apud *Hearnium* ed. *Oxoniens. pag. 61*, & Cel. *Drackenborchium T. I pag. 211.* Forte placet in

Livio

Digitized by Google

Livio refingere *maximus* pro *minimus*, quod jam *Glareano* in mentem venit, aut quod *Casaubonus* vult in *Dionysio* scribere ὁ νεώτερος. (Vid. *Dionysium Hudson. T. I pag. 244.*) Quanquam vero *Livius* scribit (*L. I cap. 53*), *Sextum* esse filium ex tribus minimum, plures tamen, quam tres, ejus filios suspicari malim. Nam *Livius* ibi forte de iis solum locutus est, quos *L. Tarquinius* ex *Tullia* majore procreavit, negligens alterum *Sextum*, ex *Tullia* minore natum: (vid. *Henr. Dodwelli Notas ad Chronolog. Græco-Romanam pro hypothesibus Dionysii pag. 75 T. II* ed. *Dionys. Hudson.* 1704, fol.) 1) *Sextum*, natu majorem, πρεσβύτατον *Dionysii, qui Gabios, tanquam in suum regnum*, hoc est, jure primogenituræ sibi debitum, *profectus, ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse cædibus rapinisque conciverat, est interfectus* (*Liv. L. I cap. 60*); 2) *Aruntem*, qui, cum *M. Junio Bruto* certans, ex equo moribundus lapsus est (*Liv. L. II c. 60*); 3) *Titum*, qui, cum fratre *Arunte* Delphos missus, postea exulatum abiit cum patre Cære in Etruscos; & 4) *Sextum*, qui cum fratre *Tito* non tantum bello *Etrusco*, (vid. *Dionys. L. V pag. 294*) sed & dimicationi ad Regillum, interfuisse videtur, eodem *Dionysio* teste (*L. VI pag. 350*). Verum in his rebus tam vetustis & dubiis liberum cuique esto judicium.

Pag. 228: De différentes manieres les Historiens & les autres &c.) Si rem curatius ponderabis, intelliges, in verbis tantum & rerum adjunctis Auctores secum luctari, re ipsa sibi con-

ſtare. Maneat ergo praeclariſſimum caſtitatis & continentiæ exemplum, quo antiquitas omnis nullum illuſtrius habet, & cujus veritatem argutulis rationibus ſollicitare fas non eſt.

Cap. VI pag. 230: Porſenna met le ſiége devant Rome &c.) Vid. ad *h. l.* egregiam Cel. *Drackenborchii* adverſus *Clericum* diſputationem *p.* 300, 301, *T. I,* item *Thom. Hearnium* in *Annotat.* ad *Volum. I pag.* 186, qui animadvertit, exempla *Livii* hic forte mutila & inania eſſe, & *Dodwellum* in *Chronologia Græco-Romana T. II* ed. *Dionyſ. Hudſon. pag.* 29, qui in tabulis Conſules eleganter ordinavit.

Pag. 231: Tanti errores implicant temporum &c.) Hujus rei cauſam ſubtiliter indagavit Cel. *Jul. Pontedera* in *Antiquit. Latin. Græc. Enarrat. Epiſt.* 36, ubi pluribus diſſeritur, *quoties Conſulatus auſpicia immutata fuerint, pag.* 324-328, cujus mutationis ſex genera memorantur. Inchoarunt quippe 1) Cal. Juniis, 2) Cal. Octobr. 3) Cal. Sextil. 4) III Id. Sextil. 5) Id. Maiis, 6) Id. Decembr. quo factum eſt, ut Chronologia paululum difficilior evaderet. Facit huc quam maximè ſententia ejus de initio faſtorum Conſularium, quam Lectoris judicio hic ſubmittere non nolui. *Qui faſtos,* inquit Vir doctiſſimus, *Conſulares ex A. U. C.* CCXLIV *repetunt, recte repetunt; nam Roma regnatum eſt annis* CCXLIII, *menſibus* IV, *diebus* XXIV. *Sunt tamen, ut minime neſcis, inter veteres, qui hunc annum Regibus reſervent, & Conſules ab inſequente exordiantur. Cujus opinionis cauſam cum quærerem,*

rem, nullam aliam inveniebam, nisi maluisse ab integro anno, quam a dimidiato, Consulatum auspicari. Quos si sequimur, quae a Consulibus primis inter Cal. Jun. & Cal. Januar. acta sunt, cui dabimus solari anno? Brutus igitur novem mensibus Consulari potestate vixit, septem ad annum CCXLIV pertinentibus, duobus ad CCXLV. Quo interfecto prid. Cal. Mart. alterum Regifugium institutum est a M. Valer. Bruto, Collega, qui primus ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἱερὰν ἦγε. Bruto suffectus est Sp. Lucretius, & Lucretio, brevi fato functo, M. Horatius, qui idibus Septembr. anni CCXLV Capitolium dedicavit. Ex quo perspicuum est, cur tam diversi saepe annorum Consules in libris veteribus reperiantur. Nempe e rationum calculis negligenter invicem commissis haud leves interdum errores nasci potuerunt, quos humaniter ferre aequum est.

Pag. 232: Denis d' Halicarnasse a mis les mêmes Consuls &c.) Quoniam *Diodorus Siculus*, tabulae *Capitolinae*, aliaque veterum librorum fragmenta, Consules eosdem hoc anno memorant, nullum est dubium, quin *Dionysii* auctoritati cedat *Livius*.

Pag. 233: Mais ils diffèrent pour l' année) Non inepte *Jo. Douiatius* ad *h. l. Mentio*, inquit, *quidem creandi facta est, nondum tamen re vera creatus est hoc anno Dictator, sed triennio post, nisi fallitur Dionysius.* Conf. *Histoire Romaine par les P.P. Catrou & Rouillé T. II (à Paris, 1725, 4,) pag. 124, 125,* & *Crevierium* ad *Liv. L. II cap. 18. Pighius* tamen *Livium* hic, *Eusebium,*

bium, *Eutropium*, *Cassiodorum*, & alios recentiores, a *Livii* sententia non discedentes, sequi mavult. (Vid. ejus *Annal. T. I L. II* ad A. U. C. CCLII *pag. 80, 81.*) *Festus* in *optima lex* (*pag. 308* ed. *Dac.*) haud dubie ante oculos *Livium* non habuit, cum hæc scriberet; alias vidisset, eorum sententiam, qui, *M. Valerium*, M. F. *Volesi* nepotem, moderatorem & magistrum Consulibus appositum esse, opinabantur, legibus, de Dictatore creando latis, refragari.

Cap. VII pag. 239: Il est vrai que Tacite est le seul &c.) Immo in hoc loco *Taciti* tantum rhetoricam quandam sumtionem & exempli translationem ab eo, quod fieri potuisset, ad id, quod tum factum erat, inesse opinor, ut furor Principum illorum tanto majori cum vehementia & dignitate traderetur. Credibile enim non est, ut, si deditam sibi urbem habuisset *Porsena*, vel *Tarquiniorum* familia in exilio mansura, vel *Porsena*, suæ utilitatis immemor, urbem Romanis redditurus fuisset. Insignia regia *Porsenæ* dono missa interpretationi tuæ nihil prosunt. Etenim præter regiam compellationem nihil denotasse videntur. Cupiebat *Porsena*, ut a Romanis pro Etruriæ Principe haberetur. Cui petitioni statim mos gestus, legatioque ad eum missa est, quæ Romanorum verbis *Porsenæ* regnum confirmaret. Quodsi hæc insignium regiorum transmissio obsequii cujusdam nota esset, quot, quæso, Regibus obnoxia fuisset urbs, etiam illis temporibus, cum rerum domina omnium confessione esset.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 255: Mais si on pése les voix &c.) Ita quoque *Jac. Palmerius* in *Not.* ad *Polybium T. III pag. 389* ed. *Gron.* male, *potior*, inquit, *mihi Polybii antiquioris & veracioris fides, posteriores, ut historiam bellam facerent, sic mutaverunt.* Sed plurium testimoniis standum est, quæ vide apud Cel. *Drackenborchium T. I Liv. II, 10, pag. 280.* Conf. *Nieuport. Hist. Rom. pag. 73.*

Ibidem: *A la verité, dans ce qu' on raconte de l' action de Mucius* &c.) Vide, sis, omnino rursus ad *h. l. Drackenborchium L. II cap. 13 pag. 291 seq.* & *Freinshemium* ad *Florum I, 10, 5, pag. 86* ed. *Duck.* Conf. quoque doctiss. *Crellii* Differt. *de Mucio Scævola*, Lipf. 1722, 4. *Plutarchus* in *Poplicola* notanter addidit *pag. 106*: *λεκτέον δὲ ἡ μάλιστα πιστεύεται καὶ ἡμῖν.*

Pag. 260: Si cette courageuse fille passa le Tibre à cheval &c.) Ridicula & inscita sane animadversio! Quasi virginem illo equo vectam tranare Tiberim oportuerit, quia sacra via equo insidens posita fuit. Ostendebant solum talia signa summæ virtutis claritatem, animique magni celebrationem, tantoque gloriosiores pedestribus habebantur equestres, quanto insolentior virtus illius erat, cui ponebantur. Quare *Livius* non sine causa addit (*L. II cap. 13*): *Novo genere honoris, statua equestri, donavere.* Interim *Florus L. I cap. 10, 7, pag. 88*, ed. *Duoker. Una*, inquit, *ex obsidibus Regi data, elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat.* De reliquo *Mottius* harum fœminarum, ad publica quoque decora

cora excitatarum, virtutes temere in dubium vocare ausus est in libro de *Historicis Graec. & Lat.* (Vid. *Oper.* eius Paris. 1654. fol. *pag. 306, 307.*)

Cap. VIII pag. 263: ne omettant un trait aussi merveilleux &c.) Omnia ad unguem exigere alterius est operae, & post *Perizonium Animadvers. hist. cap. 5* a *pag. 185 - 200,* non necessariae. Interim, notes, velim, eiusdem *Perizonii* verba *pag. 190*: *Nihilo verisimilius videtur, quemquam rem tam non verisimilem, tamque absurdam, & nihil ad gloriam vel gentis Fabiae, vel urbis Romae, augendam magnopere facientem, historiae veteri de suo addere, vel tam absona & abhorrentia ab omni veri specie confingere, & in vulgus spargere, primitus fuisse ausum.*

Pag. 265: Sur la quelle les Auteurs se contredisent tous les uns les autres &c.) Vid. *Pighii Annal. T. I L. II pag. 70 seq.* Sed omne, quicquid hic est tenebrarum, dispulit Cel. *Draekenborchius* ad *Liv. II, 41, pag. 426, T I.* Numerum annorum iam dudum *Lipsius* ὁ πάνυ suspectum reddidit ad locum *Taciti Annal. Lib. XI cap. 22.* Quomodo vero diversae Auctorum sententiae conciliari possint, vide, si tanti est, *Heineccii Histor. Juris pag. 48, 49, §. 54* in *Not.* * (ed. L. B. 1740,) item *Antiquitat. Rom.* ad *Institut. L. I Tit. 25 §. 11 pag. 246 seq.* & *Pandectar. L. I T. II §. 73 pag. 24,* (ed. Amstel. 1740,) nec non *Nieupoortium* in *Hist. Rom. pag. 71,* & *Histoire Romaine par les P. P. Catrou & Rouillé T. II pag. 44.*

Pag.

Digitized by Google

Pag. 169: On y voit regner la même diversité &c.) Vid. *Donatium* ad *Livium L. II cap. 33*, & *Perizonium Animadv. hist. c. 10* a *p. 419*, item duumviros rei literariæ celeberrimos, *Duckerum* & *Drackenborchium*, ad eundem locum *pag. 383 seq. T. I Liv. Drackenb.* neque minus *Pighium* in *Annalib. T. II Lib. II pag. 90 seq.*

Pag. 273 : Tite Live ne nous dit rien non plus &c.) Recte *Perizonius Animadverʃ. histor. cap. 4 pag. 160*, *Hinc reperias*, inquit, *sæpe etiam ab accuratiſſimis Scriptoribus, præſertim rerum Romanarum, quibus nullæ ſunt ampliores, ſuo loco & tempore præteritum, quod deinde tamen, quaſi iam ante traditum, per occaſionem verbo tantum refertur, ſive memoriam eorum fugerit, cum iuſtior de illo agendi erat locus, ſive ipſi de induſtria ac brevitatis ſtudio prætermiſerint, & ex narratione poſteriorum intelligi voluerunt priora eiusdem negotii.*

Ad *Cap. IX.* Argumenta fere omnia ex *Palmarii a Grenteſmenil Exercitationibus in varios Auctores Græcos*, ad *Plutarchi Camillum, p. 188*, hic repetat Cenſor, quem tamen convellere poſſit unicum parmæ equeſtris monumentum, ex *Jo. Woodwardi* Muſeo evulgatum, de quo exſtat *Henrici Dodwelli* Diſſertatio, a *Thom. Hearne*, A. M. *Oxonii* A. 1713, 8, luci publicæ donata, & ab eodem in compendium miſſa in *Annotat.* ad *Volum. I Livii pag. 194.* Conf. *Gisb. Cuperi Epiſtolas* (Lettres de Critique) *pag. 193* & *202.* Cenſoris ſententiam utcunque amplexi ſunt *M.*

Vel-

Velserus, qui, annotante Cel. *Burmanno* ad *Suetonii Tiberium cap. 3*, confictam esse victoriam, comprobare studuit in *Lib. I rerum Boicarum*, *Jo. Rualdus* in *Animadvers.* ad *Plutarchum T. I pag. 34*, *Plutarchus Vit. parallel.* ed. *Bryani*, *Chr. Ad. Rupertus* in *Observat. ad Florum L. I cap. 13*, & Cel. *Duckerus ibid. pag. 128*, item contra *Dacerium*, qui veritatem illius Gallicæ cladis defenderat in Præfatione ad *Plutarchi Vitas pag. 64 seq.* ed. Amstel. *Folardus* (*dans ses Remarques sur Polybe T. I, pag. 6, 7*, ed. *Amstel.*). Male hic laboranti *Livio* subvenit *Crevierius* in *Præf.* ad *Liv. pag. 15*, *Hoc fictum esse*, inquiens, *a Livio, nemo sanus dixerit. Sed nimirum, cum duplex fama esset, & auctores in utramque partem essent, suspicari sane licet, illum maluisse ad illos accedere, qui Romani nominis laudi favebant.* Quasi hæ duæ causæ relictæ obsidionis, urbis liberatæ, reditionisque Gallorum, simul stare non possent, nuntius de irruptione hostium in patriam, & *Camilli* clades. Prior consilium deserendæ urbis peperit, altera casu & velut postliminio accessit. Utraque tamen effecit, ut Romani præter omnem spem atque exspectationem urbe sua potirentur, γινόμενοι πάλιν ἀνελπίστως τῆς πατρίδος ἐγκρατεῖς, auctore *Polybio* (*L. II cap. 18 pag. 148*). Alterum vero *Polybii* locum (*cap. 22 pag. 153* ed. *Gronov.*) ubi diserte dicitur ἀδραυστὶς καὶ ἀσινεῖς ἔχοντας τὴν ὠφέλειαν, ita accipere malim, ut decore ad ingenium & personam Gallorum, gæsatos in ar-

mo-

morum societatem allicientium, a *Polybio* ficta esse videatur, uti ex ipso *Livio* videre est (*L. X cap.* 16). Peropportune ergo *Nieupoortius* in *Hist. Rom. T. I pag.* 157, *Verum*, inquit, *responderi potest, Polybium, Livium, Justinum, locis citatis hostes Romanorum pro sua causa loquentes inducere. Suetonium autem quod attinet, ille de incerta satis fama loquitur.*

Pag. 289: *Que les Romains furent quatre vints neuf ans entier sans remporter une seule victoire* &c.) Iniquissima hæc est Auctorum veterum, & *Livii* inprimis, cavillatio. Forma enim institutoque scribendi unumquemque scriptorem iudicare nos oportet. *Polybius* satis habuit irruptiones reditusque Gallorum summatim describere, ut multas res alias bello Punico II antiquiores, quod aliis in locis diserte profitetur, quemadmodum verbi causa (*L. I cap.* 5): *Κἂν δέῃ τοῖς χρόνοις βραχὺ προαναδραμόντας κεφαλαιώδη τῶν μεταξὺ πράξεων ποιήσασθαι τὴν ἀνάμνησιν*, item alio loco: *μνησθῆναι κεφαλαιωδῶς προαιρούμεθα χάριν τῆς προκατασκευῆς τῶν μελλόντων ὑφ' ἡμῶν ἱστορεῖσθαι πράξεων*, & inprimis *Lib. II cap.* 14 *pag.* 142: *ὧν δοκεῖ μοι χρήσιμον εἶναι κεφαλαιώδη μὲν ποιήσασθαι τὴν ἐξήγησιν ἵνα τὸ τῆς προκατασκευῆς οἰκεῖον συνενώσαμεν κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν.* *Livius* contra maiori cum apparatu, ut par erat, rerum vetustarum memoriam literis consignare debuerat. Provide factum est, ut *Polybius* illas demum victorias memora-

Digitized by Google

moraret, quæ ceteris essent longe celeberrimæ, quod ex eius dictis colligere licet (*L. II cap. 20 pag. 151*): ἐκ δὲ τῶν προειρημένων ἀγώνων, δύο τὰ κάλλιστα συνεκύρησε Ῥωμαίοις. Cum enim ab A. U. C. 365 usque ad A. 457 in perpetuis inimicitiis bellisque versarentur Romani cum Gallis, omnesque simul causæ temeritatis, & casus, & sapientiæ, *Polybio* explicandæ fuissent, maluit certe gravissimus Auctor rerum præteritarum ordinem in illo transcursu tam arctatæ eius narrationis & historiæ catholicæ paucis absolvere, quam illis tumultibus diu inhærere, quibus neque magna rerum commutatio oriebatur, nec fortuna Gallorum multum inclinaverat. Interim, quoniam *Polybius* non una vice dixit, Gallos domum rediisse, credi vix potest, gentem tam ferocem, tamque avidam divitiarum, Italiæ terris vi occupatis cessuram fuisse, nisi victa & cæsa a Romanis sæpenumero fuisset, quas victorias, ante bellum Tarentinum a Gallis reportatas, ne ipse quidem *Polybius* inficiari videtur (*L. I cap. 6 pag. 8* ed. *Gron.*): τοὺς δὲ, inquiens, κατὰ τὴν Ἰταλίαν κελτοὺς πολλοῖς μάχοις ἤδη νενικηκότες .... ἀθλητοὶ γεγονότες ἀληθινοὶ τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἔργων ἐκ τῶν πρὸς τοὺς Σαμνίτας καὶ κελτοὺς ἀγώνων. Conf. eundem *L. II cap. 20 pag. 151.*

Pag. 306: Des triomphes sur les Eques &c.) Eadem dubitatio *Livio* olim percensenti propiores temporibus harum rerum auctores succurrit

(*L. VI*

(*Lib. VI cap. 12*), cuius verecundiæ exemplum, si potes, imitare.. Conf. Interpretes ad hunc locum in exemplo *Livii Drackenborchiani T. II pag. 306.*

Cap. X pag. 313: On ne peut douter que ce ne soit ce Licinius &c.) Huius controversiæ nodos feliciter explicuit Cel. *Drackenborchius* ad *Liv. Lib. VI cap. 38, T. II pag. 435*, item *cap. 39 pag. 437, 438.*

Pag. 318: Et devoit par conséquent trouver place &c.) *Theophrastus* in illo loco (vid. *pag. 538* ed. *a Stapel Amstel.* 1644,) temporis non meminit, sed tantum scribit, Romanos in Corsicam, oppidi condendi causa, naves misisse. Igitur de hac re certi nihil dici potest.

Pag. 319: Comme nous l' aprend Ovide &c.) Immo vide *Heinsium* ad *h. l. Ovidii T. III Oper.* eius ed. *Burm. pag. 383.*

Pag. 320: Comme d' habiles gens l' ont remarqué &c.) Quos confutavit Cel. *Duckerus* ad *Liv. Lib. IX cap. 18 §. 6 pag. 908, T. I* ed. *Drackenborch.*

Ad *Cap. XI pag. 326: Qu' Atticus attaquoit la verité de cette circonstance* &c.) Ex hoc loco *Ciceronis* firma satis ratione concludi non potest, *Atticum Livii* narrationi repugnasse, quoniam sententia illorum verborum aperta non est. Nihil enim certi de quæstione, ibi proposita, constat, utrum *Atticus* negarit, *Flavium* ante Decemviros fuisse, an contenderit, eum nihil profecisse, quod protulerit fastos. Forte prænomen quoque *Flavii*, & exinde natum com-

Digitized by Google

mune illorum erratum, qui duos *Flavios* confuderant, *Attico* scrupulum fecerat. Neque minus de fastorum illorum argumentis disceptatio oriri poterat, legisne actiones, an dies agendi, continuerint. (Vid. Cel. *Duckerum* ad *Liv. T. II pag. 1030* ed. *Drackenborch.*) Sed, quod dixi, vis potestasque illius orationis nimis abstrusa esse videtur, quoniam *Cicero* ibidem λαχανίζει. Proinde vana est, quæ adversus publicam doctorum virorum opinionem inde ducitur, criminatio.

Ad *Cap. XI pag. 332: Ces Auteurs que Polybe traitte* &c.) Utrum *Chæreas* & *Sosilus* ante *Catonem* vixerint, dubitari potest.

Pag. 345: Le savant Msr. de Grentesmenil &c.) Famam communem afferuerunt *Nieupoortius* in *Hist. Rom. T. I pag. 283 seq.* & *Catrouius* in *Hist. Rom. T. VI pag 497*, quos vide. Lege quoque Auctores, a Cel. *Duckero* ad *Florum II, 2, 25, pag. 254*, laudatos.

His omnibus explicatis, opinor, me sic satis liquido demonstrasse rationes, quare a vulgari opinione recedere fas non sit. Equidem, si non satis subtiliter rem tradiderim, doctus ab aliquo facile & libenter sententiam commutabo. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte ac diu perseverare, turpe est. Propterea illud alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari mortalium vitio, est attributum. Nihil restat, quam ut toti huic qualicunque disputationi colophonem imponamus verbis *Lengleti du Fresnoy* ex *Supplemento Methodi*

eius

Digitized by Google

eius *historica* (*Supplement de la Methode pour étudier l' histoire pag. 33 T. V P. I, Paris.* 1741, 4,) desumtis: *Tout ce qu' on vient de lire dans cet article doit nous apprendre à respecter l' histoire sans nous attacher à la détruire par des fausses accusations. Le fond des veritez qu' elle renferme est incomparablement plus grand, que le nombre des incertitudes, qu' on y peut remarquer. Ainsi elle ne doit point porter la peine de fautes, que commettent ceux qui ne la traitent point avec la discrétion convenable. Et les hommes sont plus coupables que l' histoire méme; ou de ne la pas ecrire conformément aux régles, ou de la lire sans l' esprit d' équité qu' ils apportent dans la plûpart des autres lectures; ou de n' y employer pas le discernement, qu' ils ont pour les affaires les plus ordinaires; ou enfin de ne pas chercher à profiter des doutes, & des incertitudes, qui sont inévitables à tout ce qui part de la main des hommes.*

VI.

I. C. H. CONTINVATIO CRITICARVM IN IVLII CAESARIS LIBROS EMENDATIONVM.

I.

Leguntur hæc *de B. G. III, 24, 5,* vulgo: *Crassus cum sua cunctatione & opinione timi-*

Digitized by Google

timidiores hostes, nostros milites alacriores, ad pugnandum effecisset, atque omnium voces audirentur, exspectari diutius non oportere, quin ad castra iretur; cobortatus suos, omnibus cupientibus, ad hostium castra contendit. Res gesta fuit inter Aquitanos. Hi, numero Romanis superiores, obsessis viis, Romanis commeatu interclusis, sine ullo vulnere victoria potiri cogitabant, rati, sese Romanos, simul ac hi propter inopiam rei frumentariæ se cœpissent recipere, impeditos agmine, & sarcinis gravatos, ideoque animo inferiores futuros, impune adoriri ac superare posse. Romani, licet posterum diem pugnæ constituissent, consilia hostium occupaturi, tamen, productis copiis, haud illico hostes, castris sese tenentes, invaserunt. *Crassus* exspectavit potius, quid consilii & molitionum hostes essent suscepturi. At hi castris egredi recusabant; & *Crassus* dubitabat eos, castris se continentes, invadere. Hæc est illa *Crassi* cunctatio, qua hostibus timor, & Romanis animus, crevit. Nunc vero quæritur, quid per illam *opinionem*, qua simul milites Romani ad pugnandum alacriores, & hostes timidiores, effecti sunt, sit designatum. Vox hæc notioni perspicuæ distinctæque ingenerandæ est inepta. An notatur id, quod alii de eo existimarunt? An illud, quod ipse sibi persuaserat? Et quorsum illa spectavit *opinio?* Utrum ad hostium infirmitatem, an ad Romanorum metum? Quare cunctatus fuit? Quin confestim signa hostibus inferri, vel eorum castra infestari, iussit? Videtur sic egisse,

Digitized by Google

egisse, ut hostes existimarent, Romanis inesse timorem, ipsosque rebus suis minus præfidere. Ipsi etiam Romani milites cunctationem illam haud aliter interpretati fuerunt, rati, eam hostibus opinionem de virtute Romanorum esse eximendam. Unicum proinde verbum illud *opinionis* obscurum est, & ineptum scopo commemorationis. Adde aliquid, rationibus rei accommodatum, ac eo ipso senties, in expedito esse omnia. Lege ita: *Crassus cum sua cunctatione & opinione timoris præbita timidiores hostes, nostros milites alacriores, ad pugnandum effecisset.* Cum librarius in verbum *timoris* incidisset, affinitate & similitudine vocis *timidiores* videtur præoccupatus, omisisse verba duo. Hæc fallendi occasio est fons male sanus, qui permultas in scriptis veterum, in exemplaria nova descriptis, effecit omissiones, & unde crebri defectus hiatusque sententiarum exorti fuerunt. Præbuit *Crassus* speciem & opinionem timoris, simulavisse eum visus est. Videbantur huic simulationi subesse graviora. Hæc res reddidit hostes timidiores. De formula loquendi, ad *Cæsaris* scripturam quadrante, dubitandum non est. Succurrunt illa memoriæ, quæ *Cæsar* habet supra *III*, 17, *6*: *Sabinus tantam opinionem timoris præbuit, ut iam ad vallum castrorum hostes accedere auderent.* Norant adhuc Aquitani, quanta victoria Romanorum illam timoris simulationem fuerit consecuta, & quanti sint Romani in simulando dissimulandoque artifices.

Digitized by Google

II. Progredimur nunc ad *Librum quartum*. In *Capite primo* §. 9 hæc leguntur: *Quæ res & vires alit, & immani corporum magnitudine efficit.* Si reliqua, hisce intertexta, eiicias, sensus perstabit perspicuus, scopusque & contextus sibi constabunt. Insere unicum verbum *eos* ante vocem *efficit*, ne *Cæsar* perhibuisse videatur, eam rem vires immani corporum magnitudine efficere. Hoc enim si fuisset dicturus, orationem ita instituisset: *Quæ res vires & alit, & immani corporum magnitudine efficit.* Vires, quæ aluntur, iam sunt præsto, non demum denuo efficiuntur. Legendum proinde sic esse, mihi est persuasum: *Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore, vivunt, multumque sunt in venationibus. Quæ res & vires alit, & immani corporum magnitudine eos efficit.* De Suevis *Cæsar* differit. Librarius, isque Grammaticus, glossematum amator, ita scripsit: *Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod a pueris nullo officio, aut disciplina, assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant, & vires alit, & immani corporum magnitudine efficit.* At cur denuo cibi genus meminisset *Cæsar*? Cur quotidianam adolescentibus Suecorum tribueret exercitationem? Dixerat, Suevos multum in venatibus esse. Exercitationem eis quotidianam tribuere recusavit. Et quid inconvenientius est, & a vero magis abhorret, quam illud, Suevos a pueris nullo officio, aut disciplina, assuevisse, vel assuefactos fuisse? Assuefactos eos tradidit *Cæsar* equestribus

præ-

Digitized by Google

præliis, in quibus desiliant ex equis, pedibusque prælientur. Assuefactos tradidit eos *Cæsar* equitationi, sine ephippiis peractæ, iumentis suis exercitandis, agris per vices annorum colendis, tractandis armis, bellis faciendis. Si hæc momenta mature expenderis, Lector, intrusum esse glossema, idque satis insulsum, non dubitabis amplius. Et quis dixerit, adolescentes Suevorum nihil fecisse per disciplinam, nihil egisse inviots? Pugnat eiusmodi liberorum educatio cum vitæ humanæ institutis, inter gentes immanissimas & maxime incultas receptis, pugnat illa cum societatis domusque conservatione, pugnat illa cum patria potestate, qua patres nuspiam sese prorsus exuerunt. Habeat itaque librarius suum glossema, ne *Cæsari* eripiamus laudem dictionis & castæ, & cohærentis, & rebus ipsis consentaneæ.

III. Eandem labem architectus glossematum intulit contextui *Cæsaris*, de rebus a se cum Germanis olim gestis commentati. Discesserant Germani a Rheno, Treviris invitantibus, in fines Eburonum atque Condrusorum, *IV*, *6*. Eburonum vero sedes erant ea ætate potissimum inter Mosam & Rhenum, *VI*, *32* & *34*. Castellum eorum unicum vocatur in vulgatis editionibus *Atuatuca*, *VI*, *32* & *35*. Monuit *Ioannes Erardus Fullonius* in *Historia Leodiensi*, quam A. 1735 in forma chartæ maxima formis publicis descriptam edidit, legendum esse *ad Vatucam*, *T. I P. I pag. 17*. Dicemus de hac annotatione suo loco.

loco. *Cæsari* erat constitutum, Germanos amandare, aut profligare, ultra Rhenum. Venerat iam in proxima eis loca, cum legati Germanorum ad eum accederent, &, mandata *Cæsaris* ad suos relaturi, reverterentur. Hisce præmissis, *Cæsar* orationem persequitur, ita disserens IV, 9: *Legati, hæc ad suos se relaturos, dixerunt; &, re deliberata, post diem tertium ad Cæsarem reversuros, interea, ne propius se castra moveret, petierunt. Ne id quidem Cæsar ab se impetrari posse, dixit. Cognoverat enim, magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus ante, prædandi frumentandique caussa, ad Ambivaritos trans Mosam missam. Hos exspectari equites, atque eius rei caussa moram interponi, arbitrabatur.* Tum vero interiectum est nonnihil de fluviis & Mosa & Rheno, quod ab imperito Grammatico profectum fuisse arbitror. Descriptionem utramque excipit *Cæsaris* rursus enarratio, ita pergentis: *Cæsar cum ab hoste non amplius passuum XII millibus abesset; ut erat constitutum, legati ad eum revertuntur. Qui in itinere congressi* (lego: *eum aggressi;*) *magnopere, ne longius progrederetur, orabant.* Quo fine, amabo te, *Cæsar* illam de Mosa & Rheno descriptionem huc transtulisset? Distinet & turbat ea descriptio flumen orationis, & ipsam *Cæsaris* de suis cum Germanorum legatis rebus enarrationem turbat. Anne, donec legati redirent, interscenium aliquod erat instruendum, ne obdormiscerent lectores? Pace tua, Lector, duos hic in librario vetusto nævos noto & reprehendo. Dixit eos ipse

Digitized by Google

ipse *Ambivaritos*, qui Ambitavini erant vocandi. Hic nævus est minusculus. Interiecit ipse descriptionem contextui de Mosa & Rheno, satis incomtam & fallacem. Hic alter nævus est maior, ac saponaria eluendus. Ambivaritos, gentem Mosellam inter & Rhenum, ignorant omnes, *Ambitavinum vic. ..* in Treveris supra Confluentes memoravit posuitque *Plinius* apud *Suetonium* in *Caligula cap. 8.* In hoc vico, simulque in castris, natus fuit *Caius Caligula*, Imperator. Vocatur idem locus in *Pipini* & *Caroli* Diplomatibus *pagus Ambitivus* & *pagus Meginensis*, teste *Christophoro Browero* in *Annalibus Treverensibus Lib. I pag. 136*, & *Lib. VII pag. 378, 380.* Locus ad ripam Rheni australem supra Confluentes est figendus. In *Suetonio* legitur vulgo *vicus Ambiatinus*, in aliis *Ambiativus*, in MStis nonnullis *Ambitarinus.* Ob fidem Diplomatis propendemus eo, ut credamus, scribendum esse *Ambitavinum*, ac inde cognominatos fuisse *Ambitavinos.* Qui trans Rhenum supra Confluentiam habitant eruditi, rogantur a nobis eo, quo decet, studio, ut hunc nodum nobis curatius extricent. Conferri potest inter hæc B. *Christophori Cellarii Geographia antiqua Lib. II cap. 3 pag. ... seq.* At vellicas nobis aurem, Lector, causam interferens, coniecturæ nostræ hic locum haud esse, siquidem *Cæsar* significaverit, magnam partem equitatus a Germanis *trans Mosam*, non trans Mosellam, missam fuisse prædandi frumentandique causa. Bene mones. Mihi vero clarum & evidens est, ibi rescribendum

 esse

Digitized by Google

esse *trans Mosellam.* Nihil enim intra dies aliquot ab equitatu erat metuendum, trans Mosam misso. Ipse *Cæsar* iter in ea loca facere coeperat, in quibus Germanos esse audiverat, *IV*, 7, 1. Hi autem in fines Eburonum, & Condrusorum, qui erant Trevirorum clientes, pervenerant, *IV*, 6, 4, & incolebant inter Treviros atque Eburones, *VI*, 32. *Cæsar* cum Germanis, Rhenum transgressis, conflixit victricibus armis eo in loco, prope quem cis Rhenum Ubii habitabant, *IV*, 16, 5, Rhenumque superavit ipse inter Ubios, ac inde in fines Sicambrorum contendit. Quis vero ignorat, Ubios tunc sedes habuisse ultra Coloniam Agrippinam, urbem recentiorem, Bonnam, & Confluentiam, ad ripam Rheni septentrionalem? Postea Ubii transgressi partim, partim transducti fuerunt, in oram ripæ australis. Clara sunt illa *Plinii IV*, 12, de Ubiorum sede: *Vangiones, hinc Ubii, Colonia Aggrippinensis, Guberni, Batavi.* Sicambri Ubiis septentrionalibus fuerunt confines, & supra Luppiam usque ad Alisonem fluvium & castellum habitarunt. Conf. *Christophori Cellarii Geogr. ant. lib.* 5, *pag.* 471. Pars illa equitatus, quæ *trans Mosam* dicta fuit, missa prædandi ac frumentandi causa, Germanis a *Cæsare* victis, dicitur *post fugam suorum* se trans Rhenum in fines Sicambrorum recepisse, & se cum iis coniunxisse, ad quos *Cæsar*, ut sese dederent, posthæc miserat nuntios, *IV*, 16, 2, 3. At Sicambri ad flumen Sigam circa Segedunum ad Luppiam usque habebant sedes. Batavos inter, & Sicambros domiciliis tunc po-

tieban-

tiebantur Tenchteri & Usipetes. A regione, trans Mosam versus occidentem posita, distabant multum Sicambri, proximi quippe Rheno *VI, 35,* & Ubiis confines. Ad hosce, constructo ponte, *Cæsar* transduxit Rheno exercitum, postquam paullo ante Germanos vicerat, eosque eo adduxerat, ut ipsi Rhenum peterent *ad confluentem Mosæ ac Rheni, IV, 15, 2.* In proximo decreverat *Cæsar* proxime, ac deinde haud procul Mosella Rhenum superabat. Hæc ad Mosam haud quadrant; quadrant vero Mosulæ, seu Mosellæ. Quamobrem haud dubito, quin hoc etiam loco rescribendum sit: *ad confluentem Mosulæ ac Rheni.* Insecutus fuit *Cæsar* fugientes, quorum omnino haud universi in Rheno perierunt. At, ipse *infra Mosulam navali ponte transgressus est Rhenum,* teste *Floro III, 10.* Cur equitatus ille trans Mosam missus, præsertim si ille e Tenchtheris & Usipetibus constitit (*), ad Sicambros, Rheno traiecto, pervenit? Nonne Mosam ac deinceps Rhenum is proximo itinere, ut in patriam Sicambrorum veniret, poterat transire? Nonne *Cæsar* octo millibus passuum, & quod excedit, intervallum, aberat a Rheno prope Mosulam, cum equites illi itinere tridui ab ipso abessent? Nimium est intervallum, si, equites illos trans Mosam ad occasum recessisse, credideris. Non norunt veteres confluentem Mosæ ac Rheni, *Tacitus*, qui in Gallia Belgica fuit versatissimus, ita de ultimo & in Oceanum se exoneraturo

Rheno

(*) Sic enim legitur apud *Cæsarem B. G. IV, 16, 2, IV, 18, 4.*

Digitized by Google

Rheno dissertuit (*), ut ne ullam eius confluentis suspicionem iniecerit quidem. *Plinius* (**), Rhenum ab occidente se in amnem Mosam spargere, literis memoriæ prodidit. Nulla ibi confluentis mentio. Ipse *Christophorus Cellarius* haud ausus fuit confluentem illum definire, licet *Lib. II cap. 3 pag. 267* contenderit suppetias ferre glossemati, quod de Mosa interiecit vetustus Grammaticus contextui *Cæsaris IV*, *10*.

IV. Glossema id est huiuscemodi: *Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Valis, insulam efficit Batavorum. Neque longius ab eo millibus passuum LXXX in Oceanum transit.* Quis præterea Vogesum ad Mosæ fontem deduxit? Mosellam in eo oriri, certum est. Quis præterea dixit, a Mosa recipi Vahalim? & quidem 80 millibus passuum ante, quam Vahalis, seu Rhenus australis, Oceano infunditur? Mosa & Vahalis olim paullo ante exitum in mare miscebantur. Sic *Plinius*, sic *Tacitus*, tradiderunt. Non Mosa, sed Vahalis ac Rhenus, efficiunt insulam Batavorum.

V. Insulsius est glossema alterum, de Rheno inibi interiectum. En illud: *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Trevirorum, cita-*

(*) *Annal. II*, *6*.
(**) *Hist. Nat. IV*, *15*. Conf. *Tacitus Hist. V*, *23*.

Digitized by Google

citatus fertur. Et, ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur, quæ piscibus atque ovis avium vivere existimantur; multisque capitibus in Oceanum influit. Cæsare hæc prorsus sunt indigna. Hic enim adventui suo ad Rhenum adiecisset descriptionem Rheni, si quam ipse voluisset suppeditare. Ad fontem Rheni nullus exstitit Lepontius. Fontem Rhodani is accoluisse dicitur a *Plinio III, 20*. At, si, Lepontios vel maxime ibi habitasse, largiamur, quid tum fiet de Nantuatibus, de Sequanis, de Mediomatricis, quippe qui ad Divodurum, seu Metas, incoluerunt? Nantuates inter Allobrogas & Veragros fuerunt positi (*). Caninos rectius eis substitueres. Sequani ad Dubin & Juræ occidentem habitarunt. Helvetios inter & Triboccos siti fuerunt Rauraci. Et quis affirmaverit, Rhenum, Oceano appropinquantem, in plures diffluere partes? *Cæsaris* ætate, antequam *Drusus* partem Rheni in Salam versus septentriones ire iusserat, duo erant apud Batavos alvei, Vahalis & Rhenus septentrionalis. Inter utrumque exstabat una, eaque nobilissima, Batavorum insula. Cito ad testimonium *Pomponium Melam III, 2, Plinium IV, 15, Tacitum Annal. II, 6,* ac ipsum *Asinium* apud *Strabonem L. IV pag. 133*. Rhenum ideo *Virgilius* vocavit *bicornem Aen. VIII v. 727*. Ubinam, obsecro, sunt illæ multæ ingentesque insulæ? Ubinam multa capita, quibus Rhenum libra-

(*) *Cæsar B. G. III, 1 & 6.*

librarius dixit in Oceanum exonerari? Quis ostia dixit *capita*? Quin potius *cornua* scriberemus? Et quid sibi vult illa fabula de hominibus feris barbarisque, qui piscibus ovisque avium vixisse perhibentur? Quis ibi Ichthyophagos olim quæsivit? Batavi olim fuerant pars Cattorum, deinde Galliæ Belgicæ. Feritas illa haud congruit viciniæ, haud quadrat ad originem, haud convenit laudibus, queis Batavos affecit *Tacitus Hist. IV*, 12. Haud a sese impetrare potuit *Christophorus Cellarius*, ut agnoscere vellet glossema intrusum. Veneror viri diligentiam & merita; desidero autem hinc inde in eo iudicium criticum. Qui enim *Cæsaris* scripturam ingenio suo assecuti sunt, ii statim intelligent, ab ea descriptionem Mosæ & Rheni esse admodum alienam. Quis vero ibit comprobatum, *Cæsarem* ibi de Mosa exposuisse? Ipse profecto tunc ad Mosam nec venit, nec venire constituit. Nolim, Metaphrasten Græcum, eiusque auctoritatem, mihi, sic sentienti, opponi. Nam eius ætas & nomen nondum ad liquidum perducta sunt. Et quis ignorat, *Gellium* & *Macrobium* iam de nævis librariorum, qui in scripta veterum intrusi sunt, conquestos fuisse?

VI. Leguntur hæc vulgo *IV*, 15, 2, de Germanis: *Et cum ad confluentem Mosæ & Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen præcipitaverunt, atque ibi, timore, lassitudine, & vi fluminis, oppressi, perierunt.* Desiderantur hic nonnulla ve-

ritatis

Digitized by Google

nitatis vestigia. Pervenerant Germani profugi ad confluentem Mosulæ & Rheni, nec demonstratum fuit huc usque, *Cæsaris* ætate ullum Mosæ Rhenique exstitisse confluentem. Præterea ordo verborum ac sententiarum videtur hoc loco turbatus & confusus. *Magnus* ille *numerus interfectus* quorsum, obsecro, spectat? An ipse a Germanis, an a Romanis antea in prælio, fuit interfectus? Tentanda est medicina loco, nævis laboranti, maleque affecto. Ita esse eum luci restituendum arbitror: *Et cum, magno numero interfecto, reliqui se in fugam præcipitaverunt, atque, cum ad confluentem Mosulæ & Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, ibi timore, lassitudine, & vi fluminis, oppressi, perierunt.* Facile est divinatu, lineam alteram cum altera a librario fuisse permutatam. Cum vero accessissent lectores, qui illud *se in fugam præcipitaverunt* redigere haud possent in concordiam cum verbis antecedentibus, *reliqua fuga desperata*; sensim mutatio in vicem emendationis successit, scriptumque fuit: *Se in flumen præcipitaverunt.* Sic meam duco coniecturam. Licet enim *Cæsar* adhibeat *II, 24, 2,* phrasin, *præcipitem se fugæ mandare*, nihilo minus tamen illa etiam, quam *Cæsari* hoc loco restituendam arbitror, sua gaudet auctoritate.

VII. *Cæsar* de sese inter Britannos, orbe reliquo divisos, commorante hæc commemoravit *IV, 33, 3*: *Cum paullo longius processisset a castris; suos ab hostibus premi atque ægre sustinere, &,* con-

conferta legione ex omnibus partibus tela conjici, *animadvertit*. Si quid iudicando assequi valeo, rescribendum est: *atque illos ægre sustinere, & , in confertam legionem ex omnibus partibus a barbaris tela conjici, animadvertit*. Adiuvat coniecturam meam Metaphrastes Græcus, qui habet τὺς βαρβάρυς εἰς τὸ τάγμα συνεπειραθὲν βέλη πάντοθεν θρασέως ἀφιέναι. Quis enim, obsecro, sensus perspicuus ad lectorem redundabit, si legeris *conferta legione*?

VIII. Clades, quam *Cæsar* Britannis, commisso prælio prospero, intulit, sic exponitur *IV*, *35*, *3*: *Quos* (Britannos) *tanto spatio secuti*, *quantum cursu & viribus efficere potuerunt*, *complures ex iis occiderunt*; *deinde*, *omnibus longe lateque afflictis incensisque*, *se in castra receperunt*. Legendum esse, mihi persuadeo, hunc in modum: *Quos nostri tanto spatio insecuti*, *quantum cursu & viribus efficere potuerunt*, *complures ex iis occiderunt*; *deinde hominibus longe lateque afflictis*, *incensisque ædificiis*, *se in castra receperunt*. Inserendam esse vocem *nostri* arbitror, eo quod paullo ante Britanni dicuntur impetum militum Romanorum ferre haud potuisse, ac vertisse terga. Necessum est, designentur ii, qui Britannos in fugam conversos persecuti fuerunt. Voci *secuti* substituo *insecuti*. Nam, qui hostem sequitur, ideo eum persequi nondum existimatur. Non solet *Cæsar* hoc sensu adhibere verbum *sequi*. At verbum *insequi* ipsi hoc sensu est

Digitized by Google

est familiare. Ipse sic habet *II, 23, 1: Transire conantes insecuti sunt gladiis.* Et *I, 54, 1: Suevos Ubii, qui proxime Rhenum incolunt, perterritos insecuti, magnum ex his numerum occiderunt.* Omitto loca complura. Illud vero omittendum haud est, lectum fuisse olim: *omnibus longe lateque ædificiis incensis. Ioannes Fridericus Gronovius* monuit, membranis adiutus, legendum esse: *afflictis incensisque.* At vero ne sic quidem omnia sibi constant. Quæstio enim redit, an *omnes*, an *omnia*, hic in censum veniant. Omnes Britannos fuisse incensos, credat Judæus Apella. Quidni perhibentur combusti? Illi certe incendi haud solent, qui nec vincti, nec inuncti, rogove impositi, sunt. Sin vero omnia dicas fuisse incensa, num eapropter omnia Latine perhibentur afflicta? Insolitum hoc est dicendi genus. Simul atque autem legimus: *hominibus longe lateque afflictis, incensisque ædificiis*, omnia sunt in expedito. Commodum occurrit legenti locus *Cæsaris V, 19, 3*, eiusdem sententiæ: *Relinquebatur, ut neque longius ab agmine legionum discedi Cæsar pateretur, & tantum in agris vastandis, incendiisque faciendis, hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant.* Si vero legere malis: *incendiisque factis*, tecum litigandi non est animus, dummodo recordere, vocem *ædificiis* non temere videri in contextum venisse.

IX. Cum *Cæsar* ad portum Iccium inter Morinos cum legionibus pervenisset; cognovit ibi, *XL. naves, quæ in Meldis factæ erant, tempesta-*

te reiectas, cursum tenere non potuisse, atque eodem, unde erant profecta, relatas. Sic legitur vulgo *V, 5, 1.* Meldas fuisse Parisiis vicinas inter Matronam Sequanamque, ideoque mediterraneas, norunt omnes, qui Geographiam antiquam vel mediocriter callent. Quibusdam in Codicibus legitur: *in Belgis facta erant.* Utrumque nævo laborat. Ad Meldas non poterant naves tempestate referri. Belgæ litus Oceani spatiosum longumque incolebant. Delio itaque natatore opus est, ut veram vocem expiscemur. Meminisse juvat, inventum fuisse A. 1738 canalem, quem *Iulius Cæsar* quingentis navibus capiendis parem effecerat, ad Grevelingam prope Maerdik, cum Rex Galliarum canalem novum ibi fieri curaret. Incidi eapropter in suspicionem, legendum esse in loco nostro: *Quæ in Mordic facta erant.* Celtæ enim & Cimbri mare vocarunt *mor*, teste *Plinio Hist. Nat. IV, 13,* & nomine *Morinorum,* atque ipsa regionis ad mare sitæ, *armorica,* appellatione eidem nomini *Mor* suffragante. Belgæ iam inde ex ævo antiquissimo receptaculum aquæ, latius diffusæ, ac canali coercitæ, vocarunt *Dik, Dyk.* Verum nolumus tamen Iovem iurare lapidem de ea, quam exhibuimus, emendationis umbra. Iudicent periti.

X. Dicitur porro *Cæsar* legionem tertiam dedisse ducendam ad hibernandum *in Essuos Lucio Roscio V, 24, 2.* Sic vulgo legitur. Non dubito, quin rescribendum sit *in Aeduos. Dionysius Vossius* & *Hadrianus Valesius* ita iam senserunt. Ratio lectionis ita conformandæ in

promtu

Digitized by Google

promtu est. Dicitur enim §. 7 *Cæsar Roscio* legionem dedisse ducendam *in pacatissimam & quietissimam partem*. Quis vero ignorat, Aeduos dudum populi Romani fuisse socios & amicos? Quis nescit, hos in fide perstitisse, nec a turbulenti ingenii hominibus ad defectionem impelli potuisse? Essuos ignorant Galli universi. Quis credet, quietissimæ indolis homines, homines Romanis fidelissimos, adeo a *Cæsare* fuisse neglectos, ut is de eis nihil præterea, nihil ex professo, voluerit commentari? Facillima certe est permutatio literarum in vocibus ESSUOS & AEDUOS, dummodo cogitemus, crus sinistrum literæ primæ fuisse deletum, & literam D in medio fuisse extritam, vel situ inductam. Librarii olim fere omnes imperiti rudesque erant exteræ & antiquæ Geographiæ. Quam ob rem, cum in nominibus propriis passim vestigia imbellicitatis suæ sparserunt, in nominibus geographicis crebro & certatim peccarunt, & vehementissime se aliosque fefellerunt. *Non ignota loquor. Nam cui non est dictus Hylas?*

VII.

VOCES ALIQVOT LATINÆ, QVÆ IN VULGARIBUS LATINÆ LINGUÆ LEXICIS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ

A

FRID. OTTONE MENCKENIO.

SECTIO II, QVARTUM CONTINUATA.

Digitized by Google

PALÆSTRICUS, *Subst.* Ab Adiectivo *Palæstricus*, quod est in Lexico nominatum, distinguendum est eiusdem formæ Substantivum, notans *hominem, qui palæstram*, seu, quod idem est, *artem palæstricam, docet*, eam nempe artem, qua corpus exercetur, aut ipse corporis gestus formatur. Nimirum his, qui satis periti sunt Latinæ linguæ, ignotum esse non potest, voce *palæstra* non tantum notari *locum, in quo certatur*, sed inprimis etiam ipsam *luctandi*, aut *corporis gestum conformandi, artem.* Ex Lexico huius rei nihil discas; at certa suppetunt Auctorum loca, quæ hanc ipsam vocabuli notionem non tam admittunt, quam in certissimis ponunt. Ita enim *Quintilianus Inst. Or. Lib. IX cap. 4*: *Iam in certamine armorum, atque in omni* palæstra, *quid satis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus, & certi quidam pedes, adsint?* & *Cicero de Orat. Lib. I cap. 16*: *Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio* palæstræ, *sed indicat ipse motus, didicerintne* palæstram, *an nesciant*, &c. His alia *Tullii* addo: *Lib. III de Orat. cap. 22*: *Negarem enim, posse eum satisfacere in gestu, nisi* palæstram, *nisi saltare, didicisset.* In *Bruti cap. 9*: *Non tam armis institutus, quam* palæstra. *Lib. I de Leg. cap. 2*: *Habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac* palæstra. In *Oratore cap. 4*: *Sed ut sic adiuvet* (eloquentem philosophia), *ut* palæstra *histrionem*; & *cap. 56*: *Numerus quasi quandam* palæstram *& extrema lineamenta orationi attulit*; & *cap. 68*: *in quo non motus*

Digitized by Google

tus hic habeat palæstram *quandam. Lib. V ad Attic. Ep. 13: Utemur ea* palæstra, *quam a te didicimus.* Eadem vocis notio in versu *Martialis* est *X, 55, 4*:

Idem post opus, & suas palæstras,
Loro cum similis iacet remissus;

& in alio *Horatii Lib. I Od. 10 v. 4*:

Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum,
Voce formasti catus, & decora
More palæstræ;

ubi *decora palæstra* est ipsa ars palæstrica, qua membra hominis ad decorum aliquem cultum conformantur. Mens igitur Poetæ eo redit, ut arte palæstrica corpus formetur, sic mores hominum a Mercurio elimari, & feritate sua liberari. Pluribus olim de hoc *Horatii* loco, & de vocis *palæstra* hac significatione, dicere me memini in *Animadversionum in Bas. Fabri Thes. erud. schol. Specimine II pag. 110 seq.* Ut igitur *palæstra* ipsam notat *artem palæstricam*; sic *palæstricus* est *is, qui publice hanc artem docet.* Habet hanc vocem unus, quod sciam, *Quintilianus*, sed is in duobus locis, unde simul significatio vocis haud obscure intelligitur. Alter est, isque præcipuus, *Lib. I Inst. Orat. cap. 11: Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam* palæstricis *vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino, consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt, - - - sed nomen est idem iis, a quibus gestus motusque formantur; ut recta sint brachia,*

 ne

ne indocta rusticave manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant. Est hæc apta & concinna non artis tantum, quam *palæstram* dixi, sed eorum etiam, qui hanc docent, descriptio. Annotavit nonnulla ad hunc locum *Adr. Turnebus*, quæ legi merentur. Alter locus, æque clarus, est *Lib. II cap. 8*: *Sic discernet hæc dicendi magister, quo modo* palæstricus ille *cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis, quæ sunt sacrorum certaminum.* Adde igitur Lexico, meo periculo, substantivum nomen *palæstricus*, idque notare *magistrum palæstræ*, aut *artis palæstricæ*, lectores doce.

PANCHRESTUS, *a*, *um*. Non satis accurate in eo a *Fabro* factum, quod Substantivum aliquod *Panchrestum* posuit. Tu, quisquis es, melius, reiecto Substantivo, Adiectivum *panchrestus*, (ita *Nizolius* in *Lexico Ciceroniano*,) aut, si cum *Plinio* retinenda putetur Græca terminatio, *panchrestos*, pones. Rectiora docere *Fabrum* ipse ille, quem unum non tam profert, quam indicat tantum, locus *Ciceronis* poterat *Lib. III in Ver. cap. 65*: *Cum omnes eius comites iste sibi suo illo* panchresto medicamento *amicos reddidisset*; ubi adiectivum esse *panchrestum*, dubitare neminem sinit additum ei *medicamentum*. Habet hanc vocem præter *Ciceronem Plinius*, nec in huhuius locis alia eius, quam adiectivi, natura est. Is *Hist. nat. Lib. XXIIII cap. 7*: *Fit ex pomo* panchrestos stomatice, *eadem arteriace appellata*;

&

& Lib. XXXVI Cap. 20: *Principatum dat ex iis Aethiopico, oculorum medicamentis utilissimo, & iis, quae* panchresta (scil. *medicamenta*) *appellant*. Nec alia est ratio vocis Graecae *πάγχρηστος*, unde scilicet originem haec Latina habet. Illam enim in adiectivis numerandam esse, vel ipsa Lexica te doceant. Patet hinc etiam, quae de voce *panchrestos* (hanc enim distinguunt a *panchrestum*,) *Faber*, &, qui ei praeiverat hunc errorem, *Stephanus*, habent, inutilia esse, & e Lexico tollenda prorsus. *Panchrestos*, inquiunt, *medicamentorum compositio, Plin.* XXIII, 7. Hunc, quem nominant illi, locum *Plinii* paulo ante dedi, &, inspecto hoc, facile omnes intelligunt, non esse Substantivum *panchreston*, sed adiectivum potius, nec *panchrestos* esse *compositionem medicamenti*, sed cum ipsa illa compositione, quam *stomaticen* vocat *Plinius*, coniungi tantum. Sane *Stephanus*, & quisquis eum deinde secutus est, aut non inspexit *Plinium*, aut oculis minus, quam decebat, acutis inspexit.

PEDICULARIUS, *a, um*. Fallitur in eo *Faber*, quod Substantivum facit *pedicularia*, & hoc nomine *herbam, quae necat pediculos*, appellatam dicit. Nunquam enim absolute positum *pedicularia*, semper cum addito *herba*, invenias. Ipse ille, quo Auctore utitur *Faber*, *Scribonius Largus* in libri *Compositionum medicarum* tribus locis *herbam pediculariam*, nusquam absolute *pediculariam*, nominat. *Cap.* 1 *Comp.* 8: *Bene detrahit e naribus liquorem & haec compositio*: *Salis,*

nitri, mellis, aceti, olei veteris, singulorum ⁑ *P. binum, cyclamini succi, σταφίδος ἀγρίας, quam* herbam pedicularium, *quod pediculos necat, appellant*, &c. *Cap.* 42 *Comp.* 166: *Alter pastillus ad eadem facit; Cinnami - - - staphisagriæ, quam* herbam pedicularium *quidam vocant, quod pediculos necat, a quibus hoc nomen trahit*, &c.' & *Comp.* 167: *Antidotos altera ad aspidis morsum sive præsumta, sive post data: gentianæ* --- herbæ pediculariæ, *quam vocant σταφίδα ἀγρίαν, tantundem* &c. Est igitur *pedicularia* a *pedicularius*, adiectivo nomine, ut omnes vident. Quod *herba pedicularia Scribonio Largo*, idem *pedicularis herba Columellæ* est *de re rust. Lib. VI cap. 30.* Vim igitur duo hæc adiectiva, *pedicularius* & *pedicularis*, eandem habent.

PELLECTIO. Non habent hanc vocem nec *Faber*, nec *Stephanus*, nec si qui alii Latinæ linguæ nobis Lexica dederunt. Ego vero, quantumvis ab eo absim, ut voces dubias, aut manifesto corruptas, præter ius fasque recipiendas in civitatem Romanam putem, huius tamen vocis ut patrocinium suscipiam, nullo negotio adducor. Ipsum enim utentem ea *Ciceronem* videmus *Lib. I ad Attic. Epist. 13*; quo ex loco cur invitam eiiciamus, causæ ego nihil video. *Idcirco*, ait *Tullius*, *sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium. Quotus enim quisque est, qui epistolam paulo graviorem ferre possit, nisi eam* pellectione *relevarit?* Nam, quod hic delicati nimis editores quidam pro *pellectione* legant *per lectionem*,

lectionem, id, cum ratione nulla alia adducti ita legant, quam quod vocem hanc in uno hoc *Ciceronis* loco, nec in veterum Scriptorum ullo alio, inveniant, integritati vocis parum officit. Quantus enim sit earum vocum, quibus semel tantum usi sunt aut ipse *Cicero*, aut alii Scriptores, numerus, ii tantum, qui sunt hospites in Latio, ignorant; &, pessime meriturum de Latina lingua, si quis voces illas omnes, frequenti usu destitutas, Latii exterminandas finibus suscipiat, omnes facile intelligunt. Quis vero neget, ei voci inter puras & incorruptas suum esse locum tribuendum, quæ Codicum omnium auctoritate firmatur, nec quidquam habet rationi Latinæ linguæ contrarium? Huius autem esse generis vocabulum *pellectio*, partim Criticorum magni nominis, *Corradi*, *Malaspinæ*, *Lambini*, & *Mureti*, testimoniis, qui hoc ipsum in multis, iisque notæ optimæ, libris MStis legerunt, constare potest, partim res ipsa docet. Nam, si a *lego lectio* formatur, nihil inepti habet, a *pellego*, qua forma pro *perlego Plautus* utitur in *Bacch. IV, 9, 82* & *104*, in *Pseud. I, 1, 29, IV, 12, 36* & *40*, in *Pers. IV, 3, 27, 31*, & *48*, *pellectio* formari; aut, si a *lego pellego* formatur, quidni credibile sit, a *lectio pellectionem* esse? Ita enim rationes subducit *Malaspina* in *Nota* ad illum *Ciceronis* locum. Habet sane hoc in loco, quo de Codicum MStorum fide & consensu dubitare non licet, plurimum momenti analogia, quæ aliis in locis quam parum valeat, bene novi. Ceterum, qui pro *pellectionem* legere nos *per-*

Digitized by Google

lectionem iubent, videant ii, ne genus dicendi tale tribuant *Tullio*, quod elegantiæ *Tullianæ* parum conveniat. Hoc ipsum in mentem venit, uti aliis, ita *Malaspinæ* inprimis, qui, *Sentiunt, nisi fallor*, inquit, *qui multum in lectione Ciceronis versati sunt*, *in* per lectionem *esse nescio quid, quod minus Ciceronem redoleat*. Sed hic alii aliter fortasse. Redit enim hæc disputatio ad gustum aliquem, quo non omnes eodem utuntur. Et esse varia in *Ciceronis ad Atticum Epistolis*, quæ minime oratorem illum *Tullium* ostendant, non invitus concesserim. Mihi satis est, vocem hanc in libris MStis omnibus, aut, quod idem est, in *Cicerone*, legi, nec, si eius spectetur forma, quidquam vitii habere, ideoque a plurimis editoribus, maxime vero a *Grævio* & *Verburgio*, in *Ciceronis* contextum receptam. Quibus si rationibus tantum inesse ponderis negetur, ut in Lexico Latinæ linguæ voci huic locus debeat concedi, iam ego, quidquam earum vocum, quas regalis ille *Thesaurus* compectitur, hic invenire locum debuisse, audacter negabo.

PERDIVES. Vix credas, vocem per se bonam, nec ulli unquam Criticorum suspectam, denique in loco *Ciceronis* uno & altero obviam, ignotam non ipsi tantum *Fabro*, sed, quicunque augendo huic, aut emendando, operam navarunt, ad unum omnibus, fuisse. Credas tamen hoc tuis oculis, vocem hanc in *Thesauro Fabri* frustra quærentibus. Iam igitur demum locum illa in Lexico, eumque meritissimum, occu-

Digitized by Google

occupet, non ei auctoritatem negante *Tullio*, cuius hæc sunt *Lib. VI ad Attic. Epist. 1*: *Amici Regis duo tresve* perdivites *sunt*; & alia *Lib. IV in Ver. cap. 26*: *Mulier est Segestana*, perdives *& nobilis, Lamia nomine.* Nec est, quod de huius lectionis integritate dubites, in qua omnes sive libri editi, sive MSti, amice consentiunt.

PERFREQUENTO, Vocabulo hoc pro simplici *frequentare* utitur antiquus Autor *Argumentorum*, *Fabulis Metamorphoseon Ovidianis* præmissorum, in *Arg. Fabulæ III Libri III.* Verba hæc sunt: *Postea, completis mensibus, Nymphis, quæ Nysam, montem Indiæ*, perfrequentarent, *clam tradidit nutriendum.* Ita libri MSti, ita etiam editiones *Ovidii* Veneta & *Micylliana*, habent, nec aliter *Giselinus* legit. Ab his abeunt editio Frelloniana, sive Vincentiana, a *Ranerio* curata, & Coloniensis *Gyberti Longolii*, in quibus *frequentabant* exstat. A Latinæ linguæ ratione nihil alienum habet *perfrequentare*, nec inusitata Auctoribus antiquis verba sunt, in quibus vocula *per* nihil mutat significationem verbi, cum quo coniuncta est. Huius generis esse, *Munckerus* observat, verbum *permittere* in loco *Senecæ de Constant. cap. 3*: *Ego vero sapientem non imaginario honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quo nulla* permittatur *iniuria.* Similia ad eundem *Senecæ* locum *Lipsius* adducit: *Sisennæ: Multi, præmissis armis, ex summo se* permitterent; *Livii: Concitant equos,* permittuntque *in hostes*; & *Seneca Lib. II*

de

de Clem.: *Etiam ad calamitosos bonitatem suam* permittere. Plura his addi ex *Livio* & aliis Scriptoribus haud difficile possent; sed nolumus hæc præter rem coacervare.

PERTURBATIVUS, *a, um.* *Cassiodoro*, mediocris auctoritatis Scriptori, id, quod *perturbandi vim habet*, *perturbativum* dicitur. Locus est in libri *de Amicitia cap. 19* §. *6*: *Ubi enim copia maior divitiarum exuperat, ibi se gravior molestia solicitudinum, totius* perturbativa *quietis, intrudit.*

PHILIPPEUS, *Subst.* Etiam Substantivi interdum vim habere nomen *Philippeus*, nec ei semper adiungi *nummus*, patet ex illis *Livii Lib. XLIV cap. 14*: *Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream, ex viginti millibus* Philippeorum *factam, in curiam intulerunt.* Ellipsin vocis *nummus* hic agnoscis? Nihil dissentio, & bene scio, in aliis omnibus *Livii* locis nomen *Philippeus* cum alio *nummus* coniungi; at hoc etiam scio, plurima nomina, quæ vulgo Substantiva habentur, horum eximi numero debere, si nulla ellipseos, qua una, ut Substantiva essent, effectum est, habenda ratio putetur.

PIGMENTARIUS, *a, um.* In Lexico Substantivum est *pigmentarius*; idque loca Auctorum veterum bene multa confirmant. Neque vero excludendum prorsus hoc nomen numero Adiectivorum esse, vel unus docet *Scribonii Largi* locus in *Compos. med. Cap. 3 Comp. 22*: *Verum adiicere oportet, quod ex lacte ipso sitvatici*

tici papaveris capitum fit, non ex succo foliorum eius, ut pigmentarii institores *eius rei compendii causa faciunt.* Ad quem locum, legenda sunt, quæ *Jo. Rhodius* annotavit. *Barthius* emendanda duxit hæc *Scribonii*, pro *pigmentarii institores* legens *pigmentarii, institores.* Sed, otiosum esse illud *institores*, si *pigmentarii* vim habere Substantivi putetur, nemo non videt. Est enim *pigmentarius* ipse *pigmentorum institor.* Præterea *institor*, si absolute ponatur, eum tantum notat, qui *vendit*, non simul, *quam vendit, mercem indicat.* Quæ vaga nimis dicendi ratio non satis convenire menti *Scribonii* videtur. *Marcellus* tamen, a quo constat diligenter expilatum *Scribonium*, abiecto *pigmentarii*, ita ponit verba : *ut institores* &c. hac una forte de causa, ut aliquid mutasse in verbis *Scribonii*, nec singula huius verba exscripsisse, videretur.

POLENTATUS, *a, um*, Vocabulum hoc, *id, quod infectum est polenta*, notans, Auctor habet antiquus *Argumentorum*, quæ sunt *Fabulis Metamorphoseon Ovidianis* præmissa, in *Arg. Fabulæ VII Libri V*, ubi ita: *Quæ cum* polentatam *ei potionem dedisset, & illa avidius biberet, puer quidam eiusdem casæ Stelles eam procacius est prosecutus*, &c. & paulo post: *Fecitque, ut in stellionem converteretur, qui potionem sparsam* polentatam *tergo ostenderet.* Ita nempe legitur in editione *Ovidii* Coloniensi, a *Gyberto Longolio* curata; meliores autem, inque his ipsius *Burmanni*, editiones pro *polentatam* habent *polenta.*

De

De ultimis verbis hoc velim intelligi; in his enim, quæ prius posui, libri ac editiones omnes, etiam *Burmanniana*, constanter *polentatam* servant. In explicando hoc loco singularis diligentia est *Munckeri*, idem esse, docentis, *polentatam potionem*, quod Græcorum *κυκεὼν*, & *Arnobii Cyceon*. Huius enim *Arnobii* versus exstat *Lib. V*;

Perducit totum Cyceonis *læta liquorem*.

Hic *cyceon* est *polentata potio*, ex mente *Munckeri*, & quidni aliorum? Ita enim *κυκεὼν* describitur *Hesychio*, Scholiastæ *Euripidis*, *Nicandro*, Medico, & interpreti *Homeri*, quorum loca ex parte *Munckerus* adducit, ut sit *potio*, *ex polenta confecta*.

POLLUTOR. *Qui polluit*, is *Cassiodoro pollutor* dicitur in libri *de Amicitia cap. 13 §. 5*: *Rex equidem Abasverus, qui superbum Haman pro ceteris ad penitiora suæ familiaritatis admiserat, in cruce suspendit iugis* pollutorem *fœderis, & salutem multitudinis amicitiæ, quam ille consiliis violarat fraudulentis, anteposuit.* Ubi *pollutor fœderis* idem est, quod *fœdifragus*, *Ciceroni* usurpatum. Sed est unius scilicet *Cassiodori* hoc vocabulum, neque adeo tale, quo elegantiæ studiosi utendum sibi putent.

POLYGONIUM. Quam *Plinius*, & ex eo *Faber*, *polygonon* dicit herbam, eadem *Scribonio Largo* loco non uno *polygonium* dicitur. Et quidem *Comp. med. Cap. 1 Comp. 2*: Polygonium *quoque & mentha multis profuit, ea ratione decocta, & infusa*

Digitized by Google

fusa capiti dolenti. Iterum *Cap. 21 Comp. 83* : *Item bene facit* polygonii *succus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus.* Ubi magis placere sibi *polygoni*, ait *Jo. Rhodius*, quod ita etiam *Marcellus*, *Scribonii* compilator, habeat. Tertium *Cap. 61 Comp. 193* : *Adiuvabuntur autem lasi ab eo* polygonii *succo quam plurimo per se poto.* Sed in hoc etiam loco *Rhodius* mallet *polygoni*, quod *Dioscorodi Lib. VI cap. 5*, & *Galeno de Antid. Lib. II cap. 7*, χυλὸς πολυγόνου memoretur. Addo, ipsi *Scribonio* Græcum vocabulum πολύγονον formari *Cap. 7 Comp. 46* : *Iniicere autem intus narem aut nares oportebit - - - herbam, qua, quia multa est, & ubique nascitur, πολύγονον appellatur.* Non habebat igitur, cur in formanda Latina voce a Græca forma abiret *Largus*. Sed abiit tamen, ut vidisti, Lector.

PRÆNUNTIUS, *Subst.* Adiectivo *prænuntius*, quod *Faber* dedit, eiusdem formæ Substantivum ex *Valerio Maximo* accedat, si recte se habet lectio, quam nunc meliores quæque editiones, etiam *Torreniana*, exhibent. Est locus *Lib. I Cap. 7 Ext. §. 5* : *Nec Cyrus quidem superior invicta fatorum necessitatis parvulum argumentum est; cuius ortus ad imperium totius Asiæ spectantis, maternus avus Astyages, duos* prænuntios somnii *frustra discutere tentavit.* Ita, inquam, meliores libri, a quibus dissentiunt, qui *Diis prænuntios* habent. In alio antiquo Codice inventum sibi *duo prænuntia somnia*, testatur

Bon-

Digitized by Google

Bongarsius, eandemque lectionem idem cum *Colero* probat. *Lipsius*, velle se, ait, *Deos praenuntios somniis*. Ego, cur vulgaris lectio reiiciatur, nihil causae video. Recte enim moneri putem a *Torrenio*, videri hic *Valerium* duos genitivos uni iunxisse nomini, nec in eo fecisse quidquam ab optimorum Auctorum more alienum, ut satis constare possit ex his, quae dicta sint a *Perizonio ad Sanctii Minervam Lib. II, 3, 15*; nec, si *arbor palma*, & similia, Latina putari possint, minus ferendum videri *praenuntius somnii*, pro *somnium praenuntium* positum.

PRÆSTIGIA. Quasi singularem numerum ignorarent veteres Auctores, vocem *praestigiae Faber* ponit, immemor verborum, quae *Quintilianus* habet *Instit. Orat. Lib. IV cap. 1*: *Illa vero frigida & puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam, & huius velut* praestigiae *plausum petat*. Unde hoc discas, non plurali tantum numero *praestigias*, sed singulari etiam *praestigiam*, inveniri.

PRÆSTIGIUM. Quod *praestigia Quintiliano*, idem *praestigium Cassiodoro*, non semper veterum Auctorum imitatori, dicitur. Sic ille in *Var. Lib. VII Ep. 7*: Praestigii *genus est, quod agitis, ut latronum versutias irretire possitis*; & in libri *de Amicitia cap. 19 §. 1*: *Isti, ut metam suae intentionis attingant, viarum dispendia eligunt, & coeca cupiditatis multiplici* praestigio *dementati, ad sui desiderii finem per diverticula & anfractus incedunt*. Similiter *Iso Magister*

in

Digitized by Google

in *Gloss. ad Prud.* Καθημερ. *Hymn. VI v.* 40: Præstrigium (sic enim huic scribitur vocabulum,) *dicitur monstrum a præstringendo, id est, illudendo improvise oculos* & in *Gloss. in Hymn. III* περὶ στεφ. *v.* 86: Præstrigia *dicuntur a præstringendo eo, quod præmoneant hominem, & constringant timore suis demonstrationibus.*

PROFLAGRO. Pro simplici *flagrare* usurpatur hoc verbum Auctori antiquo *Argumentorum, Fabulis Metamorphoseon Ovidii* præmissorum, *Arg. Fabulæ I Lib. II: Quamobrem, cum cuncta mortalium, ardore subito* proflagrantium, *incenderentur, a Joveque opem implorantes, peterent, ne orbis terrarum conflagraret, Phaethon fulmine ictus est, & e curru præcipitatus.* Ita legi in libris MStis, & editionibus, quæcunque exstant, *Munckerus* testatur. Nec dissentit ab eo *Burmannus*, nisi quod, in editione *Longolii* Coloniensi legi: *per flagrantia incederet*, & in Frelloniana *Ranerii: cuncta ardore subito flagrantia*, nos doceat. Vocem ipsam vix apud alium Auctorum veterum invenias; at vere Latina eius forma, ratioque componendi, est.

PROFLIGATIO. Non habet hanc vocem *Faber*, nec ego ideo Latinam dixerim, quod exstet in illa dubiæ auctoritatis (non enim *Tullianam* cum nonnullis dicere ausim,) *Consolatione*; at futuros tamen puto, quibus, legi hic vocem, sit iucundum, scire. Itaque vel indicare locum sufficiat: *Sin* profligatio *exercitus, aut clades ali-*

Digitized by Google

aliqua, contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest.

PROPIUNT. Rarissimam, Lector, & tuis forte auribus peregrinam, vocem ex *Livio* producimus, in qua explicanda vires ingenii exercere, si quis velit, potest. Verba haec sunt *Livii Lib. XL. cap. 49: Sequar, inquit, vos adversus veteres socios meos, quoniam illos ad me* propiunt *suspicere.* In MStis libris nulla est diversitas, nec verba aliter, ac dedi, editiones, quascunque inspexi, etiam illae *Crevierii* & *Drackenborchii*, exhibent. Nam, quod in *Cervicornana*, & *Ascensiana*, *prodeunt suspicere*, legitur, id operarum aberratione factum, non male *Drackenborchius* suspicatur. Ceterum, quid sit vocis hoc *propiunt*, nemo adhuc dicere Criticorum scivit; nec ego dicere post tot alios sciam. Fuerunt igitur, qui, legendum: *piguit suspicere*, coniicerent; sed, non id omnibus placere, *Glareanus* ait, ipse, locum hunc a se relinqui dubium, libere professus. *Jo. Frid. Gronovio* videbatur *piguit respicere* legendum; sed huius etiam emendationem parum claram, ut re ipsa est, *Crevierius* existimat, in locis eiusmodi silere, satius iudicans, quam incertas admodum tentare coniecturas. Quod *Crevierii* iudicium a *Drackenborchio*, si non verbis, at re ipsa, approbatur. Nam, quod miror, & nollem sane, a sanando hoc loco manus ingeniumque abstinet, quasi diffidens ipse arti suae, cui ego tantum tribuo, ut, in desperatissimis mor-

Digitized by Google

morbis vix aliunde certius exspectari posse auxilium, mihi persuadeam. Ego, si taceam cum Viro tanto, silentii mei facile a Lectore veniam impetrabo. Tacebo igitur, simul ac docuero Lectorem, mihi aliquando in mentem venisse suspicari, ita feliciter emendari posse hæc verba, si pro *propiunt suspicere* legatur: *prohibetis respicere*. In ipso certe *Livio*, quod adversetur huic lectioni, nihil est. Ad huius enim mentem propius illud *prohibetis*, quam *Gronovianum piguit*, aut ignotum omnibus *propiunt*, accedit. Fieri autem potuisse, ut librarius elementum *s*, quod est in *prohibetis*, coniungeret cum voce *respicere*, & syllabam *re* mutaret in *u*, scriberetque adeo *suspicere* pro *Liviano respicere*, infinita similium aberrationum exempla docent, quorum non pauca in ipso passim *Livio Drackenborchius*, in aliis Scriptoribus alii, animadverterunt. Cui emendationi si quidquam neges statuendum pretii, hoc relinquitur, ut illud *propiunt* in numerum vocum talium, quarum nec frequens olim usus fuit, nec scire hac ætate vim ac potestatem licet, reiicias.

PVLLVM. Esse aliquod huius nominis Substantivum, eodemque *pullam vestem*, aut *pullum pallium*, notari, dicendum est utique, si recte se habet lectio vulgaris loci *Liviani Lib. XLV cap. 7*: Pullo *amictu illo Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret*. Ita exscripta sunt verba in

Digitized by Google

Codicibus plurimis, nec aliter habent editiones, tam vetustiores, quam recentiorum multæ, & inter has *Drackenborchiana*. Mireris hunc Codicum & editionum consensum, si, quam sit difficile, & intelligere, & commode explicare hunc locum, cogites. Manifesta enim in vocula *illo* labes hæret, quam nemo non Criticorum agnoscit, multi etiam tollere, sed nescio an satis feliciter, laborarunt. Quarum emendationum vel varietatem cognoscere, iucundum est. In editione *Livii* Lugdunensi anni 1553, & in Parisiensi anni 1573, nonnullisque aliis, inventum sibi: *Pullo amictus pallio*, *Drackenborchius* testatur. *Sigonius*, legendum; *Pullo amictus ille ingressus*, & *Perseus*, tanquam glossema, delendum, coniicit. *Turnebus* legere nos aut *pullo amictus villo*, aut *pullo amictus filo*, aut, quod optimum duxit, *pullo amiculo Perseus*, iussit. *Lipsius*, non dicturum fuisse *Livium*, *alio comite*, si solus fuisset *Perseus*, iudicans, &, *Persea* cum maiore filio *Philippo* ad Consulem perductum, ex *Livii Lib. XLV cap. 28* edoctus, ita emendavit verba: *Pullo amictu simul filio Perseus*, approbatorem in eo nactus *Douiatium*. Sed de hac *Lipsii* emendatione ita indicat Cel. *Drackenborchius*, præterquam quod hæc nimium a vulgato recedat, non sibi cognitum esse exemplum aliud, ubi *Livius* vocem *simul* cum auferendi casu construxerit. A *Lipsio* multum discedit *Ursinus*, ita legens: *Pullo amictus solus Perseus ingressus est castra. Gronovio*, patri,

patri; quia non pauca transpositorum verborum in *Livio* exempla obveniant, in mentem venit, ita legendum: *Pullo amictus Perseus ingressus est castra, filio, nullo suorum alio, comite*; eidemque emendationi *Crevierius* subscribit. Omnium felicissima, quam & *Drackenborchius* sibi non displicere ait, emendatio est *Gravii*, ad *Flori IV*, 2, 45, hoc modo legentis verba: *Pullo amictus cum filio Perseus*. Ipse, quid in hac lectione reprehendi possit, non video, modo hoc unum addere liceat, faciliorem videri emendationem, si *amictu*, quam si *amictus*, legatur, partim quod vocabulum *pullus* ita servet naturam adiectivi, quam ex communi veterum Auctorum usu habet omnino, partim quod hac ratione minime sit opus, verbis *Livii* voculam *cum* intrudere, quippe quæ, si per notam scripta fuerit, facile ab imperito librario in *s* mutari, & coniungi cum vocabulo *amictu*, potuit. Sed levis est a *Gravio* dissensus meus; nec, quæ dixi, pertinaciter urgebo, inprimis cum, quæ supra de voce *Nigrum* & *Album* notavi, haud difficile mihi persuadere possint, *pullum* satis Latine pro *pulla veste* usurpari. *Drackenborchius*, si locus detur *Gravianæ* emendationi, hoc postulat, ut pro *miserabiliorem eum faceret*, legatur *miserabiliorem eum faciebat*. Audiamus rationes doctissimi Viri: *Si enim faceret serves, id indicare videtur, ideo nullum alium, præter filium, comitem ipsi additum esse, ut hic calamitatis socius eum miserabiliorem faceret; quod Romanos quæsisse, verisimile non est.*

 At,

At, si legas faciebat, *Livius tantum narrat, quid inde evenerit, quod solo filio comitante castra ingressus sit: nempe inde omnibus miserabiliorem visum esse.* Mihi, ut verum fatear, non hæc persuadebunt, *faciebat* pro *faceret* legendum. Si *faciebat* legas, & verba ita, ut voluit *Drackenborchius*, explicentur; voculam *qui* non ad *comite*, quod ipsa series verborum postulat, sed ad *filio*, pertinere dicendum est, id quod ego minime dixerim, nec fortasse præter *Drackenborchium* alius quisquam. Obscurior enim, & membris suis nimis divulsa, hæc oratio esset, quam *Livio* cur tribuam, nihil me movet. Planum autem commodumque, meo iudicio, sensum habet alterum *faceret*, si, reiecta *Drackenborchii* explicatione, quæ nec admitti, si quid video, potest; ita verba accipias, *unum filium Philippum comitem ivisse Perseo, neminem præterea filiorum, aut cognatorum eius, qui, si comitati eum fuissent, hoc ipso miserabiliorem eum fecissent.* Non puto Lectorum unum futurum, cui non, vel leviter inspectis verbis *Livii*, statim, ita hæc explicari, sicut a me explicata sunt, debere, in mentem veniat.

QVAMPLVRIMVM. Vocibus, *quamplures, quamplurimus*, in Lexico nominatis, etiam Adverbium *quamplurimum* addendum ego putem. Latinæ civitati hoc vindicat locus *Scribonii Largi* in *Composit. med. Cap. 67 Comp. 199*: *Idem faciunt & nivis glebulæ*, quamplurimum *devoratæ*; & alius *Quintiliani Inst. Orat. Lib.* IX

Digitized by Google

IX cap. 4: Ideo eruditissimo cuique persuasum est, valere tam quamplurimum, *non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum.* Ita editiones emendatissimæ, etiam *Burmanniana,* habent, & ita castigate in quibusdam exemplaribus legi, *Raph. Regius* testatur. Vetustiores nonnullæ editiones habent *complurimum,* quod Latinum esse, negat *Regius.* In uno Codice antiquo inventum sibi *plurimum, Burmannus* docet,

QVANAM, Voculæ huic, interrogandi vim habenti, non minori iure dandum in Lexico locum putem, quam datus est similibus *quinam, quisnam, quonam.* Est illa a *Livio* usurpata *Lib. XXXIV cap. 39: Nabis quidem, ut capta urbe trepidans,* quanam *ipse evaderet, circumspectabat,*

QVOLIBET. *Quilibet* & *qualibet* in Lexico annotata invenias, non item *quolibet,* satis Latinam voculam, & inter alios *Ovidio* non semel usurpatam. Huius loca sunt *Art. amat. Lib. II v. 550:*

Et patiar? nec me quolibet *ira ferat?*

Ita ex optimis libris, post alios, *Burmannus* legit, reiecto, quod habent editiones *Commeliniana* & *Juniana, qualibet. Lib. III Trist. Eleg. VIII v. 22:*

Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me iubeat quolibet *ire locis;*

Lib. III Ex Ponto Ep. V v. 48:

Digitized by Google

Gratia Dis, menti quolibet *ire licet*;
denique *Lib. IV Ex Ponto Ep. 14 v. 6:*

Ipsa quoque est invisa salus: suntque ultima vota,
Quolibet *ex istis scilicet ire locis.*

Ovidio addo *Livium*, utentem hac voce *Lib. XXVII cap. 15: Is, certior literis sororis factus, de nova consuetudine advenae locupletis, atque inter populares tam honorati, spem nactus, per sororem* quolibet *impelli amantem posse, quid speraret, ad Consulem detulit.*

RECOMPENSO. Verbum hoc, quo nonnulli pro meliori *compensare* utuntur, vulgatum, at parum Latinum, dicit *G. I. Vossius de Vit. serm. Lib. IV cap. 20*, nec mihi male facere videntur, qui, tanquam notae non optimae vocabulum, Lexicis hoc excludendum putant. Saltem, ne vox prorsus nova putetur, de aetate eius hoc notabo, videri eam ad tempora aut *Augustini*, aut huic proxima, referendam, quod usum ea appareat Scriptorem libri *Meditationum*, quem alii *Augustinum*, (in huius enim *Operum Tomo VI pag. 585* ed. *Antverp.* legitur,) alii *Anselmum Cantuariensem*, alii alium, illorum aetati proximum, dicunt. Is, quisquis est, libri sui *Cap. 7: Nec est creatura, moliri officium, quo iuste Creatoris* recompenset *praesidium.* Eo igitur pretio aestimabis hoc vocabulum, quo alia quaecunque, veteris Ecclesiae Patribus usitata, & solent, & debent, aestimari.

RECOM-

Digitized by Google

RECOMPENSATIO. Sunt huius etiam vocis natales in Seculo P. C. N. quarto, aut quinto, quærendi. Usurpatam enim hanc a *Cassiodoro* video in libri *de Amicitia cap. 40*: *Ceterum, cum Rex David fugeret a facie Absalon, cum officiosissima devotione suscipiens eam Barsillai Gileadites, ipsius etiam muneribus excitavit affectum, qui eiusdem animo adeo perseveranter inhæsit, ut Rex inter præcepta testamenti, a filio suo Salomone tantæ munificentiæ* recompensationem *statim de hac vita migraturus indiceret*. Et iterum *Cap. 44* : *Et* recompensatio *huius dilectionis a nobis exigitur, cum Deus sit summum bonum, sine quo nihil bonum.*

REDIVIVATIO. Eidem, quem modo dixi, *Cassiodoro actus, quo quid redivivum fit, redivivatio* dicitur in libri *de Amicit. Cap. 22 §. 33*: *Annua temporum revolutio flores, fructusque arborum & herbarum*, redivivatione *reformat*, &c.

REFERIATIO. Ductum est hoc vocabulum a verbo *referiari*, sed cuius exemplum mihi apud veteres Auctores obvenisse nullum memini. Hoc ipsum autem *referiatio*, idem, quod *requies*, notans, apud *Cassiodorum* legitur in libri *de Amicit. Cap. 22 §. 17*: *Ipsa* (pax) *est omnium virtutum conservatio, sanctarum animarum suavis refectio, tranquillæ mentis* referiatio.

RETENTUS, *a*, *um*. A *Retendo* est Adiectivum *retentus*, quod differt ab alio eiusdem formæ

Digitized by Google

formæ nomine, ortum habente a *retineo*. Hoc annotatum est a *Fabro*, non item illud alterum, etsi satis Latinum. Habes enim hoc ipsum in versu *Ovidii Met. III, 166*:

Quo postquam subiit; Nympharum tradidit uni
Armigeræ iaculum, pharetramque, arcusque retentos.

Unum hoc exemplum sufficiat ad id, ut lacuna hæc in Lexico suppleatur, & verbo *retendo* adiungatur *retentus*, sicut verbis *attendo*, *contendo*, *distendo*, *extendo*, *intendo*, & similibus, adiunctæ sunt voces *attentus*, *contentus*, *distentus*, *extentus*, *intentus*, pluresque aliæ, natura sua in participiis verborum numerandæ.

VIII.
OTTONIS MENCKENII
AD
GUILIELMUM CAVEUM
EPISTOLÆ
DUAE.

LECTORI
S. P. D.
FRID. OTTO MENCKENIUS.

Vivit adhuc in omnium bonorum animis *Guil. Cavei*, eruditissimi Anglorum, memoria; nec deesse putem, qui bene cupiant Manibus *Ottonis Menckenii*, civis nostri, de Lipsiensi olim Academia, de literata hac republica, de ipsis denique literis, non uno nomine præclare meriti. Mihi igitur, utriusque horum tan-

Digitized by Google

tanquam ossa legenti, & hæc ipsi, si fieri possit, æternitati consecranti, faveas eo nomine, &, quod certo spero, favebis, Lector. Qua ego fretus æquitate tua, & olim dedi aliquot horum mutuas Epistolas, & nunc dare unam & alteram pergo, plures etiam, si vixero, deinde daturus. His *Menckenii* duabus, quæ nunc scriniis meis exeunt, aliquid a me subiunctum notularum est, non eo animo, ut doctrinam ostentarem, quæ in his rebus nulla est, sed ut clariora Epistolarum argumenta efficerem. Tenuis in re tenui labor est, quem, non male feceris, si ferendum putes, pessime, si laudandum.

EPISTOLA I.

A. *Hottingerum & Hedingerum iuvenes Caveo enixissime commendat.*

GUIL. CAVEO OTTO MENCKENIUS.

Iter in Angliam suscepit Vir iuvenis Clarissimus, M. *Hochstaterus*, (a), cuius quotidiano convictu frui mihi hactenus non sine multa voluptate mea licuit. Is cum sæpius a me laudatam

(a) *Adamus Andr. Hochstæterus*, ortu Tubingensis, confectis itineribus, quorum ipse rationem reddit in variis ad *Menckenium* Epistolis, postea proferendis, factus est Tubingæ Professor Eloqu. Extr. inde A. 1698 Prof. Moral. Ordin. tum A. 1706 Theol. D. & Prof. tandem A. 1711 Stuttgardiam vocatus, supremi Concionatoris Aulici munia obiit; sed quatuor annos post rediit Tubingam, & pristina munera administravit. Diem obiit A. 1717 d. 27 April. Scripta eius vide in libro: *Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt, XVII Oeffnung, pag. 332, & XXIV Oeffnung, pag. 862.*

Digitized by Google

tam audivisset summam humanitatem tuam, qua admittere exteros consuevisti, nossetque, me inter amicos a te etiam publice censeri, eruditionem vero tuam & Ecclesiasticarum antiquitatum peritiam summe admiraretur, rogavit me, ut aditum sibi quibuscunque commendatitiis literis meis ad te aperirem. Ea vero est doctrina, eaque morum elegantia, ut persuasissimum habeam, non tantum non ægre te laturum, sed acturum insuper gratias, quod eruditum modestissimumque iuvenem tibi commendaverim, cuius aliquando nomen inter Germaniæ nostræ Theologos haud dubie celebrabitur. Patrem habet superstitem Theologum de Ecclesia Christi meritissimum, primarium hoc tempore Ducatus Würtembergici in Suevia Prælatum; iter vero hoc non tam ex curiositate quadam privata, quam auspiciis Serenissimi Principis, qui Würtenbergico hoc tempore Ducatui moderatur, ingressus est, & inter peregrinationis suæ fructus præcipuos habiturus est, ubi tibi, Vir Celeberrime, familiarius innotuerit. Eum ergo ut commendatissimum habeas, peramanter rogo, & consilio opeque tua, ubi occasio se obtulerit, adiuves. Comitem itineris habiturus fortasse est Virum alium doctissimum, *Hedingerum*, (b) qui iam aliquamdiu cuidam e Ducibus Würten-

(b) Prænomen ei *Joannis Reinhardi* fuit. Factus est postea S. Theol. Doctor, & Würtembergici Ducis Concionator Aulicus. De vita eius & scriptis fuse agit *M. Lud. Melchior Fischlinus* in *Memoria Theologorum Würtembergensium resuscitata P. II pag. 397 seq.*

Digitized by Google

tenbergicis a sacris fuit in peregrinatione, per Galliam ante hos motus bellicos facta, & nunc in parte felicitatis non minima reputabit, si perinde ac *Hochstaterus* tibi se insinuaverit. Suscipe itaque viros hos iuvenes eo, quo me ipse suscepturus eras, affectu; neque dubita, parem a me benevolentiam exhibitum iis omnibus iri, quos ex Anglia forte ad nos commeantes mihi es commendaturus. Heri me convenit doctissimus *Larrocquanus*, Gallus exul, qui, per triennium in Anglia commoratus, multa mihi de statu rei vestræ literariæ retulit, ac inprimis Novi Testamenti, quæ Oxonii adornatur, editionem mire commendavit. Unde rem gratissimam mihi facturus est *Smithius* vester, si exemplar tam egregii operis, ubi absolutum fuerit, mature ad me transmiserit. Vale, amicorum æstumatissime, & me ama. Dabam Lipsiæ d. 21 Jun./1 Jul. 1690.

EPISTOLA II.

A. De morte Wagneri certiorem facit Caveum.

GUIL. CAVEO OTTO MENCKENIUS.

Vivere Te, & valere, spero. Vivo & ego valeoque per Dei gratiam. Sed excessit e vivis *Wagnerus* noster, dysenteria non ita pridem exstinctus, & in flore quidem ætatis, cuius annum agebat trigesimum primum. Eius obitum & privato, & publico, nomine doleo. Nam eo erat ingenio, ea etiam conditione, ut præclara quæque de eo superstite orbis eruditus polliceri sibi potuisset. Plura non habeo. Hoc unum superest, ut te porro valere ex animi sententia iubeam. Dab. Lipsiæ d. 29 Aug. 1693.

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM, QVÆ VOLVMINIS TERTII PARTE SECVNDA CONTINENTVR:

I. IO. CONRADI SCHWARTZII, S. Th. Doct. & Gymnasii Coburg. Directoris, Explanatio 2 *Corinth. XII, 7.* Pag. 183 - 193.

II. PETRI ZORNII Dissertatio de Ebræorum precibus litoralibus, ad illustrationem *Actuum Apostolicorum XXI, 5.* Pag. 193 - 201.

III. M. DAN. GODOFR. WERNERI, Past. & Prof. primarii Collegii Groeningiani Stargardiæ, de Lupis, quarta plaga Aegypti, *Exod. VIII, 17, Ps. LXXXVIII, 45, Ps. CV, 3,* Observatio. Pag. 201 - 222.

IV. C. A. HEVMANNI Symbola critica ad Iustinum Martyrem. Pag. 222 - 235.

V. CHRISTOPHORI SAXII Επίκρισις Φιλολογική, sive Stricturæ in nuperum Franci cuiusdam libellum de incerto Historiæ Romanorum antiquissimæ. *Sectio III & ultima.* Pag. 235 - 329.

VI. I. C. H. Continuatio Criticarum in Julii Cæsaris Libros Emendationum. Pag. 329 - 345.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinæ, quæ in vulgaribus Latinæ linguæ Lexicis frustra quæruntur, ex priscis Auctoribus collectæ. *Sectio II, quartum* continuata. Pag. 345 - 368.

VIII. OTTONIS MENCKENII ad GUIL. CAVEVM Epistolæ duæ, cum Præfatione FRID. OTTONIS MENCKENII. Pag. 368 - 371.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS

ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS TERTII PARS TERTIA.

LIPSIÆ,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHII HAEREDES.

MDCCXLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

EXPOSITIO CRITICA EPISTOLÆ CATHOLICÆ, A IVDA, CVI COGNOMEN FUIT THADDÆI ATQVE LEBBÆI, QVONDAM CONSCRIPTÆ, AC IMPVRITATVM ASSECTATORIBVS OPPOSITÆ, SVSCEPTA

A

I. C. HARENBERGIO.

CAPVT I, ISAGOGICVM.

§. I. *Scopus tractationis indicatur.* §. II. *Genus vitaque Judæ, Apostoli.* § III. *Cum Judas scripsit Epistolam, Philosophia Persica per Simonianos ac Gnosticos vires obtinuit passim, unde hæreses exortæ fuerunt, quas iam Apostoli refellerunt, nominatim illa de principiis duobus.* §. IV. *De magicis theogoniis, ac ficta Magorum potentia in spiritus.* §. V. *Philosophiæ orientalis doctrina de viribus initiatorum, angelos spiritusque subigentibus.* §. VI. *De iactata fautorum Philosophiæ orientalis vaticinandi facultate.* §. VII. *Philosophiæ orientalis doctrina de coniugio.* § VIII. *Magi & Philosophiæ Magicæ fautores amarunt incestuosam & vagam venerem, Plato autem pæderastiam commendavit atque furorem.* §. IX. *Exquiritur, quid sit intelligendum per Iyngas.* §. X. *Gnosticorum sententiæ potiores & ætas prima, Judæ æqualis.* §. XI. *Blasphemiæ Simonis Magi, ac hæreticorum, ab eo exortorum.* §. XII. *Si-*

Digitized by Google

monianorum & Gnosticorum impuritates & fastus ostendunt, ipsos haud exstitisse pnevmaticos, quo nomine sese affecerunt, sed potius psychicos. §. XIII. *Exponuntur rationes, cur Philosophia orientalis in Christianorum cœtum potuerit tantopere se insinuare.* §. XIV. *Sectatores Philosophiæ orientalis, Christianis cœtibus se immiscentes, Christum abnegarunt.* §. XV. *Angelis creationem mundi & commercia cum fœminis venerea attribuerunt.*

I.

Eos, qui controversias theologicas pristinæ ætatis tractant, omnino oportet indolem & faciem nosse tum eius, qui errores refellit, tum illorum, qui errores suos vel re ipsa, vel verbis scriptisque, defendere atque tueri studuerunt. Cum vero id dubitare non liceat, quod largiuntur ex æquo omnes, *Iudam*, Apostolum, confutasse impudicas eorum sententias, qui, sanctissimam Christi doctrinam cum vita licentiose acta posse consistere, existimabant; nostrum est, animo perpendere rationes illius ætatis, atque edisserere id cumprimis, quis fuerit ille, qui errantes in viam reducere aggressus sit, & quibuscum ipse rem habuerit adversariis. Prius momentum facile dilucet, atque expositionibus commentariisque aliorum ita fuit illustratum, ut pæne supersit nihil, quod possit addi. Posterius vero momentum maioris est ponderis, gravioribusque difficultatibus laborat. Operam itaque dabimus pro virili, ut notas & signa ex *Iudæ* Epistola decerpamus, quibus id, quod adorti sumus ostendere, conficere, & consequi, possimus. Hisce signis vestigiisque porro attentio-

Digitized by Google

tentionem nostram accommodare lubet, ut exploremus id hominum genus, quibus notæ illæ & signa luculenta congruunt. Quod simul ac præstiterimus, Epistolam ipsam secundum seriem demonstrationis, quæ in ea latet, succincte explanabimus, animum eis potissimum applicaturi rebus, quæ vel ad stabilitatem dogmatum Christianorum faciunt, vel etiam ab aliis prætermissa fuerunt.

II. *Iudas*, cognomento *Thaddæus* ac *Lebbæus*, exstitit filius *Alphæi* a), *Iacobi* iunioris frater b), merito a *Iuda Iscariote*, seu *Cariothensi*, distinguendus, in lucem susceptus ac commoratus Canæ, vico Galilææ c). Patriam ei hanc vindicavit præstantissimus quondam *Theodorus Hasæus* d). Quam ut sententiam amplectar, rationibus impellor haud unis. *Iacobus* profecto, frater eius, testantibus ipsis Iudæorum scriptoribus, in vico *Secanja*, seu *Cana*, lucem adspexit. Testimonium, quod ex eis depromi soelt, sic habet: הנוצרי ישו מתלמידי. אחד ויעקוב איש כפר. סכניא שמה *Unus erat e discipulis Iesu Nazareni, isque vocabatur Iacobus, ortus ex vico, cui Secanja nomen est* e). Vicus Secanja a Cana Galilææ haud

 differt.

a) *Matth. X, 3, Act. I, 13.*
b) *Act. I, 13.*
c) Ibi enim fratres eius nati & educati duo.
d) In Differt. *de Naphthalitide, Apostolorum patria, Cap.* 2 §. 20 *seq.*
e) *Talmud. Babylon. Avod. Sar. Cap. I fol. 17, 1, Tosaphoth fol. 27, 2, Talmud Hierosol.* in *Avod. Sar. Cap. 2 fol. 40, 4, & de Sabbato Cap. 14 fol.*

Digitized by Google

differt. *Iosephus* commemorat pariter vicum *Soganen*, in Galilæa situm, stadiis viginti a Gabaris disiunctum f). Quis non animadvertit illico, indicari Canam Galilææ? Littera S, initio vocis adhærens, non impedit, quo minus eam sententiam propugnemus. Syri enim & Rabbini consueverunt illam literam (ס, ש,) sexcenties nominibus præfigere. Ex hoc more caliginem vocant סקבל pro קבל, granum סגרגר pro גרגר, rotundum סגלגל loco גלגל. Huc accedit id inprimis, quod *Simeon*, frater ipsius, dictus fuerit Κανανίτης g), idem, qui ὁ Ζηλώτης, *Zelota*, fuit appellatus h). Zeloten Ebræi vocant קַנָּא i), קַנּוֹא k), ibique Alexandrini interpretes substituerunt vocem Græcam Ζηλωτὴν. Terminatio autem vocis Κανανίτης & Καναναῖος l) manifeste est gentilis, patriamque notat.

Simo-

14, 4, *Midrasch Coheleth fol.* 89, 3, *Sanhedrin cap.* 6, *fol.* 23, 2, *Georg. Elieser Edzardus* in *Notis ad Avodah Sarah pag.* 299 *seq.*

f) *Josephus* in *vita sua pag.* 1019. Locum emendavit, & pro voce vulgata Αραβων reposuit Γαβαρων, *Hadrianus Relandus* in *Palæstina Lib.* III *pag.* 1021.

g) *Matth. X*, 4, *Marc. III*, 18.

h) *Luc. VI*, 15, *Actor. I*, 13.

i) *Exod. XX*, 5.

k) *Jos. XXIV*, 19.

l) Syrus interpres Κανανίτην reddidit ܩܢܢܝܐ, *Kenonojo*, seu *Cananæum*, *Matth. X*, 4. Zeloten Syri vocant ܩܢܝ, *Kanoi*, ac in statu emphatico ܩܢܝܐ, *Kanoio*, nunquam *Kenonojo*. Quin potius

Digitized by Google

Simonen, seu *Simeonem*, e Cana ortum, fratrem exstitisse *Iacobi* minoris & *Iudæ*, nemini est obscurum, qui loca hæc inter sese contulerit, *Matth. XIII, 55, Marc. VI, 3,* & *Matth. X, 2, 3, 4.* In loco postremo *Petrus* & *Andreas, Iacobus* & *Ioannes*, filii *Zebedæi*, eo quod fratres essent, coniunguntur. Eadem ratione coniunctim nominatur *Iacobus Alphæi* & *Lebbæus*, seu *Iudas* noster, & *Simon Cananites*, tum hoc in loco, tum *Luc. VI, 15*, ubi *Simon Iacobo* & *Iudæ* interpositus apparet. *Iudas* ibi vocatur *v. 16* ὁ τοῦ Ἰακώβου, subaudi ἀδελφὸς, *Iacobi frater*. Minus recte in *Lutheri* translatione ibi exstat: *Iuda, Iacobs Sohn.* Legendum illic potius: *Iuda, Iacobs Bruder*, licet inficiari haud liceat, Syrum interpretem eodem, quo *Lutherus*, incessisse tramite, eundemque errorem denuo errasse in *Act. I, 13.* Patrem *Iudæ*, eiusque fratrum, exstitisse *Alphæum*, positum est extra controversiam omnem. Græcis ille vocatur Ἀλφαῖος, Syro interpreti ܚܠܦܝ, *Chalphai*, alias Κλωπᾶς *Io. XIX, 25*, quem Syrus ܩܠܝܘܦܐ *Caleiopha* appellat. *Abdias* in *Historia Apostolica* in limine *Libri sexti* m) *Alphæum* a *Cleopha* distinguit, ita memorans: *Simon, Chananæus cognomine, ac Iudas, qui & Thaddæus, & Iacobus, quem fratrem Domini*

interpres Syrus utitur voce ܩܢܢܝܐ, quoties Ζηλωτὴς, *Zelotes*, occurrit, verbi causa *Luc. VI, 15*, & *Actor. I, 13.*

m) In *Codice Apocrypho N. T. Ioannis Alberti Fabricii P. I pag. 592.*

appellant, fratres germani fuerunt, ex Cana Galilaea oriundi, parentibus Alphaeo & Maria, Cleophae filia. Credidit scilicet Auctor ille, qui sua nomini *Abdiae* supposuit, illam *Mariam*, quae vocatur n) ἡ τῦ Κλωπᾶ, & soror *Mariae Θεοτόκυ* erat, ob locum illum *Ioannis* exstitisse filiam *Cleophae*, quasi subaudiri debeat vox θυγατὴρ, *filia*, nec potius vox γυνὴ, *uxor*, locum inveniat. *Mariam* illam quo minus pro *Cleophae* filia habeamus, impedimur sane per ellipsin illam notissimam, qua in similibus exemplis omitti solet vox γυνὴ, seu γαμετὴ, *uxor*. Nam ἡ τῦ Οὐρίυ, *illa Uriae*, (*Matth. I, 6,*) exstitit haud alia atque *Batseba*, *Uriae* uxor. Vir quondam Celeberrimus, *Lambertus Bos*, o), hanc indicari ellipsin, facillimo negotio perspexit. Hactenus itaque ostendimus, *Iudam* ortu fuisse Cananaeum, e tribu Naphthali ortum, usum patre *Alphaeo*, seu *Clophaeo*, *Chalphaeo*, matre autem *Maria*, *Mariae Θεοτόκυ* sorore, quae, cum Christus in crucem ageretur, in vivis erat p). Sunt q), qui existimant, *Alphaeum* haud differre a *Iosepho*, *Mariae Θεοτόκυ* sponso. Sed, eam sententiam fallacem & incertam esse, immo falsam, nemo negabit, qui id alicuius pensi habet, quod ex ea proxime profluit & emanat. *Iosephum* enim illum,

n) *Jo. XIX, 25.*
o) In *Ellipsibus Graecis pag. 43 ed. Christiani Schoettgenii*, Lipf. 1713. 12.
p) *Matth. XXVII, 56, Marc. XV, 40, Jo. XIX, 25.*
q) *Guil. Cave* in *Jacobi minoris Vita.*

Digitized by Google

lum, si hæc admittatur ſententia, oportuit duas ſorores in matrimonio habuiſſe, quod merito *Tillemontius* abſurdum eſſe pronuntiavit r). Ecquis enim probabile credet, *Ioſephum*, virum quippe iuſtum, eodem tempore ſorores duas vivas habuiſſe uxores? Nonne huius generis matrimonium e diametro repugnabat legi Iudæorum forenſi, divinitus ſancitæ? Quapropter alii in eam delabuntur opinionem, ut ſibi perſuadeant, matrem *Iudæ*, eiusque fratrum, exſtitiſſe eandem, ac *Mariam*, Ieſu matrem. Senſit ita *Gregorius Nyſſenus* s). Senſerunt ſic *Helvidiani*, rati, *Mariam*, Ieſu in lucem edito, ex *Ioſepho* peperiſſe filios filiasque, quibus ſolenne ab Evangeliſtis nomen fuerit inditum illud, quo *fratres* & *ſorores Domini* ſint appellati. Verum ſcrupulus hic facile ex animo eiici poteſt, ſimul ac meminiſſe lubet, *Mariam*, Ieſu matrem, eiusque ſororem, *Mariam*, ſatis diſtingui unam ab altera. Nam *Iacobi* atque *Iudæ*, fratrum, mater vocatur *mater Iacobi & Ioſes Matth.* XXVII, 56, immo *ſoror matris Ieſu, Maria, illa Klopæi uxor, Io. XIX, 25*. Dabo nomina earum mulierum, quæ circa crucem Chriſti adſtabant. *Matthæus* hæc habet loco laudato: Ἦν ἐκεῖ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, *v. 61*, & *v. 56: Inter illas mulieres erant* Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, καὶ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου.

r) In *Vita Jacobi minoris pag. 999, 1131.*
s) *Tom. II Operum pag. 844.*

Marcus XV, 40, eas vocat *Mariam Magdalenam*, & *Mariam Iacobi minoris & Ioses matrem* & *Salomen*, addens, eas voluisse Iesum mortuum ungere, *Cap. XVI*, 1. *Ioannes* Evangelista ita habet *Cap. XIX*, 25: *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius*, quam omiserant reliqui Evangelistæ, *& soror matris eius*, *Maria*, *uxor Clophai*, *& Maria Magdalena*. Si soror matris Iesu a *Maria*, uxore *Clophai*, foret disiungenda, Evangelista voci illi *Maria ἡ τῦ Κλωπᾶ* præposuisset particulam *καί*. Alibi hæc *Maria* vocatur *ἡ τῦ Ἰακώβȣ*, *Iacobi mater*, *Luc. XXIV*, 10, & *Μαρία Ἰωσῆ*, *Maria*, *Ioses mater*, *Marc. XV*, 47. Mirum sane, eam haud appellatam esse *matrem Christi*, *matrem Iesu*. A potiori enim persona fieri solet denominatio. Vir quondam præclarissimus, *Ioannes Albertus Fabricius* t), ita hunc nodum solvere aggreditur, ut modestiæ tribuatur principatus & denominationis illius causa. Ipse sic disserit; *Res mira videri queat*, *eandem ab Evangelistis non potius dici matrem Iesu*, *quam matrem Iacobi & Ioses*. *Sed & Iudas se vocat fratrem Iacobi*, *præ modestia non ausus se fratrem Iesu appellare*. Verum hæc nodi solutio continet aliquid vitiosi, quod Logici solent *petitionem principii* vocare. Evangelistæ profecto sese haud adstrinxere crimini immodestiæ, quoties *Mariam Iesu matrem* genuino ipsi vocarunt nomine. Hoc enim si metuendum ipsis

t) In Nota ad *Codicem apocryphum N. T. Tom. I pag.* 592.

Digitized by Google

ipsis fuisset, nunquam ipsi appellassent eam nomine *matris Iesu.* Sed mittamus ista. Id præcipue male habet alios, quod *Iacobus*, *Ioses*, *Simon*, & *Iudas* noster, veniunt nomine *fratrum Iesu Matth. XIII, 55, Marc. VI, 3.* Sed nemo est, quem fugiat, fratres in sacris literis dici tum fratris, vel sororis, filios, tum consobrinos, seu eos, qui ex duabus sororibus sunt prognati u). Ut genus vitæ, quo *Iudas* Apostolus usus fuit, antequam Christo dedit nomen, cognoscatur, operæ pretium fuerit notasse, ipsum triplici nomine præstabilem fuisse. Nomen enim ei erat notissimum *Iuda.* Vocabatur idem *Thaddaus.* Tertia, qua insignitus erat, denominatio non minus est perspecta. Nomen enim ei erat inditum *Lebbai*, seu *Levi*, id est, לְבִיא, *leonis.* *Levi* ipse vocabatur, teste *Marco* x). Patescit id vel exinde, quod *Levi* erat *Alphai filius*, ὁ τοῦ Ἀλφαίου, & discipulorum vetustissimus. Hic *Levi* olim habebatur pro *Matthao*, Apostolo & Evangelista. Sed, eum fuisse *Iudam* nostrum, solide ostendit *Theodorus Hasaus* y). Quod ipsum cum constiterit, dubitationis restat nihil, *Iudam* ante Apostolatus initia publicanum egisse in Galilæa. Uxorem ipsum duxisse, veritati est consentaneum z). Indoles eius definitu haud admodum est facilis, si munera naturæ respexeris, licet *M. Gregorius* eam determinare

 fuerit

u) *Glassius* in *Rhetorica sacra Cap. XV pag.* 447.
x) *Cap. II*, 14.
y) *Biblioth. Brem. Cl. V Fasc. III Diss.* 6.
z) 1 *Cor. IX*, 5.

Digitized by Google

fuerit conatus a). Epiſtolam ſcripſit, neſcio cui eccleſiæ. Fortaſſis omni Chriſtianorum cœtui eam dicavit, in quam Philoſophia orientalis irrepere cœperat. Auctoritas Epiſtolæ haud ſtatim ab omnibus fuit agnita b), debitoque honore ſuſcepta, ratis, in eam apocrypha nonnulla ex libro *Enochi* fuiſſe aſſumta c). Quo exquiſitior autem eorum exſtitit cura, qui fidem & auctoritatem eius ad cynoſuram iudicii, divini ac defecati, revocarunt, eo ſpectatior & probatior eius θεοπνευςία apparuit, quemadmodum id ipſum dilucet ex ſuffragantibus veterum teſtimoniis, quæ collegit *Tillemontius T. I Memor. Hiſt. Eccl. pag. 683 ſeq.* d) Quo magis mirari ſubit, Anglum ætatis noſtræ, eam animo ſuo induiſſe audaciam, ut auctoritatem huius Epiſtolæ ſuſtinuerit labefactare. Sed ſalva res eſt. Vir Pl. Rev. *Twelſius*, gentis ſuæ decus perenne, obiectiones novitias eius ita examinavit ac refellit, ut ne hiſcere quidem amplius annotator, obiectionum architectus, fuerit auſus. Gratias merito habemus beatiſſimo *Ioanni Chriſtophoro* *Wol-*

a) *Diſſ. II de Temperamentis Scriptorum N. T.* §. *9 pag. 46 ſeq.*

b) *Abrahamus Calovius* in *Bibliis illuſtratis* ad *Ep. Judæ* in Prolegomenis.

c) *Euſebius H. E. III, 25. Hieronymus de Viris illuſtribus cap. 4. Codex pſeudepigraphus V. T.* ed. a *Joanne Alberto Fabricio, pag. 160 ſeq.*

d) Addatur Eminentiſſimus Cardinalis *Vincentius Ludovicus Gotti de Veritate religionis Chriſtianæ, librorumque, quibus innititur, T. I pag. 290 ſeq.* Romæ, 1736, 4.

Digitized by Google

Wolfio, qui *Twelfit* responsionem lectori Latino dedit communicatas e). Hæc de auctore, *Iuda*, & de auctoritate eius *Epistola*.

III. Nunc ad illud caput hæreseos, seu notionis fallacis, accedere iuvat, cui destruendo Epistola *Iudæ* fuit dicata. Summam dehortationis, a *Iuda* Apostolo quaquaversum promulgatæ, *Petrus* eandem exhibuit *posteriori* sua *Epistola*, eiusque *Capite secundo*. *Iudas* e *Petri Epistola* transtulit pleramque, opinor, doctrinæ suæ partem. Cum vero *Petrus*, mortis suprema exspectans fata, *Epistolam* suam *posteriorem* scripsit f), atque mortem ipsam obire iussus fuit circiter annum nati Christi vulgarem 68 g); *Iudas* Epistolam suam scripserit, necessum est, anno fere nati Iesu septuagesimo, quo Philosophia orientalis, seu Persica, passim per Iudæam, Syriam, Asiam, & Aegyptum, cœperat vagari. Essæos huic Philosophiæ mediam inter Iudæorum gentem deditos fuisse admodum, olim iam h) monui tradidique. *Simon* ille, qui religionem profitebatur initio Iudaicam, in vico Samariæ Gitton i), aut

e) In *Curis criticis ac philologicis* ad *Ep. Judæ pag.* 338 *seq.*
f) 2 *Petr. I*, 14.
g) *Joannes Pearson* in calce *Annalium Paulinorum*, & *Joannes Clericus Hist. Eccl. Sec. I ad A.* 68 *pag.* 447 *seq.*
h) In *Museo Bremensi Vol. I P. IV pag.* 671 *seq.*
i) *Justinus Martyr Apol. II pag.* 69 eum vocat Σαμαρέα, τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης Γιττῶν, quem sequitur *Epiphanius Hær. XXI pag.*

Digitized by Google

aut Cittii, Cypri oppido k), natus, ac vulgo *Magus* cognominari solitus, paullo post adscensionem Iesu in cœlum spargere cœpit Samariæ alibique passim lolia Philosophiæ orientalis. Eadem depravatæ Philosophiæ pestis insedit in doctrinis ac vita eorum, qui *Simonem Magum* affectabantur. Aetatis priscæ scriptores hisce affectatoribus nomen *Simonianorum* imposuerunt. Ex *Simonianis* hisce enati fuere *Gnostici*, teste *Irenaeo*. Horum omnium doctrina constitit ex consultis præceptisque Philosophiæ orientalis. *Cerinthus*, eiusque discipuli, ex eisdem rivulis arva sua rigasse existimandi sunt. *Simonis Magi* successor & defensor fuit *Menander*, genere Samarites, quem *Irenaeus* ad summum *Magiæ* gradum pervenisse, literis memoriæ prodidit l). Horum omnium doctrinæ ita fuerunt comparatæ, ut prora & puppis esset *Magia*, id est, *Magorum philosophia* & *disciplina*. Inde factum, ut homines illi sibi aliisque persuaderent, existere duos auctores sempiternos, a quorum uno & perfectio, & virtus, & felicitas, penderent; ab altero autem mala, imperfectiones, vitia, & fortuna adversa, cum ipsa infelicitate, exorirentur, & iam olim profluxissent m). Mundus,

55, ac presse Ven. *Joannes Laurentius Mosbemius* excipit suffragio suo in *Institutionibus Hist. Christianæ maioribus Sec. I P. II cap. 5 §. 12 pag. 399.*

k) Si *Josephus* de *Simone* hoc exposuit *Ant. Jud. XX, 7, pag. 969*, quod tamen negat laudatissimus *Mosbemius*.

l) *Lib. I cap. 24.*

m) *Philosophumena Pseudo-Originis pag. 39, Mi-*

Digitized by Google

dus, qui obtutum haud fugit, referebatur ab eisdem in numerum malorum ac imperfectionum. Auctorem perfectionis & felicitatis vocabant ipsi *lucem*; auctorem vero imperfectionis ac rerum illarum, quibus inhæret nonnihil imperfectionis atque nævi, appellabant *caliginem* & *tenebras*. Huic auctori alteri tribuebant creationem mundi huius adspectabilis, & e corporibus variis constituti. Peccata pleraque & vitia esse inevitabilia per sui naturam, & mentem caliginosi illius Dei ea expetere, inspirare, atque dirigere, communi errore doctores illi docebant. *Cerinthus* luculentis tradidit verbis, mundum a primo Deo factum haud esse, sed, quod mirum, conditum fuisse *a virtute quadam*, id est, *a spiritu quodam* validissimo. Hæc virtus, *Cerintho* iudice, admodum separata multumque remota fuit ab ea *principalitate*, id est, substantia principe & suprema, quæ est super universa. Hanc virtutem, seu *δύναμιν*, docuit ipse, ignorasse, hoc est, non agnovisse, eum, qui omnibus rebus maior est, Deum. Cum vero turba illa Philosophorum orientalium male sana existimaret, corpus humanum, partem quippe mundi adspectabilis, sensibusque expositi, esse ab auctore illo caliginoso, a principio malo, ortum; non potuerunt homines illi, quin affirmarent, Iesum vero corpore humano haud fuisse præditum, cor-

chael Psellus de Operationibus dæmonum pag. 10 ed Kiloni 1688, 12, *Damascius* Περὶ Ἀρχῶν *Cap. XI pag.* 259 *T. III Anecdotorum Græcorum Jo. Christoph. Wolfii.*

Digitized by Google

corpus spirituale e cœlo attulisse, idque minus conspicuum, ipsum non vere, sed φανταςικῶς saltem, edisse, bibisse, ambulasse, obiisse, resurrexisse, atque in cœlos subiectum esse; ipsum vere supplicia & alia incommoda ferre haud potuisse, atque exstitisse ἀπάθητον, ac propterea eundem vero corpore humano circumdatum haud fuisse, cum ipse in lucem a *Maria* virgine ederetur. Hunc Docetarum errorem iam *Ioannes* Apostolus n), & post eum piissimus *Ignatius*, o) castigabant. Divinam Christi naturam suæ cum Philosophiæ scitis *Magi* illi, eorumque sectatores, consistere posse, negarunt; quam ob causam ii, qui ex ipsis religioni Christianæ nomen dedere, vim quandam a supremo Deo, qui lucem inaccessam habitat, in Iesum esse effusam, tradiderunt. Vim hanc nonnulli vocarunt Christum. Quare veritati consentaneum est, quod *Ignatius* de eis tulit p), iudicium, ipsos humanitatem Christi negare, ac divinitatem corrupte exponere. Hæc deliramenta per Persarum Philosophos propagata fuerunt inde ab Euphrate quaquaversum ad varias gentes, tamque alte in animis eorum insedere, qui præ ceteris principatum Philosophiæ quendam affectare consueverant, ut iam ætate Apostoli *Pauli* in oppido Ephesi ac per reliquam Asiam minorem fictiones illæ Christianos haud paucos in

n) *1 Ep. I, 1, &c.*

o) In *Epistola ad Trallianos* §. *10*, & *Ep. ad Smyrnenses n. 6 pag. 36*, eademque interpolata *pag. 89*.

p) In *Ep. ad Ephesios* §. *7*.

Digitized by Google

in transversum egissent. *Theodadis* quidam *Paulo* Apostolo traditur exstitisse notus q). *Theodadin* illum a *Valentino*, Valentinianorum parente, auditum fuisse, refert *Clemens Alexandrinus*. Antiqua illa *Theodadis*, aliorumque, eadem sentientium, consulta probabantur Gnosticis. *Valentinus* enim r) primus antiquas hæreseos Gnosticæ doctrinas in suam transtulit opinionum colluviem ac fecem. *Tertullianus* certe docet s), *Valentinum cuiusdam veteris opinionis semina* fuisse *nactum*. Sed cur argumenta circumspicio, ut, Gnosticorum fictiones iam Apostolorum ævo animos Christianorum tentasse & passim subegisse, ostendam? Otia mihi fecerunt viri summi, *Usserius*, *Pearsonius*, *Ioannes Clericus*, *Cotelerius* t), & in hoc eruditionis genere versatissimus *Ioannes Laurentius Moshemius*, amicus perquam colendus.

IV. Quibus præmissis interiectisque, liceat id, quod edisserendum restat, copiosius persequi. Adiungam inprimis illud, quod Persæ, Essæi, Gnostici, ac Essæi, de mira virtutum divinarum generatione, suisque de theogoniis, circumferre ac tradere consueverant. Theogoniam Valentinianorum, vel potius Gnosticorum, *Ignatius* merito reiecit in numerum eorum dogmatum, quæ *μυθεύματα παλαιὰ*, *fictiones vetustas*, appel-

q) *Clemens Alexandrinus Lib. VII Strom.*
r) *Irenæus Lib. I cap. 5.*
s) *Adversus Valentianos Cap. 4.*
t) In *Epistolam Ignatii ad Magnesianos §. 8 pag. 19 seq.*

Digitized by Google

appellat. Iam *Herodotus* theogonias illas meminit u), tradens, Magum sacrificio Persarum adstitisse, eo fine, ut *theogoniam accineret*, quam accinendi modulandique rationem Magi habuerint pro efficacissima incantatione. Theogoniæ quid notionis sit attribuendum adiungendumque, merito quæritur. Qui monumenta veterum fideli versarunt manu, contendunt, *theogoniam* esse recensionem seriei Deorum, ab uno summo prognatorum. Si *Hesiodi Theogoniam* evolvimus, vim vocis hanc esse vero consentaneam, facile cognoscitur. Inprimis huc arcessendum est *Diogenis Laertii* testimonium, qui, Magis Persarum id proprium esse x), contendit, ut differant *περὶ ὐσίας Θεῶν καὶ γενέσεως, de essentia & generatione Deorum. Musæum, Eumolpi* filium, tradidit idem, Athenis *ποιῆσαι θεογονίαν, adornasse doctrinam, qua Deorum generatio exponitur* y). Ex eo fragmento, quod apud *Eusebium* z) exstat, ac *Sanchoniathonis* a) nomen præfert, indoles ac natura recensionum illarum, quæ venire solent theogoniæ nomine, omnium optime addiscitur. Quemadmodum enim *Moses* reliquerat Ebræis memoriam creationis omnium rerum ac heroum, qui ex homi-

num

u) *Lib. I cap. 132.*
x) In *Proœmio pag. 5.*
y) *Ibidem pag. 3.*
z) *Præp. Evang. Lib. I cap. 9.*
a) Edidit illud A. 1735, 4. Parisiis rursum Cel. *Fourmontius* in libro: *Reflexions historiques sur les Histoires des anciens Peuples, T. I Lib. I, II.*

Digitized by Google

num primo fuerant procreati, ita ſacerdotes gentium reliquarum, quarum ſingulæ inſignem originis ſuæ venditabant vetuſtatem, memoriam exordii rerum priſcorumque heroum, quibus nomina indiderant barbara, prodiderunt. *Fourmontius* & Ven. Abbas *Guyon* b) theogoniam illam, *Sanchoniathoni* vulgo attribui ſolitam, eſſe genuinam, contendunt, ſuamque ſententiam adverſus *Simonium*, *Dodwellum*, P. *Montfalconium*, & P. *Calmetum*, propugnant. Fictionibus ſacerdotes illi ſæpius fuerunt uſi in condendis ſuis theogoniis, id quod vel ex eo intelligitur, quod *theogoniæ illæ invicem admodum diſcrepant*, tantum abeſt, ut illæ ad unam omnes ex *Moſe* & priſca Ebræorum hiſtoria fuerint deſumtæ. *Damaſcius*, de *Principiis* c) commentatus, partem theogoniæ Babyloniorum, Perſarum, Phœnicum, & Aegyptiorum, compendioſe delineavit. Qui haſce theogonias inter ſeſe conciliare aggreditur, is ſane duriſſimo, impeditiſſimo, & difficillimo, ſeſe ſubdit labori, vel potius, ut, quæ ſentio, enuntiem,

Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.

Magi ſuis perſuaſerant, in ſua poteſtate, per illas accinendi theogoniam rationes, eſſe ipſos dæmonas ac angelos; hoſce enim carminibus ſuis poſſe

b) *Hiſtoire des Empirs & des Republiques depuis le deluge iusqu' à Jeſus Chriſt T. IV pag. 124 ſeq.* Hagæ Comitum, 1735, 8.

c) *T. III Anecdotorum Græcorum Jo. Chriſtophori Wolfii pag. 258 ſeq.*

poſſe advocari & averruncari d). Artificium illud modulandi & incantandi a Græcis appellatur *ἐπαοιδή*. Ebræi carmina illa vocarunt מלי חרשאת, *verba incantationum*, uti id ipſum pateſcit ex *Pſ. LIII, 6.* Mundum per precationes (*εὐχάς*) Magorum conſiſtere, immo ſolos hoſce noſſe vim & modum precationis rite adornandæ, priſci Perſæ exiſtimarunt e). Qui carminibus illis credebantur angelos advocare & profligare, id exiſtimationis ſibi collegerant, ut dicerentur angelos dæmonasque *ligare* & *ſolvere*. Exempla vetuſtiſſimæ illius ſuperſtitionis paſſim exſtant in libris ætatis priſcæ. Incidi in loca *Homeri*, quæ illud, quod ediſſerere cœpi, egregie conficiunt ac demonſtrant. Confer, ſi qua te dubitatio tenet, *Odyſſea Librum XIX v. 456 ſeq.* De ligationibus illis videatur *fragmentum libri Enoch* f), *Heſychius* in Vocibus *Ἐφέσια γράμματα*, & *Petronius* in *Satyrico pag. 201.* Formula loquendi illa, qua dæmones perhibebantur *ligari* & *ſolvi*, in ipſo Codice ſacro legitur adhibita, hauſta quippe ex trito receptoque loquentium uſu. Adeo doctrinæ Magorum increbuerant! Tanta erat Philoſophiæ orientalis receptæ paſſim pervulgatæque auctoritas, ut doctrinæ ipſorum in ſermonem vulgi ab-

d) *Thomas Stanleius P. IV Hiſtor. Philoſ. Orient. Cap. 8.*

e) *Diogenes Laertius* in *Proœmio pag. 15* ed. *Menag.*

f) Apud *Joſephum Scaligerum* in *Euſebium*, & *Joannem Albertum Fabricium* in *Codice Pſeudepigrapho V. T. pag. 179, 180.*

Digitized by Google

abiissent. Id omnino extra omnem controversiam est positum, Deum omnipotentem infregisse ac repressisse actiones cacodæmonum noxias ad nutum virorum, quibus cœlestis doctrina & expers fuci pietas erat curæ cordique. Magi vero, hac virtute & hac Dei ope destituti, artibus variis id effectui dare, sibique famam colligere, sustinuerunt. Ita Psylli, Africæ gens, carmina admodulabantur serpentibus, quibus demebant venena; suisque carminum barbarorum mussitationibus tantum energiæ tribuebant, ut, eorum interventu venena & noxas gravissimas averti eiicique, aliis persuaderent g). Re autem vera adhibebant usibus suis pro antidoto herbam *Assazoen*, remedium nostra ætate per Africam compertissimum h). Eundem tramitem institerunt Magi, viribus herbarum, lapidum, fœtuumque terræ, indagandis, ususque in suos transducendis, deditissimi, nec parum præterea artibus suis in auxilio dæmonum arcessendo sibi tribuentes. Quas artes ad Iudæorum Doctores propagatas fuisse, optime omnium docuit *Ioannes Lightfootus* i).

V. Miseri hi exitiosique errores Magicæ disciplinæ per Orientem sese adeo diffuderunt, ut Gnostici *Theogonias* creparent, miros angelorum ordines, variasque eorum catenas, existere docerent, ipsisque dæmonum adiurationibus, ligatio-

g) Conf. *Psalm. LIII, 6.*
h) Vid. *Jobi Ludolfi Historia Aethiopica.*
i) In *Horis Talmudicis* ad *Matth. XXIV, 24, pag. 446 seq.*

gationibus, solutionibusque, operam darent k). Theogoniæ Gnosticorum ac Valentinianorum constiterunt in recensionibus earum, quas Deus possidet, virtutum, quarum unam cogitari ob alteram, adeoque singulas per successionem cogitationum quandam in mente nostra exhiberi, & quasi progigni, ostenderunt. *Menander*, *Simonis Magi* successor, eodem in clivo sudavit, æque halucinatus more Magorum. Non enim ovum ovo tam est simile, quam affinis est disciplinæ magicæ complexus portentis sententiarum, quas *Menander* putatur disseminasse. Ipsum *ad summum Magiæ* cacumen *pervenisse*, *Irenæus* est auctor l), qui præterea hoc etiam addit, ipsum angelis effectus multos viresque maximas tribuisse, eisque creationem mundi assignasse. Quanta vero *Menandri* ac Simonianorum, Gnosticorumque, exstiterit arrogantia, Philosophiæ orientali communis, si nihil aliud esset documento, id profecto indicii luculentissimi locum occuparet, quod *Menander*, angelos, utut potentissimos, magicis scientiis artibusque vinci posse, existimarit. Fastus hic indubie notandus est censura graviori. Homunculis in creatores suos mundique præsides tribuere dominatum ac potestatem non nisi ii audebunt, qui verecundiæ fines longe lateque transilire consueverunt.

VI. Mirari subit, Magos eo audaciæ progredi

k) *Irenæus Lib. I cap. 29 seq.* divis. editionis Benedictinorum.

l) *Lib. I cap. 24.*

Digitized by Google

di potuisse, ut, spiritum propheticum & vaticiniorum facultatem sibi inesse, iactitarint. Erant quoque penes Chaldæos haud pauci, qui dicebantur *Prophetæ*, & quorum putabatur munus, oracula edere theurgica m). Ne vero fabulæ expenderentur a peritioribus, amabant Magi barbara vocabula & symbola haud temere enuntianda, σύμβολα ἀπόῤῥητα, (quemadmodum testatur & *Aelianus* n) & *Origenes* o),) quæ schedulis inscribebant, & operationibus immiscebant theurgicis p). Facit huc cummaxime *Dialogus Mortuorum Luciani* septuagesimus. Prora & puppis horum vaticiniorum & operationum theurgicarum erat fraus multiplex & varia impostura, quæ homines fastu plenos, numerum & munus Prophetarum vere sic dictorum imitaturos, in eam coniecit temeritatem, ut ii profiteri haud erubuerint, sibi esse commercia cum Deo angelisque secretiora, sibi apparere Deum per modum flammæ turbinisque flammiferi, sibi apparere angelos, sibi patefieri afflatu divino ea, quæ alias sint tremenda, & ab homine vulgari capi haud possint, eamque ob causam per griphos ænigmatum variosque verborum anfractus pronuntianda. Ipsi certos homines, arcanorum

m) *Julianus Orat. V pag.* 304.
n) *Var. Hist. Lib. II cap.* 17.
o) *Lib. I contra Celsum pag.* 11.
p) *Ammianus Marcellinus Lib. XXIX, Porphyrius* apud *Eusebium* in *Præp. Evang. Lib. V cap.* 9, 15, *Michael Psellus Comment. in Orationem XLII Nazianzeni*, ac *de Operationibus Dæmonum.*

Digitized by Google

cognoſcendorum avidos, in diſciplinam, ſeu ſocietatem, adſciverunt, quos initiarunt ritibus longis. Hiſce myſteria ſua q) per gradus varios impertierunt, iureiurando obſtrictis antea, ne qua dicta foras eliminaturi, aut illa cum aliis forte, ſocietatis eius exſortibus, communicaturi eſſent. *Simonis Magi* affectatores, Gnoſtici, Valentiniani, Baſilidiani, ac reliqui pſeudo-philoſophi ætatis Apoſtolicæ, eadem de ſe ſuisque ſodalibus fuerunt ampullati, perhibentes, ſibi patere facultatem vaticinandi, ſibi ineſſe afflatus cœleſtes, ſibi eſſe cum angelis conſortia, ſibi detecta eſſe arcana, quæ cum probatis diu & venerabundis, (id eſt, credulis,) hominibus duntaxat ſint communicanda, quibus cura obſtinati ſilentii & diſciplina arcani ſit curæ cordique. *Tertullianus* contra Valentinianos de viris, a vera religione averſis, ait: *Ignominiam ſuam tacent.* Huic iactationi & hiſce effictis afflatibus originem debent ſcripta apocrypha, quibus primam eccleſiam Hæretici, Philoſophiæ orientalis alumni, obruere & infeſtare ſtuduerunt. Eminet hos inter diſcipulus *Marcionis*, *Leucas*, quem alii vocant *Lucam*, *Lucium*, *Leicium*, *Leuticium*, *Leontium*, *Lentium*, & *Seleucum*, qui Seculo ſecundo medio vixit, & numeroſa

q) *Suidas* in Μιθρης, *Nonnus* in *Synagoge hiſtoriar. ad Stiliteut. Nazianz.* §. 647, *Tertullianus* in libro *de Baptiſmo adverſus Quintillam Cap.* 5, *f.* 188, *Thomas Hyde de Religione veterum Perſarum Lib. IV pag.* 113, *Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX T. I pag.* 626 ed. Colon. 1690, fol.

Digitized by Google

rosa apocrypha exclusit protulitque. De *Leuca*, & actis, ei attributis, erudite egit *Isaacus de Beausobre* in libro: *Histoire critique de Manichéen & de Manichéisme*, *T. I Lib. II cap. 2 pag. 348 seq.*

VII. Cum vero Magi mundum corporeum ac ipsum corpus humanum pro effectu Arimanii, seu principii mali, haberent, non potuerunt, quin matrimonia ac sobolis procreationem existimarent negotium per sese malum, principique tenebrarum probatum. Quæ sententia, a *Gichtelio* ætate nostra recocta, variis nævis moralibus aperuit fenestram. Alii enim cœlibatum miris extulerunt laudibus, alii libidines venereas duxerunt esse, licet malas, nihilo minus inevitabiles. Docetæ, Magorum propago, matrimonia prohibuere suis, certe ea spreverunt ac damnarunt. *Marcion*, qui ex eis surrexit, idem propugnavit dogma, idque in *Leucam*, seu *Seleucum*, discipulum suum, transtulit. *Epiphanius*, qui, *Leucam* exstitisse *Ioannis* discipulum, retulit r), intellexisse putandus est *Ioannem*, Presbyterum. Ut ita coniecturam ducere lubeat, efficit tum temporis ratio, tum doctrinæ ipsius præcipitium, quo *Leucas* sese notavit. *Leucas* vero ille scripsit librum *de nativitate Mariæ*, in quo matrimonium damnavit s). Montanistæ ac Manichæi errorem illum longe lateque propagarunt. Encratitæ, ut viderentur mollius sen-

 tire,

r) *Hær. Lib. I n. 6 pag. 427.*

s) *Beausobre dans Histoire critique de Manichéen & de Manichéisme T. I Lib. II §. 4 pag. 352 seq.*

tire, coniugium pro ſtatu imperfectionis habuere; reliqui Docetæ pro ſtatu per ſeſe malo. Mirum ſane videtur nonnullis, *Paulum* coniunxiſſe orientalis Philoſophiæ geminum errorem: unum de coniugio prohibito, alterum de cibis quibusdam vitandis, quibus per ſeſe abeſt virus & macula t). At ex complexu dogmatum diſciplinæ magicæ facile patet, eos, qui coniugia minimi faciebant, herbas nonnullas carnesque uſu indignas, & e ciborum apparatu eximendas, pronuntiaſſe, cauſam interſerentes, irritamentis coniugalibus eas eſſe amiciores.

VIII. Conſcientiam hiſce viris, qui ita rationes ſuas ſubduxere, fuiſſe ſenſus ſalutaris expertem, & cauterio quaſi obductam, *Paulus* haud perperam iudicavit. Ipſi enim Magi a promiſcua turpiſſimaque & vaga libidine adeo non erant liberi, ut potius ei data occaſione operarentur, in malum vetitumque nitentes. *Strabo* de Magis refert u): Τούτοις δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται *Hiſce etiam cum matribus coire, legibus eſt licitum.* De Chaldæis & Babyloniorum Philoſophis *Diogenes Laertius* tradit ſatis nefanda & turpia, quippe qui ſoliti fuerint μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι x). Perſas omnibus libidinum ſpurciſſimarum fœditatibus operatos eſſe, auctor etiam eſt *Herodotus*, ita

t) *1 Tim. IV*, 3, 4.

u) *Lib. XV pag.* 697.

x) In *Proœmio pag.* 5 ed. *Menag.* Amſt. 1692, fol.

Digitized by Google

ita de eis referens y): Εὐπαθείας παντοδαπὰς πυνθανόμενοι ἐπιτηδεύουσι καὶ δὴ καὶ ἀφ' Ἑλλήνων μαθόντες, παισὶ μίσγονται. Γαμέουσι δὲ ἕκαστος αὐτῶν πολλὰς μὲν κουριδίους γυναῖκας, πολλῷ δ' ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτῶνται. *Quin voluptatibus etiam omnis generis, quas ſemel reſcire potuerunt, frui ſtudent. A Græcis edocti, puerorum quoque amoribus indulgent. Virgines multas ducunt uxorum loco, ſed multo plures pellices habent.* Et quid de Babyloniis dicemus, quibus lex erat perquam fœda, & turpitudinem maximam complectens? Ipſorum enim mulieribus indigenis conſuetudo erat ſolennis, ſemel in vita ad Veneris templum deſidentibus, cum viris advenis corpus miſcere, & Venerem, quam *Mylittam* vocabant, argento ita parto expiare z). *Plato*, eiusque ſectatores, amoribus variis ſat improbis ac tetris non minus aperuerunt feneſtram. *Plato* in ſtatu mortuorum ac animarum a corpore ſeiunctarum, quem *Haden* vocat, tradidit animas morari per decem millia annorum, at eorum, qui ſincere philoſophati fuerint, remque cum pueris habuerint deteſtandam, ſimul Philoſophiæ deditj, animas tria duntaxat annorum millia ibi verſari. Teſtor eius *Phædrum*, librum haud incognitæ fortunæ. Myſtice hoc quidam intelligendum eſſe monent. At myſteria Platonicorum ipſa erant ſatis impura. Commendabant

 enim

y) *Lib. I cap. 135.*

z) *Herodotus Lib. I cap. 199.*

Digitized by Google

enim ipsi symbola sacra, quibus obscœna inerant multa, nec, pueros forma præstantes amare, a sese credebant alienum. Unde facillime intelligitur, fieri vix posse, ut isthæc omnia ita capi possint, ut ea omnem plane amorem corporeum excluserint. Candide omnino sic iudicavit, nobis suffragatus, *Henricus Dodwellus* a). Docuit præterea *Plato*, animam hominis totam olim exstitisse alatam b), alisque illis orbatam fuisse ob desideria, quibus in res corporeas avidius ruisset. Cupiditatem superesse in ea, addidit idem, recipiendi alas illas c) pro varia corporis natura & habitudine. Rationem mentis ipse appellavit *aurigam*, repugnantes vero sensum delicias, & appetitus, exinde ortos, vocavit *equos*. Huic renitendi cupiditati inesse naturaliter ac inevitabili modo desideria, in libidines corporeas directa, nec facile quemquam, nisi cupiditati illi satisfecerit, gaudia expetere superiora & solidiora, idem cum suis existimavit, atque decrevit. Quem in finem Persarum Magi, qui de alis eisdem affinia & similia prorsus docebant d), atque Platonici & vetustiores Philosophi, initiationes instituerant, in quibus turpia fuerunt tractata; adeo, ut ipsi libidinum pravarum,

a) *Diss. Cyprianica III §. 6 pag. 7.*

b) In *Phædro pag. 346.*

c) *Ibidem pag.* 344 edit. Lugduni 1590. fol. *Beausobre dans l' Histoire du Manichéen & du Manichéisme Lib. V cap. 2 pag. 174.*

d) *Thomas Stanlejus de Philosophia Chaldæorum Sect. II cap. 10 pag. 1128.*

Digitized by Google

rum, earumque venerearum, exercitia reputatarent pro conditione allevandi animam, alas circumspiciendi, ac ope earum ad sublimiora & perfectiora evolandi. Testem compellare debeo *Platonem* ipsum, qui ita differit e): Τῷ δὲ χιλιαςῷ ἀμφότεραι ἀφικνέμεναι ἐπικλήρωσίν τε καὶ αἵρεσιν τῦ δευτέρυ βίυ αἱρῦνται, ὃν ἂν ἐθέλῃ ἑκάςῃ. Ἔνθα καὶ εἰς θηρίυ βίον ἀνθρωπίνη ψυχὴ ἀφικνεῖται, καὶ ἐκ θηρίυ βίον ἀνθρωπίνη ψυχὴ ἀφικνεῖται, καὶ ἐκ θηρίυ, ὃς ποτε ἄνθρωπος ἦν, πάλιν εἰς ἄνθρωπον. Solent hæc ita in Latinum converti: *Millesimo anno ambæ redeuntes, sortem & optionem vitæ secundæ suscipiunt. Deligit unaquæque animarum eam vitam, quam voluerit. Hic & in bestiæ vitam transit anima humana, & ex bestia rursus in hominem, dummodo anima aliquando antea exstiterit anima hominis.* Atque paulo ante ita tradidit: *In idem, unde profectæ sunt, animæ singulorum intra annos decies mille non revertuntur. Nam ipsæ alas ante hoc spatium non recuperant, præter illorum animas, qui fuerint Philosophiæ addicti sincere, vel una cum sapientiæ studio amoribus puerorum animos corpusque applicuerunt. Hæc quidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam denuo deinceps elegerint vitam, alis ita recuperatis post tria annorum millia evolant abeuntes.* Miraris procul dubio, Lector, laudem hic Philosophis eis impertiri, qui exercuerint pæderastiam. My-

e) In *Phædro pag.* 345.

Digitized by Google

Myſteriis ſane Philoſophi haud ſecus ac alii fama ſingulari excellentes homines ſeſe initiandos curarunt, quorum arcanorum interventu in pæderaſtiæ conſuetudinem, corruptelas animi libidinoſas, & ad vitam plus quam belluinam, transducebantur mortales, ut ſecundum *Platonis* ſcita & conſulta anima undique ſaucia ſtimulo quodam concitaretur atque angeretur, rurſusque memor priſtinæ, quam amiſerat, pulchritudinis requirendæ recordaretur. En teterrimam doctrinam moralem, qua *Plato* hominem laboravit ad imaginem Dei & priſtinam innocentiam revocare. Ut animas purgaret, & a fecibus libidinum vitioſarum avocaret, *Plato*, eas in barathrum omnis nequitiæ & impuritatis præcipitavit. Myſteria illa, de quibus dixi paulo ante, a Philoſopho eſſe ſuſcipienda, *Plato* prædicare haud erubuit f) per hæc quidem verba: *Ὁ μὲν ὖν μὴ νεοτελὴς, ἢ διεφθαρμένος, ὐκ ὀξέως ἐνθένδε ἐκεῖσε φέρεται πρὸς ἀυτὸ τὸ κάλλος, θεώμενος ἀυτῦ τὴν τῆδε ἐπωνυμίαν. ὥστε ὐ σέβεται προσορῶν, ἀλλ᾽ ἡδονῆ παραδὸς, τετράποδος νόμῳ βαίνειν ἐπιχειρεῖ καὶ παιδασπορεῖν, καὶ ὕβρει προσομιλῶν, ὐ δέδοικεν, ὐδ᾽ αἰσχύνεται παρὰ φύσιν ἡδονὴν διώκων. Qui non eſt myſteriis nuper initiatus, aut potius corruptus, ipſe haud celeriter hinc illinc ad ipſam pulchritudinem excitatur, ſimilitudinem hic quandam, quæ ab illa denominatur, reſpiciens. Quapropter non reveretur Deum,*

f) *Ibidem pag. 346.*

Digitized by Google

Deum, respiciens ad spectabilia, sed, quadrupedis ritu Veneri deditus, voluptatem aggredi, & cum puero coire, studet; petulanterque congrediens, nec dubitat, nec erubescit, voluptatem præter naturam sectari. Ea est indoles hominis, mysteriis antiquis Græcorum haud initiati. Obiter annotamus loquendi formulam de voluptate exerceri solita παρὰ φύσιν, quam *Paulus* etiam adhibet g) ad idem crimen insigniendum, & pro merito detestandum. Haud abs re fuerit, veritatem eam curate recordari, quam *Paulus* iterum iterumque inculcavit, docens, gentes, religionis genuinæ, Deoque probatæ, exsortes, ad stultitiam & vecordiam immanem fuisse prolapsas. Testimonium *Platonis*, quod iamiam protuli, argumento est, *Pauli* pronuntiatum sibi omnino constare. Id vero pæderastiæ vitium, quod *Plato*, eorum, qui secretis cerimoniis haud fuerant initiati, proprium esse, voluit significasse, haud aberat ab eis, qui ad mysteria fuerant recepti. Eundem *Platonem* rursus ad testimonium citare iuvat. Ipse enim prædicat Philosophos τελετὰς τελουμένους, *mysteriis imbutos*, ipsosque nihilo minus appellat παιδεραστήσαντας, *amoribus puerorum addictos*. Quare Philosophum inter & hominem alium interfuit haud plus, quam inter stultum & insanum. *Plato* inter hæc *pag. 348* animam vocat hominis partem, ad quam probitas pertineat, corpus autem appellat partem subiectam, cui malitia animæ

g) *Rom. I, 26.*

mæ innascatur, ῷ κακία ψυχῆς ἐνεγίνετο. Originem itaque peccati & fœditatis humanæ scaturiginem congruenter Philosophiæ orientali *Plato* in corpore sitam esse credidit, ratus, animam probitate enitescere, licet corpus voluptatibus impuris sit infectum. An vero ii amplissimis laudibus sint digni, qui Philosophiam *Platonis* moralem commendant, merito dubitamus. Dolendum est potius, eo temeritatis nonnullos processisse, ut cum *Gothofredo Arnoldo* h) existimaverint, Philosophos vetustiores Platonicos ex spiritu communi incorrupto, & ex Ebræorum doctrinis, sua hausisse. *Apuleius*, Philosophus Platonicus, *Platone* haud melior, versus lascivos a mente pura haud abhorrere, tradidit i). Pnevmaticos prædicat *Plato.* Accipe, quæso, ea, quæ *Socrates* ad *Phædrum* apud *Platonem* disserere perhibetur, & a nobis ex *pag. 343* Latine tantum sunt afferenda. En locum: *Non verus sermo est ille, qui præsente amatore non amanti magis iubet gratificari, quia amans furit, non amans vero sanus est. Si enim simpliciter verum esset, furorem esse malum, recte a nobis dictum fuisset. Nunc autem maxima bona nobis obtingunt per furorem, divino quodam munere concessum. Nam &, quæ Delphis futura prædixit vates, & quæ in Dodona sacerdotes, furentes quidem, multa ac magna commoda privatim &*

h) In *Historia & descriptione Theologiæ mysticæ Cap. 9 §. 8 pag. 159*, Francofurti, 1702, 8.

i) In *Apologia pag. 447 seq.* edit. 1606, 12, ex bibliopolio *Frobeniano*.

Digitized by Google

& publice Græcis hominibus attulerunt; sana vero dum sunt, exigua, aut nulla. Omitto phaleras oratorias, quibus *Plato, Socratis* sustinens personam, furorem illum exornat. Addit idem *pag. 347* modum ridiculum accedendi ad Dei similitudinem, qui in eo constitit, ut quis per furorem & enthusiasmum amore ardentissimo in amatum accendatur, unus alteri obsequatur furiose, & imago eius, qui amatur, sive is sit Jovialis, sive Apollineus, sive Bacchicus & Venereus, in animum amatoris transfundatur. Memorabile est illud & satis obscœnum, quod adiicitur *pag. 347* Latine dandum Lectori: *Quicunque Junonem secuti sunt, regium quærunt amasium, quo invento similiter affecti, eadem erga illum omnia faciunt. Apollinis præterea reliquorumve cultores Deorum singuli, Deos singulos imitati, adolescentem eodem naturæ impetu affectum quærunt, eoque sibi comparato & ipsi eum imitantes, & adolescentibus persuadentes moderantesque, in numinis ipsius studium & ideam pro viribus impellunt. Non invidia, non illiberali malevolentia,* πρὸς τὰ παιδικὰ, *in puerorum amoribus, utuntur, sed omni studio illos ad perfectam tum sui, tum Dei, quem colunt, similitudinem formare conantur.* Obiici equidem potest, puriora & sublimiora inesse hisce opinionibus *Platonis.* Interpres certe Latinus *pag. 349* sic sensit, siquidem *Socratem* ita locutum induxit: *Hanc tibi, o dilecte Amor, quam pulcherrime optimeque valuimus, poeticis tum verbis, tum figuris, impulsu Phædri palinodiam*

cecini-

Digitized by Google

cecinimus. Qui vero mediocrem saltem sibi Græcæ linguæ peritiam compararunt, sensum ibi prorsus discrepantem deprehendent. En verba Græca: Αὕτη σοὶ, ὦ φίλε Ἔρως, εἰς ἡμετέραν δύναμιν ὅτι καλλίστη καὶ ἀρίστη δέδοταί τε καὶ ἐκτέτισαι παλινωδία, τά τε ἄλλα καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἠναγκασμένη ποιητικοῖς τισὶ διὰ Φαῖδρον εἰρῆσθαι. En interpretationem Latinam pressius institutam: *Hæc tibi, o amice Amor, pro facultate nostra datur ac persolvitur pulcherrima & optima palinodia, in qua ob Phædrum adducti sumus, ut & alia & nominibus poeticis nonnullis coactam dissereremus.* Nomina eiusmodi recens efficta, seu poetica, offerunt sese in Dialogo illo, seu *Phædro*, varia ac diversa. *Alæ* enim desiderii sublimiorum felicitatum sunt symbola. *Equi* sunt cupiditatum hominis, a norma subinde dissidentium, symbola. *Auriga* est symbolum directoris animorum, qui vel furor erat ex sententia *Platonis*. Cetera, in *Phædro* obvia, nec aliena sunt a scitis doctrinisque *Platonis*, alibi passim diffusis, nec figuris ornamentisque poeticis involvuntur. *Apuleius* certe, qui crebra manu libros *Platonis* versavit, aperte & ingenue hoc præ sese tulit in eo, quem paulo ante excitavimus, loco, *Platonem* laudasse pæderasticas impuritates, & auctorem exstitisse versuum impudicorum.

IX. Quid Ἴυγγες sint in Philosophia orientali ac magica, multi divinando assequi contende-

Digitized by Google

tenderunt k). *Oracula Zoroastris*, quæ quidem nunc tenemus, *versiculo 118* de iis sentiunt ita:

Νοούμεναι Ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι, καὶ αὐταὶ
Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι, ὥστε νοῆσαι.
Intellecta Iynges a Patre intelligunt, & ipsa
Consiliis ineffabilibus motæ sunt, ut intelligant.

De ideis solent vulgo hæ Iynges exponi. *Pletho* eas interpretatur per *τὰ νοητὰ εἴδη*, *species intelligi aptas*. *Psellus* eas exponit per *δυνάμεις τινὰς μετὰ τὸν πατρικὸν βυθὸν*, id est, *vires quasdam post paternam profunditatem*, tribus triadibus constantes. *Ioannes Clericus* in *Indice Stanlejano* subdit: *Sane, quod additur νοέουσι, videtur ostendere, hic agi de naturis quibusdam, peculiari ὑπάρξει donatis.* Clarissimus Vir, qui *de Ideis* libellum edidit, multus in eo est, ut, Iyngas, doceat, esse ideas l). In omnia autem alia mihi eundum esse existimo, simul ac ea pensi habeo alicuius, quæ *Apuleius* & *Theocritus*, Poeta Siculus, literarum monumentis tradi-

k) *Damascius*, de *Principiis* commentatus, refert, *dici mentem paternam* (seu tertium in triade) *pervadere triadicas exornationes, Iyngas, constrictores, initiationum præsides* (*συνοχέας, τελετάρχας*). Iynges & constrictores illi paulo post annumerantur Deis §. *1 pag.* 200. Idem deinde §. *2 pag.* 207, Iyngas, refert, *cohibere intelligibilem essentiam, ipsasque decere id, quod intelligibile & vere essentia vocatur propter vim conciliandi, ac congregandi, atque in mutuos complexus adigendi.*

l) *Bruckerus* in *Historia philosophica doctrinæ de Ideis pag. 5, 6*, Augustæ Vindelic. 1723, 8.

Digitized by Google

tradiderunt. Prior enim *iyngas* ad materiam parandi philtri refert m); posterior, eas esse aviculas, quæ vocantur *motacillæ*, commemorat. *Apuleius* hæc *Aemilianum* obtrectatorem docet. *Unum Poetam Latinum attingam. Versus ipsos agnoscent, qui Navium legere.*

Philtra omnia undique eruunt,
Antipathes illud quæritur,
Trochisci, iynges, *tenia*,
Atriplices, *bicolorea*,
Radiculæ, *herbæ*, *surculi*,
Hinnientium dulcedines.

Theocritus in *Idyllio secundo*, quod *Pharmaceutriam* inscripsit, continuo hunc repetivit versiculum:

Ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Iynx trahe tu illum meam aliquando domum virum.

Cum Scholiasten *Caliergum* ad hunc *Theocriti* locum consulo, video, aviculam *motacillam* a Græcis dictam esse Iynga. Avicula illa, a motu cilli, seu caudæ, continuo vocatur motacilla, *Wegesteertjen*. Ex eo factum est, ut Græci nomen huius aviculæ pro symbolo amoris venerei adhiberent, eamque philtris conflandis assumerent. Autoris ipsius ipsa verba apponam, ut Lector de rei veritate ferre iudicium queat. En illa: Ἶυγξ, ὄρνεον Ἀφροδίτης, ὃ αἱ Φαρμακίδες συνεργὸν ἔχουσι πρὸς τὰς Μαγείας. λέγουσι δὲ καὶ αὐτὸν τὸν Ἔρωτα, ἀπὸ τοῦ ἐνόντος ζώου Ἰυγ-

m) In *Apologia pag.* 475.

Digitized by Google

ἴυγγα, ὡς φησὶ Πίνδαρος καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ζώων μορίῳ, μεῖζον πίννης αὐτὸ λέγων ἢ Κινάδους. Ἡ παρὰ Ῥωμαίοις σεισοπυγὶς καλουμένη, διὰ τὸ πανταχοῦ στρέφειν καὶ λυγίζειν τὸν αὐχένα ἢ τὴν πυγήν. ἢ τὴν Ἴυγγα, ὥς φησὶ Καλλίμαχος, ἠχοῦς θυγατέρα. φαρμακεύειν δὲ τὸν Δία, ὅπως ἂν αὐτῇ μιχθῇ. ὅθεν ὑπὸ Ἥρας εἰς ὀρνιθάριον αὐτὴν μεταβαλεῖν, καὶ συνεργεῖν ταῖς φαρμακείαις. Ἄλλως. Ἴυγξ, ἡ λεγομένη σεισοπυγὶς, ἣν φασὶν ἐν τῇ φύσει ἔχειν ἐρωτικήν τινα Πειθώ. ἀφ᾽ ἧς καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ εἰς φιλίαν κινοῦντα φάρμακα, ἴυγγας λέγουσι, καὶ τὰ ἐπαγωγὰ ἄλλως καὶ χαρίεντα, κατὰ μεταφοράν. ἐνταῦθα δὲ ἴσως τὴν σεισοπυγίδα λέγει, ἣν ἐν κατασκευῇ τινὶ ἡ Σιμαίθα ἔχουσα, ταῦτα ἐπάδει. Hæc ita in Latinum converto: *Iynx, avis Veneris, quam venefica adiutricem habent ad operationes magicas. Appellant vero etiam ipsum Amorem ex hoc animali Iynga, uti significat Pindarus. Et Aristoteles in Tomo de Animalibus* n) *id maius esse pinna,* o) *aut cynade, seu vulpecula marina. A Latinis motacilla dicitur, quoniam movet & flectit clavum, seu caudam. Aut dictitant alii, Iynga, uti perbibet* Dd 2 *Cal-*

n) *Aristoteles* in *Historia Animalium Lib. II cap. 12*, ac *de Partibus Animalium Lib. IV cap. 12*, de avicula Iynge exponit.

o) Pisce ex generibus concharum, seu ostreorum, teste *Aristotele Hist. Anim. V, 15*, ac *Athenaeo* in *Dipnos. Lib. III pag. 86 seq.*

Digitized by Google

Callimachus, esse Ecchûs filiam; Jovem vero conficere medicamenta amoris venenati, si cum illa misceatur, unde Eccho a Junone in aviculam illam sit conversa, efficaciter quippe adminiculans incantationibus. Alia sententia sic habet. Iynga, quæ dicitur motacilla, ferunt nativam tenere vim persuasoriam. A qua etiam ea omnia, quæ amicitiam conciliant, simpliciter Iyngas vocant, immo, quæ eo aliquid conferunt, vel amabilia sunt, per translationem a similitudine desumtam. Hinc autem merito Theophrastus motacillam vocat, quam quippe in promtu habuit Simætha, venefica, & præparavit, versiculos illos accinens. Patet idcirco ex hac expositione, iynga esse aviculam motacillam, symbolum amoris & amicitiæ actuosioris. Unde fit satis verosimile, consarcinatorem oraculorum *Zoroastris* intellexisse per ἴυγγας κινεμένας, *iyngas sese commoventes & agitantes,* cupiditates, amorem suum, vel potius libidinem veneream, explendi. Ipse eas derivavit πατρόθεν, *a patre,* siquidem ipsæ a Deo animantibus sunt insitæ ac infixæ. Pseudo-*Trismegistus* eandem institit viam, ratus, solos eos homines, qui prolem procrearunt, in melius mutari, & ad felicitatem sempiternam pervenire; reliquos vero improles pœnas post mortem dæmonibus daturos esse, merito quippe exsecrabiles p). Quantopere, Philosophiæ orientalis statores ac assectatores, impulsum amatorium esse sequendum, perhibuerint, undiquaque elucet. Quam ob causam in oraculis *Zoroastris Iynges* sunt Dei amorum præsides, qui per instinctum insitum sensus hominum credebantur

agi-

Digitized by Google

agitare, ut finibus, quos animæ finitæ haud introſpicere queunt, fiat ſatis. Quam graviter vero *Babylonii* & *Magi* in divinos illos fines, quibus propaganda ſunt animantium genera, peccaverint, iam ſupra indicavi. Unde intellectu eſt facile & pronum, quam pura illa fuerit cogitatio, quam *Zoroaſtrici* Philoſophi cum illa *iyngum* voce coniunxerint.

X. Ex hac Philoſophia *Zoroaſtrica*, ſeu orientali, arua ſua rigarunt quondam & Iudæi & Chriſtiani philoſophantes, qui ſimplicitatem doctrinæ cœleſtis exornare ſtuduerunt pannis varie aſſutis. *Gnoſtici* fuerunt dicti, qui Chriſtianam religionem cum Philoſophia orientali coniungere, aut potius illam huic præficere, fuerunt aggreſſi. Iam *Pauli* ævo Chriſtiani nonnulli maiorem aliis ſibi tribuebant *γνῶσιν*, ſeu cognitionem, in rebus ſpiritualibus, quemadmodum pateſcit ex *1 Cor. VIII, 1, 2, 3.* An vero *Gnoſtici* vocati fuerint initio Chriſtiani univerſi, quæ eſt *Binghami* q) opinio, liceat pauliſper dubitare. Ipſos enim, qui ſenſum myſticum & ſublimiorem ſcientiam ſibi arrogabant, ita arbitror cognominatos r). *Clemens* enim *Romanus* ita

 allo-

p) Ex Λογ. καθολικῶ *pag. 16* ed. *Turnebi.* Eadem fere ſtatuit D. *Io. Leonhardus Hauenſchild* in *Nova Baſi, ſeu ſtructura, Iuris naturæ fundamentali*, Dresd. 1738. 4. annexa *Opuſculo hiſtorico-iuridico, præſumtionem pro libertate naturali, in cauſis ruſticorum, vindicante.*

q) *Origin. Eccleſ. Lib. I cap. 1* §. *3.*

r) Ven. *Io. Georg. Walchii* Diſſ. *de Clemente Alexandrino Cap. I Sect. 2* §. *6 pag. 18.*

Digitized by Google

alloquitur Corinthios s): Ὁρᾶτε, ὅσῳ πλείονος κατηξιώθημεν γνώσεως, τοσούτῳ μᾶλλον ὑποκείμεθα κινδύνῳ. *Videte, quanto maiori digni redditi sumus cognitione, tanto maiori obnoxii sumus periculo.* Ostendit idem deinceps t), exstitisse inter Corinthios δυνατὸς ἐξειπεῖν γνῶσιν, *eos, qui valuerint enuntiare cognitionem.* Quo ipso innotescit, haud omnes Christianos ea cognitionis excellentia fuisse præmunitos. In Epistola, quam vulgo *Barnabæ* adscribunt, γνῶσις vocatur *sensus mysticus*, cuique haud pervius. Ipse inducitur ita commentatus: Τὶ λέγει ἡ γνῶσις, μάθετε. Ut vero patescat, qualis hæc sit cognitio, ad quam addiscendam lectores suos invitat, addit statim, *Adamum* fuisse ex terra factum, & Israelitas in terram Canaan deductos; Christum autem nova creatione formatum, ut animas nostras formaret ipse atque refingeret. Utitur hac loquendi formula: ἐποίησεν ἡμᾶς ἄλλον τύπον, ὡς παιδίον ἔχειν τὴν ψυχήν. Idem provocat u) ad τὸ τέλειον τῆς γνώσεως, seu *perfectum illud cognitionis culmen*, cum exponit prophetias & iussiones, a tribus Patriarchis desumtas, per accommodationem ad Christum. *Gnosis* itaque constitit in excellentiori Theologiæ doctrina, quam paucis datum erat imbibisse, & quam magistri, eam edocti, per manus tradere soliti fuerant peritioribus, quorum mentem antea exploraverant. Intelligere mihi id videor ex ea oratione, quam *Petrus*

s) In *Ep. ad Corinthios* §. *41 pag. 170.*
t) §. *48 pag. 174.*
u) §. *13 pag. 42.*

Digitized by Google

trus ad *Clementem* habuisse perhibetur. En verba x): *Secretiorem tibi intelligentiam patefeci, nec occultans a te traditionum bona.* Arcanis vero illis, quæ Gnostici arrogabant sibi, inerant decerpta ex fundo Philosophiæ orientalis, ex sensu Codicis sacri mystico, & ex experientia spirituali interiori. *Iudæ*, Apostoli, ætas, qua Epistolam conscripsit catholicam, omnino quadrat ad initia Gnosticorum, quemadmodum supra §. *3* demonstravi. An toties in Epistolis Apostoli ad Gnosticos refellendos respexerint, quoties ita factum fuisse sensit *Henricus Hammondus*, id quidem suffragio meo tueri non ausim. Id vero inficiari haud sustineo, *Ioannem Clericum* in partem contrariam y) nimis cucurrisse, existimantem quippe, Iudæos ab Apostolis in novi Instrumenti tabulis increpitos esse ac refutatos. Quos quidem Iudæos credidit gloriatos fuisse de reconditis dogmatibus & arcanis sacri Codicis interpretationibus, quas ipsi a maioribus non scriptas, sed viva voce & per manus acceperint traditas. At Iudæi illi pariter sectabantur Philosophiam orientalem. Cabbalistæ eam ad Theologiam Iudaicam accommodabant, Gnostici ad Christianam. Utrique venerabantur consulta *Zoroastris* & Magorum. Gnosticorum dogmata omnino sunt tam affinia Cabbalistarum doctrinis, ut ea aptissime inter sese comparare valuerit *Samuel Maresius* z).

x) *Recognit. Lib. I cap. 74.*
y) In *Hist. Eccl. Sec. I ad A. 76 pag. 482.*
z) In *Sylloge Disput. select.* in *Diss. de Gnosticis p. 947.*

Digitized by Google

Apoſtolorum ævo nulla alia per Aſiam minorem, Syriam, Palæſtinam, Chaldæam, & Perſidem, Philoſophia floruit, ac illa a Magis propagata. *Theodotus* eam vocavit *ἀνατολικὴν διδασκαλίαν*, *orientalem doctrinam* a), *Porphyrius* vero b) *veterem philoſophiam*. Ipſa autem perſtitit ad Seculum uſque a nato Chriſto tertium, quo *Ammonius*, cui cognomen erat *Saccas*, & *Plotinus* eclecticum Philoſophiæ genus introduxerunt, quod vocamus vulgo *Potamicum* & *Platonicum poſterius*. Nihilo ſecius *Manes*, Manichæiſmi autor, potiora illius Philoſophiæ veteris capita in doctrinæ ſuæ complexum ſuſcepit, ſtrenueque ad poſteros tranſmiſit. *Platonici recentiores*, ſectam illam veterem & orientalem ferre recuſantes, viribus contenderunt omnibus, ut exſtingueretur Gnoſticiſmus c). Hi enim *Platonici* id ſubductum iri crediderunt gloriæ ſuæ, quicquid tributum fuiſſet alienæ. Quare ipſi libros *Zoroaſtris*, *Zoſtriani*, ac aliorum, quibus Philoſophia illa vetus & orientalis continebatur, in diſputationibus ſuis omni autoritate ſtuduerunt privare d). Dolemus merito, periiſſe *Amelii* & *Porphyrii* libros, quibus ipſi ſectam Gnoſticorum & Orientalem proſtraverunt. Unicum ſuperſtitat, veluti e naufragio tabula, *Plotini* e) ſcri-

a) Apud *Clementem Alexandrinum Opp. pag.* 966.

b) In *Vita Plotini Cap. XVI pag.* 118 ed. *Fabricii*.

c) *Io. Laurent. Moshemius de Turbata per recentiores Platonicos eccleſia* §. 5.

d) *Porphyrius* in *Vita Plotini Cap.* 16 *pag.* 118.

e) In *Operibus Plotini, Ennead. II Lib. IX pag.* 199 - 219.

Digitized by Google

scriptum, quo refellitur illud Philosophiæ orientalis dogma, quod docet, mundum hunc ab inferiori quodam Deo, eoque minus benigno, Arimanio videlicet, creatum esse. Qui itaque haud ignorat, Cabbalistas & *Gnosticos* eiusdem Philosophiæ exstitisse cultores ac propagatores f), ei haud fit verosimile, Gnosticos omnes exstitisse Christianos. *Gnostici* generatim dicti fuerunt sectatores Philosophiæ orientalis. *Porphyrius* eos hoc nomine salutavit, quippe qui *Plotini* librum, huic hominum generi oppositum, inscripsit πρὸς τὺς γνωςικὺς, *ad Gnosticos* g). Philosophi enim huius farinæ per modulos religionis haud unos fuerant dispersi. Alii ipsorum erant a religione Iudaica & Christiana aversi; alii erant Iudæi, alii Christiani, & alii rursum hæretici. *Porphyrii* locum, quem alii laudarunt, non possum non hic commemorare. En h) illum: Γεγόνασι δὲ κατ' αὐτὸν τῶν Χριςιανῶν πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι. *Erant vero eo* (tempore) *multi tum Christiani, tum alii*, eius Philosophiæ studiosi. Ipse vero sic pergit: Αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς Φιλοσοφίας ἀνηγμένοι οἱ περὶ τὸν Ἀδέλφιον καὶ Ἀκυλῖνον, οἱ τὰ Ἀλεξάνδρυ τῦ Λίβυος καὶ Φιλοκώμυ καὶ Δημοςράτυ καὶ Λύδυ συγγράμματα πλεῖςα κεκτημένοι, ἀποκαλύψεις τε προφέροντες

f) *Basnage Histoire des Iuifs T. II Lib. II Cap.* 20, *T. III Lib. II cap.* 16 §. 7 *seq.*
g) *Porphyrius l. c. Cap. XVI pag.* 119.
h) In *Vita Plotini Cap. XVI pag.* 118.

ϕοντες Ζωροάστρου καὶ Ζωστριανοῦ καὶ Νικοθέου καὶ Ἀλλογενοῦς, Μέσου, καὶ ἄλλων τοιούτων πολλοὺς, ἐξηπάτων καὶ αὐτοὶ ἠπατημένοι, ὡς δὲ τοῦ Πλάτωνος εἰς τὸ βάθος τῆς νοητῆς οὐσίας οὐ πελάσαντος. *Haeretici vero, ex antiqua Philoſophia egreſſi, ſectatores Adelphii & Aquilini, qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demoſtrati, Lydi, plurimos libros circumferebant, & revelationes quasdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis, Meſi, aliorumque eiusmodi, palam oſtendentes, & deceperunt multos, & ipſi decepti iam fuerant, aſſerentes, Platonem intelligibilis eſſentiae fundum minime penetraſſe. Simonem, Magum*, ſeu Philoſophiae orientalis magiſtrum excellentem, *Gnoſticorum* exſtitiſſe auctorem, teſtis eſt *Irenaeus* i). Quis vero dixerit, *Simonem* & *Simonianos* ad unum omnes Chriſto nomen dediſſe? Ipſe *Simon Magus* Philoſophiae *Zoroaſtricae* ac Magorum detulit principatum. Quod ipſum ni iam alibi k) demonſtraſſem, clariſſimo *Irenaei* conficerem & comprobatum darem teſtimonio, qui, a *Simone* ad *Menandrum* progreſſus, ita l) ſcripſit: *Huius* Simonis *ſucceſſor fuit Menander, Samarites genere, qui & ipſe ad ſummum Magiae pervenit.* Locus hic eſt inſtar omnium. *Magia* haec & *Simoni*, & *Menandro*, attribuitur, quae nihil niſi ſtudium Philoſophiae *Zoroaſtricae* ac Magorum, tum

i) *Lib. I cap. 29.*

k) In *Muſeo Bremenſi Vol. I P. IV pag. 655 ſeq.*

l) *Lib. I cap. 24.*

Digitized by Google

tum theoreticum, tum practicum, designat. Unde porro colligimus, Gnosticos Philosophiam Persicam, seu magicam, maximi fecisse ad exemplum conditoris sui, *Simonis Magi*. Haud abs re fuerit, rursum meminisse, Magis Iyngas & coniugia cum sororibus, concubitus incessos & vagos, veneremque legibus admodum solutam, placuisse. Simul atque huius rei memoriam repetivimus, insinuat sese menti nostræ illa cogitatio, quæ nobis vel invitis id persuadet, Gnosticis consuetudinem eandem arrisisse. *Epiphanius* in *Hæresi 26*, quæ est *Gnosticorum*, adeo hoc ipsum haud inficiatur, ut eos potius gravissimorum in moribus flagitiorum incuset, qualia sunt: *communes fœminas habere, promiscue cum quavis rem habere, & deteriora alia. Simonis Magi* dogmata admodum sunt hisce deliramentis consentanea. Ipse enim voluit sectatoribus suis omnia ad votum fluere, ipsisque varias indulsit voluptates. Mortis periculum, ut plures sibi conciliaret discipulos, a doctrina sua sustulit, affirmans, cultum simulacrorum, seu idololatriam, esse rem per sese nec bonam, nec malam, sed potius indifferentem m). Illis vero, qui in ipsum eiusque Helenam meretricem haberent spem ac fiduciam, libertatem, quicquid vellent, agendi concessit, siquidem homines, ex ipsius opinione, non secundum iustas operationes, sed secundum ipsius gratiam, salvi fierent, neque operationes essent natura iustæ, sed ex accidenti, prout

m) *Origenes contra Celsum Lib. VI pag.* 282 *edit. Spenceri.*

prout angeli, qui per eiusmodi præcepta homines in servitutem redegerint, constituissent n), Vagam turpitudinem & licentiam, promiscue foeminis utendi, indulsisse suis *Simonem*, *Augustinus* iam olim o) literis memoriæ prodidit, quem tuentur ac vindicant suffragia *Eusebii* p), *Georgii Syncelli* q), *Ioannis Damasceni* r), *Nicetæ Choniatæ* s) & aliorum, quos ætate recentiori merito fuerunt secuti *Colbergius* t), *Thomas Ittigius* u), alii. Si quis contendit, turpitudines, quas *Epiphanius* in Simonianis notavit, esse homine liberaliter educato indignas; eum ut variis refellam argumentis, haud equidem enitar. Id vero præ me fero, res olim gestas ab arbitrio & expositione hominum ætatis nostræ haudquaquam pendere, sed eis metiendas esse literarum monumentis, quæ ex vetusto ævo ad nos pervenerunt. Quid enim, obsecro, *Sebastianus Kortholtus* x), *Heraldus*, & *Ioannes Clericus* y), ut *Epiphanii* testimonium infringerent, proferre potuerunt aliud, ac illud: *Furiosi ita agunt, impotes animi sic sentiunt, vix ea nobis*

n) *Irenæus Lib. I cap. 20.*
o) *De Hæresibus cap. 1.*
p) *H. E. II, 13.*
q) *Chronograph. pag. 339.*
r) *De Hæresibus cap. 21.*
s) *Thesaur. orthodox. fid. IV, 1.*
t) In Tr. *de Origine & progressu Hæresium & errorum in Ecclesia Cap. 2 pag. 77.*
u) In Diss. *de Hæresiarchis ævi Apostolici pag. 178 seq.*
x) In *Diatriba de Calumniis in veteres Christianos pag. 65 seq.*
y) In *Hist. Eccl. Sec. II ad A. 76 §. 10 pag. 485.*

Digitized by Google

bis sunt credibilia, videntur ea fidem excedere. At dolemus merito vicem hominum hoc quoque nomine miserabilem, quod ipsi, semel a veritatis norma deflectentes, ad insulsissima errorum præcipitia sint proni atque accommodati, *Rom. I, 22*, tantum abest, ut flagitia Gnosticorum assensione nostra sint prorsus indigna, ut ea fieri potuerint nunquam, ut illa in animantia, rationis expertia, vix cadant, tantoque minus ab hominibus effectui dari possint. Nisi doctrinas Gnostici sparsissent minus moratas, minusque honestas, Platonici recentiores illos sibi haud delegissent castigandos & refellendos, quippe qui ita solebant Philosophiæ suæ rationes subducere, ut ex variis doctrinarum & sectarum floribus sua decerperent, & eclecticos nova prorsus agerent conditione. Et cur, quæso, fidem eorum in dubium revocare studebimus, qui ea de Gnosticis exposuerunt, quæ Philosophiæ magicæ, seu orientali, ac *Simonis Magi* decretis vitæque generi, unde Gnostici profluxerunt, satis congruunt & accurate respondent? Cardo doctrinæ moralis, quam Magi & Simoniani sequebantur, vertebatur in licentia impune peccandi, & cupiditatibus impuris faciendi satis. Cur itaque, cum principia doctrinarum & actiones Magorum ac Simonianorum affectarentur Gnostici, nobis fit vero absimile, Gnosticos ea admisisse flagitia, quæ ab *Epiphanio* recensentur, homine, qui admodum iuvenis stipendia in eisdem castris fecerat? Nemo certe erit tam vesanus & imprudens, ut arbitretur, doctores primæ

Chri-

Digitized by Google

Chtiſtianorum eccleſiæ ex compoſito coinquinaſſe mendaciis fictionibusque teterrimis univerſam diſſentientium multitudinem, ut credat, ipſos, veritati palmariæ addictos, eamque nece ſui confirmare paratos, in fraudes, convicia, & mendacia, prorſus exſtitiſſe effuſos & proiectos, ut opinetur, ipſos in rebus graviſſimi argumenti amorem, cuivis alii debitum, penitus ex animo eieciſſe, ſuſpicionibus improbis dediſſe locum, credulitati ſtuduiſſe, & ignorantiæ veſtigia ubique ſparſiſſe. Si hac veſania uti liceret in profligandis Hiſtoricorum veterum teſtimoniis, laboraret ſane atque corrueret omnis fides hiſtorica. Simonianos & Gnoſticos flagitiis fuiſſe operatos, tradunt teſtes & complures, & mente ſana præditi, & in hac cauſa concordes. Ipſos autem virtutibus ac inprimis temperantiæ & caſtitati operam ſuam impendiſſe, regulasque ea fini ſeveriores præcepiſſe, refert nemo z). Eſt ridiculum, ad ea, quæ habemus, teſtimonia nihil niſi dubitationes afferre, quærere alia, quæ habere non poſſumus, & de Patrum Eccleſiæ primæ ſincera fide tacere, monumenta vero Gnoſticorum ac Simonianorum, quæ perierunt, flagitare. Licet vero hic haud ſimus ſoliciti, an *Simon* ille *Magus*, cuius ſit in *Actis Apoſtolicis* mentio, exſtiterit ille hæreſiarcha, e cuius lacunis biberunt Gnoſtici, nec ne, illud tamen fateri debemus, argumenta *Thomæ Ittigii* a), & *Io.*

z) Conf. B. *Thomæ Ittigii Selecta Capita Hiſt. Eccl. Sec. I Cap. V* §. *11 pag. 265*, §. *22 pag. 283*.
a) Loco laudato *Cap. V* §. *23 pag. 284*.

Digitized by Google

Io. Laur. Moshemii, b) ita nobis videri comparata, ut eis accedere nobis haud ſit religioni, licet *Iſaacus Beauſobrius* denuo admiſerit diſcrimen c), a *Campegio Vitringa* d) expoſitum.

XI. Præcipue autem ea ſententia eo nomine fit probabilis ac ſuffragiis digna, quod *Simon Magus* ille, de quo *Lucas* expoſuit, ambitione ac arrogantia exſtiterit pleniſſimus, videlicet animo æquo paſſus, ut Samaritæ, quos ventoſa Philoſophia orientali deceperat, in eius laudem exclamarent: *Hic eſt vis illa Dei magna, Actor. VIII, 10.* Voluit enim videri eſſe Meſſias, immo Deus. Eandem arrogantiam *Simoni* hæreſiarchæ tribuerunt Patres primæ Eccleſiæ. *Hieronymus* in *Matthæi XXIV, 5*, teſtis eſt, *Simonem* libris ſuis inſcripſiſſe: *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. Simonem* & *Cleobium* diſcipulum venenatos libros *nomine Chriſti* ac diſcipulorum eius compoſuiſſe atque circumtuliſſe, memoriæ proditum eſt in *Conſtitutionibus Apoſtolorum Lib. VI cap. 15 pag. 345* e). Ipſe *Simon* hæreſiarcha ſeſe vocavit *ſtantem* f), id eſt, a potentia labendi

b) In Diſſ. de *Uno Simone Mago*, Helmſt. 1734, 4.
c) *Hiſtoire critique de Manichée & du Manichéiſme Tom. I Lib. I cap. 2 pag. 259.*
d) *Obſerv. ſacr. Lib. V cap. 12 pag. 159.*
e) *Tom. I Patrum Apoſtolicorum Cotelerii.*
f) *Clemens Alexandrinus Strom. Lib. II pag. 383:* Οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Σίμωνα, τῷ ἑςῶτι, ὃν σέβουσι, ἐξομοιοῦσθαι τρόπον βούλονται.

di in peccatorum sordes immunem g), ac semper viventem.. *Stantem* fuisse vocatum, constat non solum ex *Clemente Alexandrino*, sed etiam ex *Recognitionibus Clementis Lib. I cap. 72 pag. 504*, *Lib. II cap. 7 pag. 11*, *Lib. III cap. 47*, ac *Clementinis Homiliis II cap. 22, 24, XVIII, cap. 6, 7, 12, 14*, & *Epitome n. 25.* Eadem impudentia insignis exstitisse perhibetur *Dositheos*, eius primo præceptor, deinde autem discipulus. *Dositheani* enim libros magistri, qui sese dixit *Christum Prophetarum*, circumtulerunt, & fabulas de eo narrarunt, fingentes inter alia, ipsum haud degustasse mortem, sed alicubi degere in hac vita h). *Irenaeus* refert i), *Simonem* hæresiarcham dixisse, *semet ipsum esse super omnia Deum.* *Augustinus* addit k), ipsum eo blasphemiæ progressum esse, ut dixerit, se in monte Sinai legem dedisse Iudæis in persona patris, tempore *Tiberii* in filii persona putative apparuisse, ac postea in linguis igneis ut Spiritum sanctum super Apostolos venisse. *Tertullianus* l) refert, *Simonem ausum esse se summam dicere virtutem, id est, summum Deum.* *Menander* eadem sentiendi protervia, eodem *Tertulliano* teste, *se esse dixit, quicquid Simon se dixerat.* Discipuli certe *Simonis*, teste *Alexandrino*, morem eius volebant imitari. Statuerunt enim hi, dari

g) *Cotelerius* ad *T. I Patr. Apostol. pag. 504.*
h) *Origenes T. XIV in Ioannem pag. 219 seq.*
i) *Lib. II cap. 9, Lib. I cap. 20.*
k) *De Hæres. Cap. I.*
l) *De Præscript. Cap. 46.*

Digitized by Google

dari *ὀχήματα, corpuscula externa*, per quæ mentes varie assumta procederent in terris. Licet vero videretur *Simon* docere Trinitatem; ipse tamen tria duntaxat nomina admisit m), crepans ea, quæ haud intelligebat. Cum vero mens aliud aliudque vehiculum ex opinione *Simonianorum* ingrederetur, videntur inde enatæ theogoniæ, seu recensiones variæ, de mente illa suprema efficæ, quas *Gnostici* & *Valentiniani* crepuerunt, & Theologiæ suæ obscurissimæ inseruerunt.

XII. Tantopere autem Philosophi eius ætatis addicti erant impuris libidinibus, ut, consuetudini litandum, corporisque oblectationibus velificandum, esse, sibi persuaderent. *Zeno* ipse *Citticus*, severus morum præceptor, ac Stoicorum princeps, qui, Rege *Antigono* iudice, nihil unquam humile admisit, pueris usus est & ancillula ad rem veneream explendam. *Diogenes Laertius* de eo hæc memoriæ prodidit n): *Παιδαρίοις τε ἐχρῆτο σπανίως, ἅπαξ ἢ δὶς τῷ παιδισκαρίῳ τινὶ, ἵνα μὴ δοκοίη μισογενὴς εἶναι. Pueris usus est raro, semel aut bis fortasse ancillula quadam, ne videretur odisse sexum.* Libido vaga, a Magis & Gnosticis exercita & approbata, ad membra Ecclesiæ Christianæ nonnulla transiit. Notæ sunt gravissimæ *Cypriani* dehor-

m) *Append. Can. Apostol. 50, Cotelerius T. I Patr. Apostol. pag. 355.*

n) *Lib. VII pag. 443* edit. Colon. Allobrog. 1616, 8.

Digitized by Google

dehortationes, ad illam impuritatem eiiciendam prolatæ. Afferemus in medium & unam & alteram, ne Lector putet, sibi fucum fieri a nobis. *Cyprianus* ita disserit *Ep. 13*: *Quid deinde illud? Quam vobis execrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu & dolore cognovimus. Non deesse, qui Dei templa & post confessionem sanctificata, & illustrata prius, membra turpi & infami concubitu suo maculent, cubicula sua cum fœminis promiscua iungentes, quando, etsi stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipso grande crimen est, quod in illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur.* Detestatur *Cyprianus Ep. 4* virgines, cum Diaconis rem habentes. Serio scribit *Ep. 14* hunc in modum: *Doleo, quando audio, quosdam Christi membra & iam Christum confessa per concubitus illicitos inquinare.* In *Epistolis 6* & 7 vitium illud, nimis illi ætati familiare, magnopere reprehendit & notat. Græci solent homines, qui omnia deliciis & commodis huius vitæ metiuntur, ψυχικὺς appellare *1 Cor. II, 14*, ita dictos ex voce ψυχὴ, quæ hanc *vitam* designat *Matth. VI, 25*. Quo ipso evidens & luculentum, Gnosticos & Magiæ affectatores fuisse omnino *psychicos*, siquidem ipsi flagitiis & mollitiei erant deditissimi. *Plato* ipse a flagitiis maximis haud liber est pronuntiandus, siquidem ipse pæderastiam approbavit, ratus, hanc Veneri cœlesti & antiquiori in acceptis esse ferendam; amorem vero, inter marem & fœminam conciliari solitum, Venere a iuniori profluxisse & exortum

esse

Digitized by Google

esse o), quippe minoris habendum. Dum enim Philosophi Orientales, originem mali in corporibus sitam esse, existimabant, amoris nefandi impuritates haud evitari posse credebant, earumque causa animum ipsum reddi immundum, haud semper inficiabantur. Exstat fragmentum Dissertationis *Valentini*, in qua originem mali ex materia, seu corporum indole, derivat p). Cum vero Græci eos homines appellarent ψυχικὲς, *psychicos*, qui instinctum animæ q) naturalem sequuntur, non possumus, quin impuros illos amatores, quos designavimus, vocemus *psychicos*. At ea impudentia erant Philosophiæ orientalis assectatores, ut Christianos, puritati animæ corporisque studentes, ac sinceritati doctrinæ Evangelicæ addictos, vocarent *psychicos*; se autem appellarent πνευματικὲς, seu *spirituales*. De Valentinianis *Epiphanius* in eorum *Hæresi*, quæ est *tricesima prima*, ita tradidit: Τρία τάγματα καλἒσιν εἶναι ἀνθρώπων, πνευματικῶν, ψυχικῶν, σαρκικῶν. Τὸ δὲ τάγμα τὸ πνευματικὸν ἑαυτὲς λέγυσι. *Tres hominum ordines esse docent, spiritualium, animalium, & carnalium. Ordinem autem spiritualem*

Ee 2

o) In *Symposio pag.* 318, 323.

p) In editione *Irenæi*, a *Massueto* adornatæ, *pag.* 354.

q) Inde corpus nostrum, appetentiæ sensitivæ conformatum, vocatur ψυχικὸν, *1 Corinth. XV*, 44. *Plato* animæ nostræ attribuit tres facultates, τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ λογικὸν, & τὸ ψυχικὸν, in *Timæo pag.* 528.

Digitized by Google

lem sese dicunt. De Gnosticis eadem retulit *Clemens Alexandrinus* r), ne quid de *Irenæo* s) adiungam. Attribuerunt Gnostici sibi præterea magnificas *perfectorum & cognitione præditorum* t) appellationes, arrogantiæ adeo pleni, ut perhiberent, ea Deum ipsis patefecisse, quæ sacris literis haud fuerint patefacta u). Quantus igitur fastus & quanta flagitiorum impuritas sectam familiamque *Simonis* obsederit, nemo non hinc colliget atque deprehendet. Addimus itaque iudicium nostrum, merito illos homines, qui sese *pnevmaticos*, seu *spirituales*, appellabant, psychicos esse denominandos, arbitrati.

XIII. Quæris, Lector, quomodo sententiæ, ex sentinis Philosophorum orientalium depromtæ, tantis involutæ impuritatibus, potuerint in candidissimos Christianorum mores transire? Id enim dubitationibus videtur plenum & circumfusum, quomodo fieri potuerit, ut antistites & presbyteri ecclesiarum, passim in honorem Christi collectarum, lolium illud & vitæ impuritates illas haud statim in primordiis profligaverint, & procul esse iusserint. At vero Apostoli, eorumque in oeconomia gratiæ verbique divini administranda successores, non adhibuerunt arma, vim externam, aut severiora remedia, ut ipsi teteros errores atque flagitia intoleranda exterminarent. Et quis, quæso, in dies obire & numerare po-

terat

r) *Stromat. Lib. IV pag.* 511.
s) *Lib. I Cap.* 1.
t) *Clemens Alexandr. Lib. I Pædag. Cap.* 6.
u) *Theodoretus in* 1 *Tim. VI pag.* 490.

Digitized by Google

terat Christianos; latebant ipsi hic illic per oppida, vicos, agros, libere ipsi Christo dederant nomen, libere eidem professioni renuntiare poterant. Nemo autem tam est cautus, ut suspicetur statim, doctrinis, speciose propositis, ac per fucum, virtuti substitutum, instillatis, subesse venena & pestiferas opiniones. Nemo tam est prudens, qui primo conspectu fratres falsos a genuinis possit discernere. Ipse *Simon Magus* fefellit vultu ad pietatem composito *Philippum*, qui Samariæ incolas ad Christum adduxit x). Licet enim traheretur *Simon* intrinsecus per verbum auditum, & extrinsecus per miracula, tunc edita, ad doctrinam Christianam, & huic assensum præbere cœpisset; animus tamen ipsius nondum ad fidem radicibus defixam fuerat admotus. Qui ex ipsius familia & contubernio prodierant, eiusdem artificii, in simulando ac dissimulando positi, satis erant gnari ac periti, tantum abest, ut doctrinas suas impuriores & singulares citra velum & arcanos anfractus manifestaverint. Fraudes & imposturæ haud ferunt lucem promte immissam, & respuunt sinceram simplicemque recensionem. *Mæandris* & circuitionibus opus est, quamprimum errores fœdi videntur propagandi, & cum collegiis novis communicandi. Quapropter haud est mirandum, Gnosticos & *Simonis* assectatores eadem mente & methodo usos fuisse. Ipsi certe rationem promovendæ doctrinæ suæ ita clanculum instituerunt, ut primi scriptores ecclesiastici ne

x) *Actor.* VIII, 13.

quidem accurate satis in originem ipsorum potuerint penetrare. *Nicolaitas* iam reprehendit *Ioannes* in *Apocalypsi* y), ac priores rei sacræ scriptores in albo hæreticorum collocarunt. Si licentiosum vivendi genus & flagitia, quæ ipsi usibus humanis permittebant, inspiciamus, ac ea, quæ scriptores secundi, tertii, ac quarti, Seculi de eis memoriæ prodiderunt, haud negligenda existimemus z); tum inducimur penitus ad credendum, latitasse in Nicolaitarum erroribus propaginem quandam Philosophiæ orientalis atque Gnosticismi. *Epiphanius* certe, eos ex Gnosticis ortos, perhibuit in *Haresi 26*. *Irenaus* Nicolaitas & Carpocratianos ex *Carpocrate* deduxit, hosce autem a *Menandro*, *Simonis* discipulo a), derivavit. Quæ *Clemens Alexandrinus* de turpitudine ac lascivia, *Carpocratianis* probata, docuit b), satis conveniunt cum eis, quæ *Epiphanius* aliique Gnosticis attribuerunt. Hæc animi mollities & lascivia Gnosticorum ac *Simonis* discipulorum causa exstitit, cur ipsi negarent, Christianis subeundos esse pro confessione doctrinarum Christi cruciatus c). *Manes*, eandem sentiendi libidinem secutus, ad lapsos reci-

y) *Cap. II, 6.*

z) *Io. Laur. Moshemius* in *Demonstratione Sectæ Nicolaitarum* in *Vol. Dissertat. Hist. Eccl. pag. 395 seq.* ac *Cotelerius ad Constitut. Apostol. Lib. VI cap. 8 pag. 356 seq. T. I Patrum Apostol.*

a) *Lib. III cap. 4.*

b) *Strom. Lib. III pag. 430.*

c) *Tertullianus libro adversus Gnosticos de Bono Martyrii Cap. I pag. 824,* & in *Scorpiaco.*

Digitized by Google

recipiendos admodum fuit promtus & facilis, gloriatus, sese Christo esse magis misericordem d). Ne tamen supervacuum existimaretur, profiteri doctrinas Christi, Gnostici & Valentiniani crediderunt, animas fidelium Christi, corpore solutas, in cœlum quidem ferri, sed per varias cœlorum sedes distineri, donec confessionem nominis Christi coram Potestatibus & Spiritibus, ibi degentibus, faciant. Quare supervacuum putarunt, confessionem illam edi inter pericula in terris. Refellit eos *Tertullianus* in *Scorpiaco*, opere extremis vitæ annis composito, & inprimis verba Christi, *Matth. X, 32, 33*, perscripta, illis opposuit. Molliculæ eiusmodi doctrinæ non potuerunt non hominibus effœminatis, & naturalem vitam degentibus, vitæque huius studiosis, placere. Quod ipsum indicio est, hæreticos hosce in mores animosque Christianorum nonnullorum facillimo negotio sese insinuare potuisse. Ne quid dicamus de corruptissimis summorum virorum, qui cum imperio erant ea ætate, moribus, quorum exempla in teneros moratiorum animos transire solent. Quid *Trimalcion Petronii Arbitri* admiserit flagitiorum, qui fuit ipse Imperator *Claudius* e), dici non debet. In spectaculis Romanorum impuritates nefandas impune fuisse commissas, auctor est *Cyprianus* f). Morem illum seculi

 a Phi-

d) *Photius Lib. I contra Manichæos §. 8 pag. 24 seq. T. I Anecdotorum Græcorum I. C. Wolfii.*
e) *Acta Eruditorum Lat. A. 1729 pag. 230.*
f) *De Gratia ad Donatum pag. 6* edit. Brem.

a Philosophis orientalibus, *Simone*, *Menandro*, *Carpocrate*, Gnosticis, atque Nicolaitis, fuisse approbatum, e veterum testimoniis perspicimus. De Nicolaitis quæ protulit g) *Eusebius*, ea fortassis uno alteroque nævo laborant, hoc tamen indicant, exstitisse homines Apostolorum ætate, qui existimaverint, carne hominem abuti, simul vero spiritu posse crescere, *ψυχὴν δὲ αὔξειν διὰ πίστεως καὶ γνώσεως.* Sapiunt hæc Philosophiam orientalem, ex qua hæreses primæ propemodum ad unam omnes in ecclesiam Christianam irruperunt. Qui hisce dogmatibus erant immersi, poterant procellas persecutionum ac insectationum evitare, siquidem ipsi magis delectabantur iucunditate & conservatione huius vitæ, quam impetratione eius, quæ hanc vitam est exceptura. Solebant Proconsules Romani, in provinciis Christianos ad defectionem solicitantes, Christianis occlamare: *Serva animam tuam, noli animam tuam perdere* h). Solebant ipsi eos, qui simulabant, sese Christianos esse desiisse, vel iam desciscere a Christo, impellere, ut Christo maledicerent, & thura Diis & Imperatori adolerent i). Ipsi igitur, qui Philosophiæ orientali nomen dederant, hisce periculis sese callido invento subduxerunt. Maledixere enim ipsi Christo, & sese dixerunt Iudæos, quibus quippe libera erat religionis suæ professio k), rati, sese

g) *Hist. Eccl. Lib. III cap. 29.*
h) *Tertullianus* in *Scorpiaco Cap. 11.*
i) *Plinius Lib. X Ep. 97, Eusebius Hist. Eccl. IV, 14.*
k) *Apoc. II, 8.*

Digitized by Google

sese labiis isthæc proloqui, animo autem doctrinis Christi manere affixos, quem errorem satis tetrum iam profligavit *Paulus* 1), docens, neminem posse Iesum habere pro domino suo, ipsum invocare, doctrinam eius profiteri, eique obedire, nisi qui spiritu sancto sit illuminatus & emendatus; neminem porro proloqui quidquam posse in coniunctione & gratia Spiritus sancti, qui Iesu maledicat. Iudæi eos, quos e suis Christo nomen dedisse suspicabantur, eadem ratione ac Romani coegerunt, ut in Iesum maledicta & gravissimam imprecationis formulam conferrent, *Act. XXVI, 11.* *Simonis* vero assectatores & Gnostici, scenæ inserviendum, & tempori cedendum esse, existimantes, fluctus & discrimina persecutionum illarum omnium tuti evitarunt, quæ quidem agendi ratio, hominibus sibi relictis perquam grata, non potuit non permultis, huius vitæ gaudia amantibus, arridere, sectæque amplificandæ singularia suppeditare adiumenta.

XIV. Superest, ut ostendamus, alumnos Philosophiæ orientalis, ad castra Christianorum progressos, *Christum abnegasse.* Id vero levi, opinor, opera extra omnem controversiam poterit collocari. Ipsi enim Christum abnegarunt tum per doctrinarum suarum complexum, tum per institutionem vitæ, & securæ, & in pericula cruentæ confessionis coniectæ. Abnegarunt illi Iesum per doctrinas suas ratione haud una. Negarunt ipsi, Iesum esse verum hominem, si-

E e 5 gni-

1) *1 Cor. XII, 3.*

Digitized by Google

quidem sibi persuaserant, Iesum haud assumsisse ex utero *Mariæ* virginis verum corpus humanum. Negarunt ipsi, Iesum re vera in corpore humano infestissima esse perpessum. Negarunt ipsi, Iesum re vera vitam resumsisse, atque e sepulcro resurrexisse. Hasce actiones Christi singulas ipsi putarunt tales quidem apparuisse, at, illas a corpore humano, eoque vero, esse susceptas ac peractas, negaverunt. Qui vero humanam Christi naturam negat, is merito dicitur Iesum negare. Ipsi vero ad hæc opinionum monstra præcipitati fuerunt ex amore, quo doctrinas Philosophiæ orientalis susceperant, quibus iubemur corpus finitum & humanum quodcunque in peccati loco ac habitaculo deputare. Disserui ac præmisi iam supra unum & alterum, quod hic nobis poterit esse demonstrationis adiumento (§. 3). *Ioannes* Apostolus & *Ignatius* huic Docetarum opinioni iam contradixere, & argumenta opposuerunt præstantissima. Unde facile patet, ad ætatem *Iudæ* Apostoli hosce errores iam pertingere, & per Christianorum coetum iam fuisse disseminatos, antequam *Petrus* alteram conscriberet Epistolam, ex qua quippe *Iudas* nonnihil desumsit. Ut vero fidem faciamus dictis, & abnegationis illius speciem exstitisse inter Philosophiæ orientalis patronos, doceamus, in medium nonnulla testimonia, e veteribus decerpta scriptoribus, proferemus. *Hippolyti* testimonium est evidens, quod ex eius *Oratione de distributione talentorum* produxit *Theodoretus* m), ubi

p de

m) *Dial. II pag.* 88.

Digitized by Google

de Gnosticis ita exponitur: Θεὸν ὁμολογῦντες, ἀναίνονται τὸν ἄνθρωπον, πεφαντασιωκέναι διδάσκοντες τὰς ὄψεις αὐτῶν τῶν θεωμένων, ὡς ἄνθρωπον, ἐ φορέσαντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησίν τινα φαντασιώδη μᾶλλον γεγονέναι, οἷον ὥσπερ Μαρκίων καὶ Ουαλεντῖνος, καὶ οἱ Γνωςικοὶ τῆς σαρκὸς ἀποδιασπῶντες τὸν Λόγον. *Deum confitentes, hominem negant, docentes, eum fallaci specie spectantium oculis apparuisse, velut hominem, cum verum hominis corpus non gestaverit, sicut Marcion, & Valentinus, & Gnostici, verbum a carne divellentes, docuerunt. Simon Magus, Cerinthus, Menander, Gnostici, Carpocrates, Cerdon, Saturninus, Basilides, Valentinus, Bardesanista Marinus,* n) & quotquot doctrinam Philosophiæ orientalis de origine mali, corporibus tribuenda, & ab Arimanio deducenda, amplexati fuerunt, non potuerunt, quin, Iesum vero corpore humano destitutum fuisse, sibi persuaderent. Non est, quod quisquam intercedat, dictitans, hæresin hanc ab Apostolico ævo esse alienam. Succurrit enim commodum *Hieronymus*, qui causam nostram adiuvat, ac sic tradit o): *Apostolis adhuc in seculo superstitibus, adhuc apud Iudaeam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur. Ioannes* certe Apostolus hosce

n) *Iosephus Blauchinus* ad *Enarrationem Pseudo-Athanasianam in Symbolum pag.* 48 *seq.* Veronae 1732, 4.

o) *Adversus Luciferianos Cap.* 8.

Digitized by Google

hosce homines, qui vocati fuerunt *Docetæ*, iam refellit, falsosque prophetas appellavit. Ipsi cognomentum traxere ἀπὸ τῆς δοκήσεως, eo quod docebant, Christum caruisse corpore humano vero, *visum* vero *fuisse* & *apparuisse* in specie corporis phantastica. *Ioannes 1 Ep. IV, 1, 2, 3*, ita docuit: *Dilecti, ne cuicunque spiritui* (doctori) *fidem habete, sed exquisitione debita explorate illos spiritus* (doctores), *num ex Deo sint. Quoniam multi falsi prophetæ exiverunt in mundum*, ad alios decipiendos. *Hoc* indicio *agnoscitis spiritum Dei* (doctorem Deo probatum, in quo spiritus Dei habitat, perque eum homines docet,); *omnis spiritus* (doctor), *qui confitetur Iesum Christum, qui in carne* (in vero corpore humano, in assumta humana natura,) *venit, ex Deo est* (divina auctoritate & veritate instructus). *Omnis vero spiritus* (doctor), *qui haud confitetur* (confessione sua amplectitur) *illum Iesum Christum, in carne* (vero corpore humano) *nuper venientem, ex Deo non est. Et hoc est* (dogma) *illud, Antichristi illius proprium, quod audivistis. Certe venit, & nunc in mundo iam est* p). *Simonem Magum* indicari per Antichristum, haud abnuent illi, qui norunt, *Simonem* illum sese pro Deo ac Messia venditasse (§. 11). Innotescit ex hoc *Ioannis* loco, iam Apostolica ætate homines exstitisse, qui verum Christi corpus humanum suffragiis suis & assen-

p) Conferendus hic est Ven. *Io. Laur. Moshemius* in *Institutionibus Historiæ Christianæ maioribus Sec. I P. II cap. 5 §. 1 pag. 313.*

Digitized by Google

assensu suo iudicarunt indignum. *Polycarpus* verba *Ioannis* repetivit in *Epistola* sua *Cap.* 7, discipulus videlicet *Ioannis*, licet nulla sensus discrepantia scripserit ἐληλυθέναι, cum apud *Ioannem* legitur ἐληλυθότα q). Indicat *Ioannes*, Philosophos illos ex familia Dei ac Christi, ἐκ τοῦ Θεοῦ, haud esse, sed de mundi familia ac grege, ἐκ τοῦ κόσμου, progressos fuisse. *Polycarpus* & *Ignatius* nulli pepercerunt operæ, ut Docetarum errores refellerent, atque ex animis hominum, ad avia abstractorum, auferrent r). Superest porro, ut ostendamus, affectatores Philosophiæ orientalis, qui Christianos turbabant coetus, abnegasse etiam filium Dei, seu eius divinam naturam & personam. *Simon Magus* trinitatis fuit osor, tria tantum nomina largitus, doctrinam ipsam de trinitate aversatus. *Cerinthus*, eiusque asseclæ, divinam Christi naturam negarunt, eique tribuerunt coeleste corpus, perfectiori anima perfectionibusque quibusdam divinis, instructum s). *Valentinus* & Valentiniani persuaserunt sibi, Christum spirituale nescio quod corpus de coelo detulisse, & per *Mariam* ritu aquæ per fistulam transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuatum. Testes cito *Epi-*

q) *Iac. Henr. Balthasar* in *Doctrina Polycarpi de Præcipuis Christianæ fidei capitibus cap.* 3 §. 8 *pag.* 126 *seq.*

r) *Suicerus* in *Thesauro ecclesiastico* sub Voce Λόγος *pag.* 1260 edit. prim.

s) *Irenæus I*, 26. Christum vocarunt illam perfectionem divinam, a Iesu mobilem ex sententia ipsorum.

Digitized by Google

Epiphanium in *Heresi 31*, *Theodoretum Præf. in Dialogum* ἄτρεπτος *pag. 2*, & *Haret. fab. Lib. V cap. 11 pag. 278. Augustinum de Heresibus Cap. XI.* Ex Gnosticis ipse suarum sententiarum portenta hauserat *Valentinus*, teste *Irenaeo I, 5.* Quoniam vero *Simon*, *Menander*, *Carpocrates*, Gnostici, ac Valentiniani, vitam molliorem & flagitia approbaverunt, suisque permiserunt, pietatem, a Christo præscriptam, eiusque vitam sanctissimam, ipsi simul repudiarunt, & hanc ob causam Christum quoque vitæ suæ rationibus abnegare non dubitarunt.

XV. Angelorum miras virtutes ac effecta stupenda sectatores Philosophiæ orientalis laudibus evexerunt, rati, ab eis mundum fuisse creatum, ipsosque subinde rem cum mulieribus habere. Chaldæorum Magi, aerem plenum esse *idolis*, præceperunt t). Ipsi Dæmonibus suis, quos dixere puros, & malæ materiæ germina utilia ac bona, tribuerunt corpora ignea, aerea, aliaque crassioris modi, locis, quibus eos commorari arbitrabantur, adaptata u). Magi Persarum differere consueverant de essentia & generatione Deorum, teste *Diogene Laertio* in *Prooemio*. *Lucianus* induxit Chaldæum quendam Philosophum *Mithrobarzanem*, varia mussitantem, & dæmonas x) invocantem. Manichæorum dog-

t) *Diogenes Laertius in Proœmio Segm. 7.*
u) *Thomas Stanleius* in *Hist. Philos. orient. Sect. II Cap. 17.*
x) In *Dialog. Mortuorum LXX pag. m. 223.*

Digitized by Google

dogmata, e Persarum philosophicis doctrinis decerpta, exposuit *Michael Psellus*, commentatus de dæmonibus, seu angelis, admodum multa y), eosque per singulas mundi partes diffusos docens. *Simon Magus*, arva sua ex Philosophiæ orientalis doctrinis rigans, *Deum fecisse mundum* z), negavit, credens potius, mundi originem angelis esse tribuendam. Quam sententiam amplexati etiam fuerunt *Menander*, *Basilides*, ac Manichæi. *Menander*, *Simonis* discipulus, & in secta successor, ab angelis mundum fuisse conditum, æque tradidit. Advoco testes *Irenæum I*, *23*, §. *5*, *Eusebium Hist. Eccl. III*, *26*, ac *Theodoretum adversus Hæreses I*, *2*. Si coniecturas liceat immiscere, hi angeli, ab hæreticis mundo creando præfecti, principio malo, seu Arimanio, fuerunt subiecti atque obnoxii. Mundum enim adspectabilem universa Philosophiæ orientalis schola pro malorum causa & materia reputavit. *Prædestinatus* aliquis apud *Sirmondum* a) refert, *Menandrianos testari, mundum non a Deo, sed ab angelis, factum esse.* Addit idem, & *Cerinthianos, a Cerintho ortos, dixisse, mundum ab angelis esse factum*. *Menandri* illius *Simoniani* affectator, *Saturninus*, eundem erravit errorem b). Plura qui hac de re scire avent, eos di-

y) In *Dialogo de Operationibus dæmonum pag. 61 seq.*

z) *Augustinus de Hæresibus Cap. I*, *Theodoretus Lib. I Hæret. Fab. Cap. I*, *Irenæus Lib. I adversus Hæreses Cap. 23* §. 2.

a) *Operum variorum T. I in Lib. I de Hæresibus Hæres. II & Hæres. VIII.*

b) *Tertullianus de Anima Cap. 23.*

dimittendos censeo ad Cel. *Iacobi Ode*, Professoris Traiectini, *Commentarium de Angelis*, limatissime solideque concinnatum, *Sect. II cap. 4* §. *16 pag. 287 seq.* Dæmonas vero, seu Angelos, in commercia fœminarum ferri, adeo est vetustus lateque patens error, ut & Alexandrini Interpretes in *Gen. VI, 4*, Autor libri *de Egregoris* satis antiquus c), & *Tertulliano* vetustior, *Iustinus Martyr*, *Tertullianus*, aliique Patres Ecclesiæ primæ, illum impetu cœco fuerint secuti. Solebant sacerdotes gentium, a vera religione aversarum, commercia Deorum ac Dæmonum iactitare, ea etiam fini, ut fœminas generosiores, forte gravidas redditas tempore minus opportuno, ex Deo, vel benigniori Dæmone, concepisse dictitarent, atque ignominiæ, alioquin inde eventuræ, mederentur. Succurrit iam memoriæ exemplum *Olympiadis*, ex qua *Alexander Magnus* fuit natus, nec non matris *Scipionis Africani* d). Nec videtur necessarium, plures afferre de re alias haud ignota exemplorum commemorationes.

CAPVT II,

QVO DEMONSTRATVR, EPISTOLAM IVDAE OPPOSITAM FVISSE ASSECTATORIBVS PHILOSOPHIAE ORIENTALIS, CHRISTIANOS SESE PROFITENTIBVS.

§. XIV. *Recensentur indicia luculentiora ex Epistola.*
XVII. *Conformantur ea doctrinis Simonianorum &*

c) In *Io. Alb. Fabricii Codice pseudepigrapho V. T. pag. 179 seq.*
d) *Gellius Noct. Attic. VII, 1.*

Digitized by Google

& Gnosticorum. XVIII. *Ex clarioribus momentis exponuntur nonnulla obscuriora.* XIX *Quæritur, cur Iudas Iesum Christum vocaverit solum Dominum Deum & Dominum nostrum.* XX. *Exponitur ratio, cur Iudas vocaverit eos, quos refellebat,* μεμψιμοίρους. XXI. *Indicatur modus, per quem illi iniurii exstiterunt in angelos.*

XVI. *Iudas* Apostolus præmunit fideles Christi servos ac assectatores adversus opiniones eorum perniciosas, qui aliunde irrepserant in ecclesiam Christianam, ac variis erroribus & mentes & vitæ rationes turbabant, *v.* 4. Hos ut curate possimus noscere, in eis ipse notat sequentia opinonum portenta;

1. Ipsi, gratiam in Christo conspicuam consistere posse cum impudicitia, & liberiori vitæ genere, delirabant *v. 4.*

2. Ipsi solum Dominum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum abnegabant *v. 4.*

3. Ipsi sese tuebantur exemplo angelorum, quos *Ioannes* eapropter haud impune peccasse tradit *v. 6.*

4. Ipsi pæderastias & impuras libidines sectabantur, quare supplicium Sodomitarum, consimilia flagitia admittentium quondam, eis ob oculos ponit *Iudas v. 7.* Ipsi certe carnem maculabant *v.* 7, & carnis pollutam tunicam a sese haud procul esse iubebant *v. 23.*

5. Ipsi statuebant, magistratum & eos, qui ceteris gloria ac auctoritate præstant, haud admodum esse reverendos, sed quemque a suo arbitrio & sua γνώσει pendere, *v. 8, 9.*

Digitized by Google

6. Ipsi obnitebantur ductoribus ecclesiæ Dei instar Coræ, & Bileamum imitabantur per deductionem filiorum Dei ad libidines degustandas, *v. 11.*

7. Ipsi conviviis & voluptatibus delectabantur, spumantes & gloriantes spurcam pudendamque libidinem suam, *v. 12, 13, 16, 18.*

8. Ipsi blasphemabant Deo summo, ac duriora contra eum pronuntiabant, *v. 15.*

9. Ipsi in causa erant, ut separarent sese multi a cruce Christi, & fragiles mundi delicias ardentius amplecterentur, quam ob causam vocantur *ἀποδιορίζοντες, homines, qui ad terminum præfixum progressuros impediebant, ac inde abstrahebant, v. 19.*

10. Ipsi sese vocabant *spirituales*, reliquisque nomen *psychicorum* imponebant. Apostolus vero ipsos vocat psychicos, spiritu carentes, *v. 19*, ac fastum ipsorum retundit.

XVII. Si hasce notas ad Philosophiæ orientalis affectatores, qui Christianos coetus ad errores suos avocare studebant, applicaverimus, non ovum ovo est similius, quam indicia illa congruunt *Simonis* familiæ ac Gnosticis, Philosophiam orientalem amplexis.

1. Ipsi enim Gnostici ac *Simonis* affectatores delirabant, hominem Deo posse gratiosum & probatum esse, licet flagitiis & voluptatibus corporis explendis strenuam navet operam. (§. *8, 10.*)

2. Ipsi solum Dominum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum abnegabant, dum, eum in *Simone* ac *Menandro* inesse, sibi persuaserunt (§. *11*),

Digitized by Google

(§. 11), dum Christi verum humanum corpus sustulerunt, divinam vero eius naturam vel negarunt, vel perperam exposuerunt, ac eiusmodi vitæ rationibus addicti fuerunt, quæ cum doctrina Christi stare nequeunt (§. 14).

3. Ipsi angelis bonis exercitia voluptatum nefandarum attribuere haud fuerunt veriti (§. 15).

4. Ipsi in omnes libidines erant effusi, atque nihilo minus videri volebant sapientiæ veræ innutriti. (§. 8, 10.)

5. Ipsi iniurii erant in Deum, in angelos, & in magistratus civiles. In Deum erant iniurii, docentes, mundum ab angelis esse creatum (§. 15), *Simonem*, *Menandrum*, & eorum successores, esse adspectabiles Deos (§. 11), mundum corporeum pendere a principio malo, Deique providentia esse indignum (§. 3). In angelos erant iidem iniurii, dum eis libidines attribuebant nefandas (§. 15), ipsos credebant humanum genus adstrinxisse ad opera per sese haud iusta, ut hoc in servitutem redigerent (§. 10), eos mundi esse creatores ferebant, & mala in mundo obvia ab hisce, Arimanio subditis, derivabant (§. 15). In magistratus civiles ipsi erant iniurii, dum, mundum hunc, eiusque imperium externum, Arimanio, seu principio malo, subiectum esse, docebant (§. 3), ideoque, magistratus a Deo ter Optimo Maximo constitutos fuisse atque conservari, negabant.

6. Ipsi, Apostolis Christique doctoribus sese sapientiores & peritiores esse, rati, doctrinæ Apostolicæ simplicitatem evertere conabantur,

Digitized by Google

arrogantes sibi cum Cora id muneris, quod Deus eis haud demandaverat. Quemadmodum vero *Bileamus*, mercedis amans, Israelitas ad sacra Midianitarum nefanda & libidinum sentinas deduxit, ut ipsos a victoriis reliquis & possessione regionis promissæ arceret; ita affectatores Philosophiæ orientalis, pseudochristiani, gentem Christi ad impurissimas libidines avocare studebant, hanc a cœlesti patria exclusuri.

7. Quantum ipsi voluptatibus inhonestis & parum decoris indulserint, satis superque a me esse demonstratum, opinor.

8. Blasphemarunt ipsi Deum summum ratione haud una. Nam, mundum ab eo creatum esse, negarunt (§. *15*), mundum adspectabilem & corpora a principio malo esse orta, crediderunt (§. *3*), potestatem & sapientiam legislatoriam eius infregerunt (§. *10*), obedientiam ipsi debitam ob hoc ipsum ei denegarunt, libidines pro legibus secuti, (§. *8*, *10*,) atque opus redemtionis nervis omnibus exuere, atque sua veritate orbare, allaborantes. (§. *3*, *14*.)

9. Ipsi virus suum incautis animis tam speciose infuderunt, ut brevi tempore secta ipsorum invaluerit, & familia Philosophiæ orientalis inter Christianos cœperit regnare.

10. Ipsi nil nisi *spiritum* crepabant, ac sibi nomen *spiritualium* indebant, haud initiatis largientes nomen *psychicorum* (§. *12*). *Damascius*, cuius librum *de Principiis* ex parte edidit beatus *Ioannes Christophorus Wolfius*, ex Philosophia vetustissima, eaque orientali, produxit obscu-

ſcuriſſimas opiniones, & *νόον*, ſeu *mentem*, *ſpiritum*, ab *anima* ſæpius diſtinxit. Vide §. *1 pag. 200 Tom. III Anecdotorum Græcorum Wolfii.*

XVIII. Cum vero id haud ſit in dubitationem revocandum, quod ſupra demonſtravimus, ſcilicet aſſectatores Philoſophiæ Perſicæ, Simonianos & Gnoſticos, caput iam extuliſſe ea ætate, qua *Ioannes*, *Petrus*, & *Iudas*, adhuc in vivis fuerunt; haud difficulter pateſcit, *Iudam* ab erroribus eorum Chriſtianos defenſurum fuiſſe, atque eam ob cauſam eos tam accurate ſecundum indicia & maculas notaſſe, ut univerſis conſtaret penitus, quinam eſſent illi, a quibus foret cavendum. Quærendum iam eſt, anne ex conſultis Philoſophiæ orientalis, ac Gnoſticorum vita, poſſit nonnihil lucis affundi locis aliquot obſcurioribus, qui in Epiſtola *Iudæ* inveniuntur. *Iudas* illos, quorum doctrinas exitiabiles cenſet fugiendas, aliunde in cœtus Chriſto ſacratos intraſſe docet *v. 4:* *Παρεισέδυσάν*, inquit, *τινες ἄνθρωποι*, *ſubrepſerunt*, *furtim ſubierunt*, *imprudentibus aliis ſe inſinuarunt*; *nonnulli homines.* Unde intelligitur, ſpiritus illos erraticos in eccleſia ipſa nec natos eſſe, nec succreviſſe. Ex Perſide enim & Chaldæa malum illud philoſophicum ſeſe effuderat in Syriam, Phœnicen, Iudæam, & Aegyptum, ac clanculum ſerpſerat per gradus myſteriorum, ac barbarorum vocabulorum ſymbola, donec id ipſam Chriſti eccleſiam infeſtaret. Apoſtoli viderant & audiverant Ieſum, ipſiusque doctrinam & ſpi-

ritus sancti gratiam satis largam gratissima mente repositam tenebant. Quare ipsi argumentum potissimum desumere poterant a traditæ sibi doctrinæ præsidio & auctoritate. *Ioannes* in *priori Epistola IV, 5, 6,* ita disserit contra eos, qui verum Christi humanum corpus negabant: *Ipsi sunt de mundo, ἐκ τȣ̃ κόσμȣ, de mundi secta & grege, propterea loquuntur ex mundo,* ex doctrinis, quas homines, terrestria sectantes, invenerunt. *Et mundus ipsis auscultat. Nos ex Deo,* ex Dei familia & grege, *sumus. Qui Deum illum novit ac veneratur, auscultat nobis,* & doctrinæ nostræ inhæret. *Qui ex Deo non est, nos non audit,* nostramque doctrinam aversatur. *Ex hoc* indicio *agnoscimus discernimusque spiritum veritatis & spiritum imposturæ. Iudas,* Apostolus, provocat ad *doctrinam de fide, sanctis semel traditam, v. 3.* Hanc doctrinam, ex extraordinaria Spiritus sancti operatione animis instillatam, *Ioannes* vocat τὸ χρίσμα, *unctionem illam, quam Christiani a Christo susceperant* c). Ipse suos confirmat ita, ut indicet, ipsos iam nosse omnia, quæ ad veritatem religionis Christianæ, & vitam æternam consequendam, spectent d). Addit itaque e): *Quod ab initio audivistis de veritate cælesti, id in vobis permaneat stabile.* Hoc erat optimum adversus errores novitios antidotum. Præterea *Ioannes* accurate docet, Iesum

c) *1 Io. II, 27. Werneri Meditationes sacræ pag. 130 seq.*

d) *1 Io. II, 20.*

e) *v. 24.*

Digitized by Google

Iesum vero corpore humano fuisse indutum, ipsum esse Messiam, hominem & Deum, sospitatorem & redemtorem. Instillat suis studium sanctitatis, iustitiæ, legisque Dei servandæ: Hortatur eos, ut caveant sibi ab idolis, id est, a consortio eorum, qui victimarum, Diis mactatarum, partes in conviviis consumebant, ibique animos convivantium ad prava quævis solicitare consueverant. Quis non intelligit statim, *Ioannem* ingruenti Philosophiæ orientali sese & Epistolas suas opposuisse? Hæc enim tribuit Iesu corpus phantasticum, eumque vere mortuum esse, negavit. Legis & sanctitatis studium ipsa proculcavit, nec commerciis eorum, qui idololatriæ studebant, sese subduxit. Haud satis admirari possumus sapientiam & prudentiam Apostolorum, qui, licet adversariorum nocentissimorum errores refellant, sibi tamen temperant ab omni strepitu, duritie, & increpatione violentiori. *Iudas* ostendit, Christum esse verum Deum & verum hominem, non nuper demum exortum, sed iam Israelitas ex Aegypto educentem, dominum angelorum, & eorum iustum iudicem. In Philosophia orientali hæc videbantur cum antiquis doctrinis, semel susceptis, stare haud posse. Quare vix nomen Dei & Iesu in ea superstitavit: Vapulabat in ea sanctitas, iustitia, legum observandarum studium. Affectatores illius sibi persuaserant semel, corpora esse ab Arimanio orta, eiusque potestati subesse, ea non posse non peccare, decalogumque haud ideo promulgatum esse, ut ad illum homo vitam con-

for-

Digitized by Google

formiet. Ipsi tradebant, decalogum & leges V. T. angelis originem debere, qui ea legislatione potestatem suam in homines voluerint ostendere & exercere. Ipsi ad unum omnes vitam angelis tribuebant libidinosam, iustitiæque expertem. At in omnia alia ivit *Iudas*, ostendens, Christum, qua Deum, iam Israelitas rexisse, iniuste & libidinose viventes pœnis coercuisse, & in angelos, improbe agentes, iudicium expromsisse sub exordio ipsius mundi. Tantum abest, ut in ecclesia Christi liceat vivere pro arbitratu cuiusque, vagasque libidines venari. Simoniani autem & Gnostici illi haud senserunt unum idemque, variis rursum sectis discerpti, licet potioribus Philosophiæ orientalis capitibus adhærerent universi. Exinde factum, ut Dositheani, Simoniani, Menandriani, Nicolaitæ, Cerinthiani, Carpocratiani, & Valentiniani, in unis alterisque opinionibus invicem dissiderent. Quadrat ad hæc discidia increpatio illa *Iudæ*, qua affectatores Philosophiæ orientalis, eosque pseudo-christianos, appellavit *nubes, aqua carentes, a ventis huc illuc ferri solitas*, **νεφέλας ἀνύδρους, ὑπὸ ἀνέμων περιφερομένας**. Nubes enim illæ nemini prosunt, & vago incertoque itinere feruntur, nunc propius coeuntes, nunc disiunctius propulsæ. Eandem ob rationem eos crediderim comparari cum *fluctibus oceani*, qui nunc cœlum, nunc tartarum, tangunt, incertoque iactantur flatu motuque. Eodem spectat comparatio, de planetis in eos translata. Planetæ enim nunc invicem sunt propiores, nunc remotiores, per sese

tene-

Digitized by Google

tenebrosi, propriôque fulgore destituti. Eadem vicissitudine affectatores *Simonis* in recipiendis, emendandis, vel immutandis, magistri sui opinionibus fuerunt usi, adeoque nunc magis consonare, nunc impensius diffidere, visi, ad unum vero omnes tenebris admodum fœdis & oppido multis immersi. Præterea iidem cruciatuum & perpessionum fuere impatientes, soliciti inprimis de tranquillitate commentititia animi, ac de bracteata huius vitæ felicitate conservanda. Ex hac voluptatum cupiditate contraxerunt ipsi consuetudinem curandi cuticulam, & genio indulgendi. Quare mirandum non est, ipsos libenter interfuisse *agapis* Christianorum, seu convictui cœtus Christiani, in quo ea, quæ ad locum conventus in commune fuerant oblata & collata, tam vesca & cibaria, quam potulenta, ab assessoribus solebant edi atque consumi. In hisce agapis ipsi cum suis lætitiæ operabantur, ac sese pascebant, *v. 12.* Si quid vero duri incideret, ipsi, homines quippe effœminati & mollissimi, nutui divino morem gerere recusabant, providentiæ obmurmurantes, ac de sorte sua iniquiori conquerentes, aut confessionem nominis doctrinæque Christi repudiantes, *v. 16.* Ne vero durioribus incommodis exponerentur, summatibus adulari, eisque morigerari, consueverant *v. 16.* Qui enim placide & molliter ævum hoc breve student transigere, eis in more est positum, ut eis placere cupiant & annitantur, qui obesse, delicias subtrahere, quietem turbare, & incommoda vel inferre, vel auferre, valent. Et quid

Digitized by Google

eis solet esse solennius & tritius, qui omnia rationibus & oblectamentis vitæ huius metiuntur, quam sese ad aulæ auram, seculique sui morem, accommodare? Dum vero *Iudas* illos, quorum vitam & doctrinam impuram refellit, ψυχικοὺς, *animales*, appellat, eo ostendit ipso, quantopere in hisce fuerit ars & peritia, nihil eorum omittendi, quibus homines, vitiis innatis, palpari, ac amœnitates caducæ fragilisque huius vitæ conquirere atque conservare, solent.

XIX. Sæpius inhæsi verbis illis, quibus *Iudas* Iesum appellat *unicum sapientem Deum Salvatorem* v. 25, atque *unicum Dominum, Deum & Dominum nostrum* v. 4. Nihil enim verborum in sacro Codice legitur, quin peculiaris & sanctissima ratio subsit, cur scriptori sacro hæc potius, quam alia, dictionis & loquendi formula arriserit. Divinam hic Christi designari naturam, facile patescit, adeo, ut merito Socinianis exprobremus impudentiam, qui locum tam luculentum contortis perversisque expositionibus suis obscurare, eique nubem caliginosam obiicere, non dubitarunt. At requirimus merito rationem specialiorem, cur *Iudas* appellationibus illis honorificentissimis Iesum affecerit. Christum enim secundum divinam naturam esse *Deum*, docere potuisset Apostolus, dummodo Iesum Christum vocasset δεσπότην, *Dominum suprema auctoritate præditum* in familiam suam, longe lateque per orbem terrarum sparsam, & magna iam ex parte in regnum gloriæ evectam.

Hæc

Hæc enim dominandi ratio, siquidem res creatæ omnes ad salutem ecclesiæ diriguntur a Christo, cogitari ne quidem, vel fingi, potest, nisi cum ipsa sit coniuncta Domini omnipotentia, omniscientia, præscientia, ad singula futura sese porrigens, sapientia summa, & iustitia exactissima. Si itaque *Iudas* Iesum vocasset modo ecclesiæ suæ *δεσπότην*, *Dominum*, nobis haud amplius liceret dubitationes obmoliri. At appellavit eum etiam *Iudas Deum*. Vocavit eum *Dominum nostrum*, non ex *Maria* demum primordia & originem sui omnem penitus nactum, sed qui iam exstiterit, cum *Moses* Israelitas ex Aegypto eduxit. *Moses* enim cum Israelitas ex Aegypto eduxit, ***Dominus ille*** (ὁ Κύριος *v. 5*) ***populum liberavit, ac in vita conservavit, deinceps vero immorigeros, fideique salutaris expertes, exitio dedit.*** Quis ambiget, quamprimum hæc legerit, exstitisse Christum iam ante virginem *Mariam?* At ante eam haud exstitit qua homo. Quid itaque superest, quid restat, nisi ut ipse antea iam exstiterit, quatenus est Deus? Et quis illum non habebit pro Deo æterno & infinito, qui carcinomata ecclesiæ suæ punit, ac severissimo iustitiæ exemplo perniciei addicit? Quis, illi omnipotentiam, omniscientiam, & sapientiam, esse propriam, inficiabitur, qui ecclesiam suam valet custodire, & ab interitu offensionumque periculis defendere, suoque tandem solio gloriosissimo admovere? Utrumque profecto perfectionis robur adiunxit *Iudas*, Apostolus, Christo. Suberat videlicet alia ratio, cur *Iudas* *unicum*

Digitized by Google

cum duntaxat ***Deum Salvatorem, unicumque Dominum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, commemoraret.*** Simul ac enim ea, quæ supra attuli (§. *11*), animo suo lector repræsentare atque recolere dignatus fuerit, animadvertet facile, ***Simonem Magum*** & ***Menandrum*** sese pro Deo, Christoque, venditasse. Huic errori reluctatur ***Iudas***, huic impudentiæ Apostolus reclamat, ratus, nobis esse, præter Iesum, nullum Salvatorem, nullum nos præterea Christum θεάνθρωπον agnoscere ac venerari. ***Samuel*** quidem ***Basnagius***, ***Simonem Magum*** divinos honores affectasse, negat f); at argumenta, quibus vir olim celeberrimus pugnat, id non conficiunt, quod ipse sibi proposuerat propugnandum. Primo enim frustra contradicit ***Irenæo***, ***Tertulliano***, g) ***Augustino***, ***Hieronymo***, ***Philastrio***. Deinde sibi male consulit, dum ***Irenæi*** fidem elevare contendit omnem, causa interposita, quod hic dictitavit, Christum ad annum usque quinquagesimum vitam in terris adspectabilem prorogasse. Esto enim, ***Irenæum*** errasse in momento chronologico quodam. Quis vero inde colliget, rem omnem, ab eo expositam, eam ob rationem penitus indignam esse fide? Non possumus, quin universam historiam veterem labefactemus atque tollamus, si eadem argumentandi forma libeat nunquam non uti. Tum vero ***Basnagius***

f) In *Exerc. Histor. Critic. ad Annales Baronii pag. 105 seq.*

g) *Origenis* inprimis huc spectat testimonium ex *Lib. V adversus Celsum pag. 272* ed. *Spenceri.*

Digitized by Google

nagius ſibi perſuadet, famam illam, de affectatis a *Simone Mago* honoribus divinis, exortam fuiſſe ex fabula illa, quæ vulgavit, *Simonem*, in cœlos ſeſe ſubvecturum, precibus *Petri* fuiſſe in terram præcipitatum, & *Simoni* ſtatuam, tanquam Deo, eſſe collocatam. At nihil de hiſce habet *Irenæus*, nec ea, quæ de *Simone* prodidit, fabulæ iſti ſuperſtruxit. Non unus *Irenæus*, *Simonem* honoribus divinis ſibi arrogandis ſtuduiſſe, retulit. Suppetit teſtium aliorum globus. Pergit *Basnagius* & inſtat, cauſatus, *Philaſtrio* teſte *Simonem* ſeſe dixiſſe non ſummum Deum, ſed *virtutem* h) *quandam Dei, quæ eſſet ſupra omnes virtutes.* At hoc ipſum teſtimonium nobis prodeſt, *Basnagio* autem refragatur. *Virtus* enim *Dei*, ſeu *Altiſſimi*, eſt ipſa ſecunda divinæ eſſentiæ perſona, quemadmodum ex verbis *Gabrielis* angeli i) plurimus interpretum numerus ſolet demonſtrare, atque curate Cel. *Oederus* demonſtravit k). Chriſtum vero excellere ac dominari omnibus virtutibus, ſeu δυνάμεσι, docuit *Petrus* l). Quare perſpicuum eſt, *Simonem*, *Philaſtrio* teſte, ſe pro Meſſia venditaſſe. *Summa*

h) *Damaſcius de Principiis* §. *1 pag.* 200 *Tom. III Anecdotorum Græcorum Wolfii:* Ἐὰν πατέρα ἢ δύναμιν εἴπωσιν, ὡς ἑνάδας ἀκούομεν. *Si patrem, aut virtutem, dixerint* Philoſophiæ orientalis, *tunc omnino Unitates audimus,* duas ſcilicet Triadis ſummæ.

i) *Luc. I, 35.*

k) *Ad Catechiſmum Racovienſem pag. 123, 630 ſeq.*

l) *1 Epiſt. III, 22.*

ma eiusmodi *virtus* & *summus Deus* haud differunt. Significatus utrique appellationi honorificæ subest idem. *Tertullianum* laudo testem, cuius hæc de *Simone* sunt verba m): *Ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum.* Obiicit porro *Basnagius* nobis auctoritatem *Ioannis Damasceni*, qui memoriæ prodidit, *Simonem* sese & Samaritanorum Patrem, & Iudæorum Messiam, prædicasse. Haud videtur *Damascenus* perhibere, *Simonem* eo vesaniæ & fatuitatis processisse, ut, sese Deum summum esse, iactitaret. Verum salva res est, & causa adhuc integra. Is enim, qui *Samaritanorum Patrem* sese dixit, *Deus* ipsorum dici voluit. Qui sese *Iudæorum* appellavit *Messiam*, excellentissimam substantiam sese dictitavit. Quam ob causam *Damasceni* testimonium causam nostram potius adiuvat, quam labefactat. Supersunt vero duo argumenta, quibus maior videtur difficultas nobis facessi. Unum & alterum ex *Epiphanio* desumi potest. Hic enim n) refert, *Simonem Helenæ* suæ epitheton Spiritus sancti, sibimet autem nullum plane, tribuisse. Subnascitur exinde nobis ea cogitatio, *Simoni* haud placuisse appellationem eiusmodi magnificen-

m) *De Præscript. Cap. 46.* Voces vero *Pater* & Δύναμις in Philosophia orientali sunt *Triadis infinitæ* duæ unitates, tertia autem est νῦς, *mens*, νῦς πατρικὸς, *mens paterna. Damascius de Principiis* §. 1 *pag.* 199 *seq. T. III J. C. Wolfii.*

n) *Hæresi* 21.

Digitized by Google

centissimam ac sublimem. At idem *Epiphanius* o) testatur, *Menandrum, Simonis Magi* discipulum & successorem, a dogmatibus magistri sui haud quidem dissedisse, maiorem tamen se antecessore suo iactasse. Ex hoc enim testimonio patescit, *Simonem Magum* sese satis prædicasse magnum. Ad difficultatem priorem *Cotelerius* p) ita respondet, ut censeat, *Simonem* quidem *Magum Helenæ*, scorto suo, peculiarem tribuisse appellationem, sibi vero generalem magnæ virtutis Dei denominationem arrogasse, adeo, ut, cum certa determinata multa nomina & epitheta *Helenæ* daret, sibi nullum definiret, sed infinita assumeret. Nullum enim is determinatum nomen sibi dabat, qui se omnibus parem censebat. Ita *Cotelerius*. Huius sententiam adoptavit *Thomas Ittigius* q), ac a *Wormio* r) tentatam magis, quam concussam, denuo ivit comprobatum s). Et quis id vitio nobis vertet, si dixerimus, locum *Epiphanii* fuisse mutilatum ac corruptum? Complexus enim orationis apud *Epiphanium* exigit, ut ita legamus, quantum attinet ad sensum: *Simon Helenæ suæ epitheton Spiritus* t) *sancti, sibi autem nullum non tribuit.*

Qui

o) In *Hæresi.*

p) In *Notis ad Græc. monument. T. I pag. 763.*

q) In *Diss. de Hæresiarchis ævi Apostolici.*

r) *De Sabellianismo Cap. 2 pag. 55.*

s) In *Selectis Capitibus Historiæ Eccl. primi a Christo nato Seculi Cap. V §. 9 pag. 261 seq.*

t) Videtur *Simon Helenæ* suæ imposuisse nomen *νοῦ*, *mentis*, seu *spiritus*. Cum enim sese diceret & *Patrem*

Qui Græca callent, originem depravationis facile deprehendent. Et eam quidem ob consensionem, quæ alias *Epiphanio* fuit cum *Irenæo*, aliisque scriptoribus antiquis, ab ipso consultis, non possumus, quin suspicemur, in hoc loco eum haud tenuisse contrarium, siquidem ipse in significandis *Menandri* erroribus id etiam indicavit, *Simonem* magna omnia de sese prædicasse. Qui vero singula, quæ de *Simonis Magi* erroribus circumferuntur, dogmata pro commentis habent, ii profecto primos Ecclesiæ Patres in seriem vel credulitatis magistrorum, vel impudentissimorum nebulonum, ponunt, atque eo ipso hostibus Evangelii patefaciunt fenestram illam, per quam tela in sacrosanctam religionem nostram

Patrem & *Dynamin*, uxorem, seu concubinam, appellare videtur *mentem paternam*, seu *spiritum sanctum*. Philosophi enim orientales sic docebant: *Tres sunt in quacunque triade, terminus quidem est apex, essentia vero vita, mens est ultimum. Infinitum vero est medium, ita ut sint duæ quidem Unitates, una autem monas triadis, monas scilicet essentialis & concreta; at primum quidem est mirandum, siquidem duæ Unitates per communionem mutuam iunguntur. Id vero, quod communionis illius particeps est, in eo essentiatur - - porro quamobrem terminus* (πέρας) *quidem est Unitas, ac Infinitum illud rursum Unitas altera? Hæc certe est Dynamis, illa autem Pater. Tertium vero, Mens paterna, nonne & hic est Unitas tertia?* Hæc Latine reddidi *Damascii* verba ex eius libro *de Principiis* §. 1 *pag.* 199. Νόας autem esse *spiritus* apud eundem, patescit ex *pag.* 200.

Digitized by Google

ſtram transfadigere valeant. Non ſolemus tam ſevere de ſcriptoribus quibuscunque aliis dogmaticis iudicare, ut omnia ipſorum de diſſentientium opinione teſtimonia exiſtimemus nihili habenda & conficta eſſe ac ementita. Actum ſane eſſet de omni fide hiſtorica, ſi hæc iudicandi ratio principatum obtineret. Recentiorum nonnulli ita colligunt, ita ſecum ſtatuunt: *Nihil eorum fide eſt dignum, quod veſaniam & ſtultitiam hominis moroſi & efflictim ambitioſi redolet.* Sed quis ſacramento auſit contendere, ſtolidos fuiſſe nullos in terra? Quis *Paulum* ſanctiſſimum refellet, qui, homines, a veritate cultus divini dilapſos, in veſaniam & abſurdiſſimas quasque fictiones incidere, docet? Quis iuſtiſſima Dei iudicia ignorat, qui eis, qui ſapientes ſibi videri ſtudent, ac ſingularem de ſeſe exiſtimationem ſtatuunt omnium actionum ſuarum proram atque puppim, vires gratiæ ſubtrahit, ſuisque tenebris cupiditatibusque, lumen intellectus obnubilantibus, permittit? Abſit per omnem modum, ut ne doctores primæ eccleſiæ convertamus in truncos & ſtipites, quibus defuerit pietas, lumen, ratio, & rerum geſtarum examen. Abſit per omnem modum, ut credamus, religionem noſtram ab eis hominibus primo fuiſſe traditam, qui nil potius calluerint, quam artem ſtrenue confingendi catalogos hæreſeon, poſteritatem fallendi, ac omnibus imponendi. In impoſturas, & earum architectos, hæc agendi ratio congruit; at ab *Irenæo*, *Ignatio*, *Polycarpo*, *Euſebio*, *Auguſtino*, aliisque, hæc im-

Digitized by Google

pietas fuit disiunctissima. Non negamus, ipsos subinde in interpretatione difficiliorum sacri Codicis locorum, ac in circumstantiis nonnullis historicis, errasse. At id pernegamus, ipsos hæresin quandam *Simoni Mago* tribuisse, quæ nunquam exstiterit, & quam nemo sanus ei debuerit attribuisse.

XX. Eos, qui a *Iuda* Apostolo refelluntur, vocari μεμψιμοίρȣς, *de fato suo querulos*, inter omnes constat. Μοῖρα est *pars, pensum, fatum, id, quod homini contingit & accidit secundum eam, quam sustinet, conditionem*. Qui de iniquiori conqueruntur sorte sua, dicuntur μεμψίμοιροι ex μέμφεσθαι, *incusando, carpendo, insimulando. Theophrastus* in *Characteribus ethicis Cap. 17* hoc vitium, quale id Athenis tunc innotuerat, notavit. Describit illud haud ea accuratione, quam Logici nostri requirunt. Concise id vitii ita indicavit: Ἔςι δὲ ἡ μεμψιμοιρία ἐπιτίμησις παρὰ τὸ προσῆκον δεδομένη, *querela illa de fato suo est indignationis exercitium, ultra id, quod æquum est, sese exserens*. Vitium hoc eo cohæret cum effectu, ut is, qui eo laborat, nunquam contentus sit phænomenis ac eventis illis, quæ ipsi accidere solent. Exempla, a *Theophrasto* producta, id satis superque ostendunt. Origo vitii arcessenda est ex animo molli & effrænato, qui, ad voluntatem suam fluere cuncta, flagrantissime cupit. *Simon* ille, Philosophiæ orientali adstipulatus, eventa, ex indole corporum orta, tribuit Arimanio, seu prin-

Digitized by Google

principio malo. Existimavit enim, existere duo principia æque æterna. Ad testimonium citandos duco & *Irenæum* u) & *Epiphanium* x), & illos, qui ex antiquis Auctoribus sua collegerunt. Videtur nonnullis *Vincentius Lirinensis* y) hisce testibus obsistere. Verum enim vero, simul ac verba *Vincentii* curatius expenduntur, Deum illum, qui mundum hunc adspectabilem condidit, ex *Simonis* sententia esse *malorum autorem*, seu principium illud malum, illico redditur evidens ac manifestum, tantum abest, ut *Vincentius* refragetur testimoniis *Epiphanii* atque *Irenæi*. En autem verba ipsa: *Quis ante Magum Simonem, Apostolica districtione percussum, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum, ausus est dicere creatorem Deum?* Ex doctrina de hoc principio sempiterno, eoque pravo, profluit sua sponte fatalis & ineluctabilis quædam peccandi necessitas, per incolas mundi huius diffusa. Mirum proinde non est, *Simonem* huic ipsi necessitati fatali subscripsisse, calculumque adiecisse album. *Vincentius* ita pergit: *Simon Deum illum asserit talem hominum manibus ipsam suis creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cuiusdam voluntatis impulsu, nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare, eo quod, furiis omnium vitiorum exagitata & inflammata,*

 in

u) *Lib. I cap.* 28.
x) In *Hæresi* 41.
y) In *Commonitorio Cap.* 34 *pag.* 74 *seq.* ed. Romæ A. 1731, 8.

in omnium turpitudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Hæc opinio emanavit ex doctrina de principiis illis duobus sempiternis, quam Philosophia Chaldaica, Persica, & orientalis, stabilivisse videri volebat. *Homines fato peccare, etiam plerumque a sapientibus asserebatur*, teste Panegyrico sermone, quem ineunte Seculo quarto nescio quis in honorem *Constantini*, filii, conscripsit z). Ut vero Magi ita decernerent ac sentirent, in causa exstitit ipsorum sententia, quam de effectu siderum, actiones hominum dirigente & torquente, alebant. Cum enim Philosophiæ orientalis antistites, mundum adspectabilem Arimanio, seu principi malo, eiusque angelis, obnoxium esse, sibi persuasissent, non poterant non inde colligere, actiones humanas, a mundi partibus eximiis dependentes, fatali & ineluctabili cuidam subiectas consistere necessitati. Solemus hanc doctrinam vulgo appellare *fatum astronomicum*. Si quis vero dubitet, an Philosophi Persarum id fatum assensu suo prosecuti fuerint, eum remittimus ad *Thomam Stanleium* a), *Aulum Gellium* b), *Iulium Caesarem Bulengerum* c), ac *Thomam Hyde* d). Christiani genuini eliminaverunt hoc fati pernicio-

z) *Cap. 14.*

a) *De Philosophia Magorum Cap. 9 pag. 1166 seq. Hist. Philos.*

b) *Noct. Attic. XIV, 1.*

c) *Eclogarum ad Arnobium Lib. I cap. 7 pag. 382 sq.*

d) *De Religione veterum Persarum, eorumque Magorum, Cap. XII pag. 180 seq. Cap. XX pag. 271 seq.*

Digitized by Google

piciosissimi dogma, quod *Iacobus* e) iam refellerat. Simul atque vero *Iulianus Apostata* gentibus, a Christi doctrina aversis, signum ad avitas superstitiones restituendas sustulisset, gavisus fuit ille Philosophorum ordo, qui fatum astronomicum propugnaverat, libertate sua philosophandi, ac doctrinas, fato illi amicas, resuscitavit. Lucem spargit locus quidam *Mamertini*, qui *Panegyrico* suo *in Iulianum* hæc *Cap. 23* inseruit: "Suspicere iam in cœlum licet, & securis "contemplari astra luminibus, qui paulo ante "pecorum & quadrupedum animantium ritu in "humum visus trepidos figebamus. Quis enim "spectare auderet ortum sideris? Quis occasum? "Ne agricolæ quidem, quorum opera ad motum "signorum cœlestium temperanda sunt, tempe-"statum præsagia rimabantur. Ipsi nautæ, qui "nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum "nominibus abstinebant; prorsus terra marique "non ratione cœlesti, sed casu ac temere, vive-"batur." Perserum Philosophi, ut exponerent actiones hominum liberas ac morales, effectusque reliquos, quibus orbis terrarum plenus est, distincte edissererent, alias operationes & effectiones tribuerunt *Oromasdæ*, cuius symbola erant *sol* & *ignis*, alias assignaverunt *Arimanio*, cuius symbola erant *nox* & *tenebræ*, alias ex parte adscripserunt *Oromasdæ*, ex parte autem *Arimanio*. Et, ut commercium illud, quo uterque ille Deus, & ille bonus, & hic malus, medium quid, ex bono maloque complicatum,

 pro-

e) *Cap. I v. 17.*

producere credebatur, distinctius intelligeretur, *Mithram* ipsi invenerant, cuius symbolum erat *Luna*, quæ quippe trahit aliquid ex luce & ex caligine priva commixtum. Substituisse videtur huic symbolo *Helenam* suam arrogantissimus fœminæque illius *Helenæ* amicissimus *Simon*. Symbolica isthæc & hieroglyphica philosophandi ratio ad ultimam mortalium ætatem est referenda, a literarum signis prorsus vacuam. Licet vero *Mosis* ævo, vel paulo ante, literæ fuerint inventæ; Magi tamen eas rebus sacris & philosophicis suis sero satis adhibuerunt exponendis. Magi, per Aegyptum Persidemque florentes, signis hieroglyphicis assueti, noluerunt cognitionem suam evulgari, & propterea signis suis permanserunt adstricti. Inde origo & progressus patescit Philosophiæ illius obscurissimæ, quam omnes fere hæretici ecclesiæ primæ certatim susceperunt, veluti disciplinarum reginam, Principibus ubique summis per Orientem probatam. Hieroglyphicarum notionum ea erat indoles, ut nemo facile in plenam earum notitiam, nisi rite initiatus, perveniret. Quam quidem ob causam complexum omnem doctrinarum *Simonis* Magi, vel *Menandri*, nemo Patrum Ecclesiæ primæ delineavit ita, ut symbolorum explicatam evolutamque seriem ex cuiusquam scriptis liceat depromere. Quamprimum vero ea, quæ *Irenæus*, *Origenes*, & *Clemens Alexandrinus*, aliique, de *Metaphysica* Simonianorum, quam vocare solebant *γνῶσιν*, *cognitionem*, literis consignaverant, cum Philosophia orientali

eius-

Digitized by Google

eiusque hieroglyphicis, in contentionem adducimus, non possumus, quin ad atrium disciplinae illius, quam *Simon* & *Menander* iactitabant, perveniamus. *Simon Magus*, ex quo semel is a *Petro* publice fuerat increpatus, & Christianam religionem penitus aversari coeperat, sese opposuit Christo cum suis, atque, ut applausum sibi conciliaret, Philosophiae orientalis capita ad opiniones suas proprias accommodavit. Magistrum secuti sunt discipuli, quorum cum nonnulli ad Christianam transirent doctrinam, coniunxerunt ipsi metaphysicam, symbolis involutam, seu γνῶσιν, cum plana & simplici Iesu Christi religione. *Ioannes* Apostolus hosce novitios a coetibus, quos peculiari cura fovebat, videtur secrevisse tandem *1 Io. II*, *19*. *Iudas* eadem ratione ipsos tam curate designavit, & capitales ipsorum errores evertit, ut ipsis aut esset resipiscendum, aut exeundum. Doctrina ipsorum de fato inevitabili, quod ab *Arimanio* & astris ipsi suspenderant, non poterat a querelis esse seiuncta, quibus homines solebant vitia & flagitia sua in necessitatem quandam ineluctabilem coniicere. Graphice igitur & pulchre ipse vocavit illos μεμψιμοίρους, *de fato querulos*, & propterea de virtutibus excolendis haud satis solicitos. Nemo recentiorum accuratius haec Gnosticorum opinionum portenta rectiusque expendit atque introspexit Ven. *Ioanne Laurentio Moshemio* in *Institutionibus Historiae Christianae antiquioris*, *Sec. I P. II Cap. V* §. *5 seq. pag. 117 seq.* Quibus libuerit ea, quae Vir mihi amicissimus

exposuit, attentione debita prosequi, eis ut nostra fuse persuadeamus, non est necessum.

XXI. Exstiterunt Gnostici non solum hac ratione in providentiam divinam gratiamque religionis Christianæ iniurii, sed angelos etiam benignos honore defraudarunt, quem ipsis citra adorationem merito iudicamus tribuendum. Ipsi enim, eos genios, qui hominibus mundoque intersunt, omnes, credebant, esse malignos; hos mundo huic imperare, &, ab his omnes morbos & calamitates proficisci, autumabant. Quare ipsi ad unum omnes *Magiam*, id est, artem genios istos coercendi, conse&abantur f). Quo quidem pacto angelos bonos ab hominum præsidio & tutela excludebant, geniisque calumnias inferebant benignis, quos *Iacobus* vocat *κυριότητα* & *δόξας* v. 8. Veritati itaque id congruit, ipsos non erubuisse *δόξας*, *angelos gloriosos*, contumeliis afficere, quemadmodum & *Iudas* & *Petrus 2 Epist. II, 10*, affirmarunt. Adde, quod docuerunt, angelos commerciis mulierum delectari, atque eas venereo modo inire. *Trismegistus* suppositítius, ad Gnosticorum sobolem referendus, materiam mundi credidit sempiternam *Cap. 3 & 8*, ratus, omnia exstitisse ex re aliqua præexistente, nihil existere cœpisse ex nihilo, nihil posse in nihilum redigi, *Cap. 2.* En verba ex *Capite secundo*, seu *Sermone catholico*: *Πάντα δέ ἐστι τὰ ἐκ τῶν ὄντων γινόμενα, οὐχὶ μὴ ἐκ τῶν μὴ ὄντων. Τὰ γὰρ μὴ ὄντα οὐ φύσιν ἔχει τοῦ δύνασθαι γενέσθαι. Ἀλλὰ τὸ μὴ δύνα-*

f) *Irenæus I, 24.*

δύναται, τί τὸ γίνεσθαι. Quicquid factum est, existere cœpit ex eo, quod iam exstitit, non vero ex eo, quod nequaquam exstitit. Id enim, quod non existit, non potest fieri quidquam. Necessum est, ut id maneat perpetuo nihilum. Idem, unicam mentem, eamque communem & universalem, existere, somniat *Cap. 12.* Ac eo ipso angelis & bonis & malis unicam attribuit mentem, ac universum hoc pro Deo habet, *Cap. 16.* Cum vero ipse fuerit Gnosticus, & in Deum ac angelos benignos hac ratione exstiterit iniurius; perspicuum sane est, hac quoque ratione Gnosticorum quosdam peccasse in honorem, quem oportet citra ullam adorationem religiosam bonis angelis exhibere.

II.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORVNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PVBLICÆ PRÆFECTI,

DISSERTATIO

DE

SIGILLO DEI IN FRONTIBVS FIDELIVM, AD APOCALYPSEOS VII, 3, IX, 4, COLL. EZECHIELIS IX, 4.

I.

Quandoquidem nullum est dubium, quin

 verba

Digitized by Google

verba illa *Ioannis* atque *Ezechielis* ex *Antiquitatibus Ebræorum* multum accipiant lucis; nostro quidem iudicio inter Anglos *Radulphus Skinnerus* a) ex iisdem antiquitatibus verba divinorum ſcriptorum optime explanavit, in medium allatis hiſce *Maimonidis* b) verbis: Quemadmodum hominis ſive iuſtitia, ſive iniquitas, mortis die ad examen vocatur; ita *ſingulis annis primo anni cuiuslibet die* c) ſigillatim cuiuslibet hominis ſive iniuſtitia, ſive iniquitas, expenditur. Qui *iuſtus* eſt illo tempore, *obſignatur*

a) Edidit *Richardus Parrius* Anglicano ſermone conſcriptam vitam *Iacobi Uſſerii*, & ſimul ſubiecit Eruditorum Virorum ad eundem Epiſtolas, quas inter occurrit dicti *Skinneri* Epiſtola numero CII, qua *Maimonidis* quendam Tractatum, Anglicano ſermone redditum, *Uſſerio* dedicavit, præfatus, *magnum eſſe Talmudicorum, adeoque Maimonidis, qui illos ſectatur, uſum in dictionibus Sacrarum Literarum recte interpretandis.* Inter alia autem exempla, quibus fidem facturus erat *Skinnerus*, dicto modo verba *Ioannis* ex *Maimonide* illuſtrare voluit.

b) In libro de Pœnitentia *Cap. III* §. 3.

c) Sohar chadaſch fol. 19, 1: *Die novi anni* Deus S. B. ſedet, ut iudicet mundum, & omnes homines rationem ei reddant, nemine excepto, & *libri viventium & mortuorum aperiuntur illo die.* Roſch haſchana fol. 16, 2: Dixit R. Cruspedai ex ore R. Iochanan: *Tres libri aperiuntur die novi anni;* in primo ſunt *iuſti perfecti*, in ſecundo *impii perfecti*, in tertio vero בינונים, *medioxumi.* Conferatur utique *Christianus Schœttgenius* in Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum *pag.* 994.

Digitized by Google

tur ad vitam, sicut *impius ad mortem* d), qui inter utrosque sunt *medii*, curam sui habeant *die expiationis*. Tum enim, si pœnitentiam egerint, *ad vitam*, sin minus, *ad mortem*, *obsignantur*. Satis de *Skinneri* interpretatione verborum *Ioannis*, a *Ioanne Clerico* e) itidem excerpta; veniamus ad *Isaacum Neutonum* f), qui consimilem verborum *Ioannis* interpretationem instituit g). Mirum autem videatur, cur uterque

d) Tanchuma *fol. 29, 3, & 49, 3*: Dixit Deus S. B. ad Gabrielem *Ezech. IX, 4*: *Abi & signa frontes iustorum signo atramenti*, ne Angeli pœnales illos interficiant. *Frontes vero impiorum signa signo sanguinis*, ut Angeli pœnales ipsos interficiant. Quo facto, dixit מרת הדין Iustitia ad Deum S. B. Domine totius mundi, cur differentiam inter illos facis? Respondit Deus: Illi sunt צדיקים גמורים, *iusti perfecti*, hi vero רשעים גמורים, *impii perfecti*. *Kimchii*, vel potius veterum, quos allegat, sententia fert, *literam* ת *omnium frontibus impressam esse, sive piorum, sive impiorum*. In his valuisse תמות, *morieris*, in illis תחיה, *vives*. Impiis sanguine, piis atramento, literam illam inscriptam fuisse; at vero falsissimum id est; solis enim piis & lugentibus hoc signum est impressum. Videatur *Campegius Vitringa* Libro II Observationum sacrarum *Cap. XV* §. *7 pag. 474*.

e) Dans la Bibliotheque Universelle & Historique *Tom. II pag. 253*.

f) Edidit hic librum patrio sermone sub hoc titulo: *Observations upon the Prophecies of Daniel and the Apocalypse of St. Iohn.*

g) Hæc legimus dans la Bibliotheque Britannique, ou Histoire des Ouvrages des Savans de la Grande Bre-

Digitized by Google

que scriptor omiserit addens, quæ Iudæi apud *Ioannem Lightfootum* h) de *Sigillo Dei* tradunt.

II. Transeamus ad verba *Ezechielis IX, 4,* quæ ita interpretatur *Ernestus Selonis Cyprianus* i): *Præstat dixisse, vocem* תו *appellativum esse, ut sensus sit:* & imprime signum, *quam sententiam approbat Venerandus D. Hermannus von der Hardt.* Scilicet moris fuit *Orientalibus*, ut *laminas argenteas, aureas, alteriusque generis, in fronte gestarent*, quibus inscribebantur *literæ*, vel *figuræ multivariæ.* Hæc ille, qui, quod ad *veram notionem* vocis תו attinet, suf-

Bretagne, Tomo I Parte II Articulo II pag. 313: Tout cela se rapporte *à la solemnité du grand jour de l' Expiation: les Iuifs* croyent, *que le premier jour du septième mois Dieu ouvroit trois livres,* un, où étoient écrits les noms de ceux, qui sont *parfaitement iustes*, l' autre, qui contenoit *la liste des impies*, & un troisieme, où étoient marqués les noms de ceux, *qui n' étoient ni iustes, ni impies*, & qui dévoient être enregistrés au dixieme jour du même mois, ou dans le premier livre, qu'on appelloit le livre de vie, ou dans le second, qui étoit le livre de mort. Ils s' humilioient, jeunoient, & prioient sans cesse à cause de cela pendant ces dix jours, afin que leurs péchés leur fussent pardonnés, & ils se disoient les uns aux autres, *Dieu le Createur te scelle pour une bonne année.*

h) In Horis Hebraicis & Talmudicis ad *Ioannis VI, 27:* Multa loquuntur Iudæi de Sigillo Dei חותמו של חבת.

i) In Thesibus Philologicis de Fabrica Crucis Christi §. 8.

suffragantur *Richardus Simonius* k), *Paulus Colomesius* l), *Christophorus Cartwrightus* m), *Ioannes Gregorius* n), *Campegius Vitringa* o), *Salomo Deylingius* p), *Io. Henr. Hottingerus* q), aliique, quos alio loco & tempore laudavimus r). Et profecto voci תו iungitur in verbis Prophetæ *nomen verbale* התוית, quod illi dat originem. Quoniam vero apud Ebræos receptæ sunt eiusmodi coniunctiones verborum cum nominibus, ab illis ortis; verosimillimum est, τὸ תו hic eiusdem esse significationis cum verbo התוה, cui iunctum est. Quid? quod in loco parallelo *Apocalypseos VII, 3*, ubi eadem facti species narratur, nulla notæ alicuius mentio fit. Quæ cum ita sint, Iudæis præstantissimis apud *Christophorum Cartwrightum* suffragantibus, vocem תו

k) Dans l' Histoire Critique du Vieux Testament *Lib. I Cap. 13*, idemque *Simonius* sub ficto illo nomine Domini *de Sainjore* dans la Bibliotheque Critique *Tom. II Cap. 27.*

l) In singulari Epistola ad locum *Ezechielis IX, 4, pag. 670* Operum, a *Fabricio* editorum.

m) In Mellificio Hebraico *Lib. I Cap. 4.*

n) In Notis & observationibus in Loca aliquot Sacræ Scripturæ *Cap. 17.*

o) Observationum Sacrarum *Lib. II cap. 15 §. 8.*

p) Parte I Observationum Sacrarum, *Observatione XXV §. 6 pag. 102.*

q) In Notis ad *Thomam Goodwinum pag. 777.*

r) Vide Bibliothecam nostram Antiquariam & Exegeticam *pag. 268 seq. 771*, Tomum nostrum I *der Erærterung der dunckelsten und schwersten Schrift-Stellen im Alten Testament pag. 900*, & *Tom. II pag. 532.*

Digitized by Google

תו *simpliciter* per *signum obsignans* explicamus. An vero signum illud laminis inscriptum sit, ex fronte pendentibus, quod *Cypriano* visum, disquirant alii. *Signum atramento* s) ipsis frontibus inscriptum fuisse, credimus, quoniam non solum apud Prophetam sit mentio *theca atramentariæ*, sed & *Apocalypseos VII, 3*, servi Dei simpliciter ἐπὶ τῶν μετώπων ἐσφραγισμένοι, *in frontibus obsignati*, dicuntur.

III. Hac data occasione, non possumus non subiicere singularem quandam opinionem *Olai Rudbeckii* t). Cum enim ille ageret de significtu literæ ת, eiusque nomine תו, inde, הן תוי *Iobi XXXI, 35*, commodissime exponi posse, scribit, per hanc interpretationem: *Ecce crucem meam*, id est cruciatus meos, miseriam meam. Rationes refert primum a figura literæ ת, quæ apud *Samaritanos* cruci sit simillima, deinde ab auctoritate *Hieronymi*, qui ת per *crucem* explicet. Idem *Rudbeckius* hanc observationem egre-

s) De atramento Ebræorum qui egerint, commendat *Antonius Borremansius* Variarum lectionum *Cap. IV pag.* 20; omnium tamen industriam superavit *Ioannes Iacobus Quandtius* in Exercitatione Rabbinico-Talmudica de דיו, seu atramento Ebræorum.

t) In Specimine usus Linguæ Gothicæ in eruendis atque illustrandis obscurissimis quibusdam Sacræ Scripturæ Locis, addita Analogia Linguæ Gothicæ cum Sinica, nec non Fennonicæ cum Ungarica. Ceterum de hac *Rudbeckii* sententia, quam nunc notamus, vide Acta Literaria Sueciæ, edita Upsaliæ, Trimestri II Anni MDCCXX pag. 54.

Digitized by Google

gregie inservire credit interpretationi *versus 41 Psalmi LXXVIII*, ubi legimus וקדוש ישראל התוו, quæ verba vulgo reddunt, *& Sanctum Israelis signaverunt* u), cum transferenda essent, *& sanctum Israelis crucifixerunt*, respectu habito ad *Filium Dei*, quem Israelitæ in deserto in obedientia & peccatis suis sæpius contristarunt, & *quasi crucifixerunt*. Hactenus *Rudbeckius*, qui mihi sublegere visus est *Gilberti Genebrardi* x) vestigia. En huius *Genebrardi* verba: In Hebræo attingitur *huius exacerbationis* ratio. Sanctum, inquit, Israelem limitaverunt, signarunt; ut quidem *R. Abraham* & *R. David* exponunt; quasi Deus tantum duntaxat posset, quantum ipsi volebant & cogitabant, circumscripserunt potentiam eius, definierunt, & concluserunt, quasi non possit omnia in omnibus locis, & quocunque modo vellet. *At rectius*

u) Audiamus hic *Io. Mercerum*, & *Antonium Rudolphum Cevallerium* in Notis ad *Santis Pagnini* Thesaurum Linguæ Sanctæ: Sanctum Israelis signaverunt, id est, posuerunt illi in corde suo terminum, ac signum, ut non posset transire illum, dicentes: Hoc potest facere & hoc: quia tentabant illum & putabant, quod non valeret illud efficere, ut exponit Rabbi *Abraham* in Commentariis, item R. *David* in libro Radicum & in commentariis, sed R. *Selomo* exponit: postulaverunt portentum aut signum, an sit in medio nostrum, nec ne? Hactenus illi, quibus subscripsit *Valentinus Schindlerus* in Lexico Pentaglotto; Posuerunt ipsi terminum in corde suo, quod possit hoc facere, illud non.

x) In Commentariis in Psalmos *pag.* 467.

rectius vertatur, quod nullum adhuc observasse miror: *crucifixerunt*, allusione ad genus mortis, quo Dominum tandem affecerunt. Nam תו, *Tau, non tantum limitem, verum etiam crucem*, significat Ezech. IX, Apocal. VII, a quo verbum התוה. Unde *Origenes* Homil. in Epiphania, *Hieronymus* in Ezechielis IX, *Tertullianus*, *Cyprianus*, contra Iudæos aperte ostendunt, *Tau Hebræorum crucis gessisse effigiem*, ut apud Græcos & omnes fere linguas. Hodie figura immutata est improbitate Masoretarum & Iudæorum, ut mysterium crucis obruerent, cuius tanto odio flagrant, ut eam non modo non scribant, sed ne nominent quidem. Quare eam circumloquuntur, ut *Kimchi* in *Esaia* ultimum Caput per שתי וערב, *shethi vahereb, stagmen & subtegmen*, quoniam hæc duo fila per modum crucis sese intersecant. Quæ verba *Genebrardi* istiusmodi sane sunt, ut, frontem insigniter perfricuerit, necesse sit, cum ista scriberet. Imo, inquit *Christophorus Cartwrightus* y), vix sui compos fuisse videtur *Genebrardus*, cum adeo monstrosa & absurda effutiverit. Ubinam quæso reperitur, תו *crucem significare*, cuius loci indicio, aut cuius Auctoris testimonio, id comprobatur? Nonnulli quidem volunt, literam Thau crucis formam antiquitus habuisse; at, vocem תו *crucem significare*, nemo, opinor, unquam vel ante, vel post, *Genebrardum* somniavit.

III.

y) In Mellificio Hebraico *Lib. I cap. 4.*

Digitized by Google

III.

MATTHIAE BELII,
V. D. M. PISONIENSIS, HISTORICI PATRII, ACAD. SCIENT. LOND. ET BEROLINENS. SOCII,

OBSERVATIO HISTORICO-PHYSICA DE AQVIS NEOSOLIENSIVM AERATIS, VULGO CEMENT-WASSER DICTIS, FERRVM AERE PERMVTANTIBVS.

I.

Celebre Aquarum aeratarum Neosoliensium a) apud doctos nomen est. Meminit earum *Athanasius Kircherus* in Mundo subterraneo *Tom. II pag. 185*, *Eduardus* item *Brown* in Memorabilibus peregrinationum suarum *pag. 186*, atque *Iacobus Tollius* in Epistolis itinerariis *Epist. V pag. 191*, ut minutiores scriptores alios taceamus. Non est opus, eorum sive opiniones, sive acceptas a vulgo narratiunculas, recognoscere, & ad veri tramitem revocare. Suffecerit, ea nunc dedisse, quae & nostra nos 'αυτοψία, & amicorum experimenta, condocuerunt.

II.

a) Historiam metallicae huius urbis descriptam lege, sis, *Hungariae Novae Tom. II pag. 409 seq.*

Digitized by Google

II. Scatent eæ, uno, ab urbe Neosoliensi, in aquilonem, milliari, in vastissima illa cupri fodina, quam *Vallem Dominorum*, ex Germanico *Herrn-Grund*, appellamus. Quando primum detectæ sint observatæque, si a vulgi traditionibus discesseris, incertum fuerit, dubiumque. Aetate certe *Georgii Agricolæ*, Germanorum illius *Plinii*, nondum fuisse celebratas, ex eius silentio arguas. Cum enim *Lib. IX de Natura Fossilium*, post initia, *p. m. 347*, *Schmolnicenses* b) consimilis naturæ aquas cum cura meminisset; *Neosolienses* istas tacet, tametsi alias sæpius *Neosoliensium aquarum* aliarum, & metallorum, habuerit mentionem. Aiunt autem, tumultuante, anno 1605, *Botskayo*, forte fortuna, atque metu magistro, *æratas aquas* nostras innotuisse. Cum enim, expilato, ac fœde exusto, *Neosolio*, ne metallicis quidem operis, a funestissimo hominum genere, parceretur; reculas suas, atque in his ferramenta etiam, ne prædæ essent hostium, malleos puta, clavasque, intra fodinas, tanquam inaccessa perfugia, metallici abdiderant. Hic, dum uliginosis locis, ultra mensis spatium, ferrea illa supellex hæreret, atque, decedentibus *Botskaianis*, protraheretur iterum, ære arrosam repererunt, qui iniecerant; idque eo penitius, quo humidiore loco delituerat. Ergo cepere indicium, stillantibus hinc atque illinc, per fodinarum latera, aquis *vim* inesse oportere *ærifi-*

b) Habuimus metallici huius oppidi & aeratarum eius aquarum, mentionem in Historia Comitatus Scepusiensis, Operis nostri Prodromo *pag. 119* §. 3, 2.

Digitized by Google

ærificam. Quod demum occasio fuit, ut, colligendis istiusmodi aquis, *Schmolnitzensium* ritu, alvei ponerentur, cameris postea, ne vulgo paterent, concludendi.

III. Invaluit mox institutum, quando magis magisque adversa est *aeratarum aquarum*, quas & *vitriolicas* possis dicere, efficacitas; quippe quæ, exeso, quod iniiciebatur, ferro, tantundem purissimi æris reddebat, quantæ molis fuit immissum ferrum. Iam adeo se compendiaria hæc, producendi æris, ratio approbavit, ut *Cameras* istiusmodi viginti queas numerare. Ex his duas admodum designabimus; ex quarum habitu de reliquis facile fuerit coniicere. Præcipua in his est, quæ *perpendiculariter*, ad LXXV circiter orgyias, in profundum deprimitur, atque CLI orgyiarum anfractuoso meatu gradatim pedibus c) aditur. *Aqua ærata* guttatim hic e fodinæ lateribus stillat, excipiturque, labro primum exiliore, atque hinc demum in grandius aliud, & in alveos divisum, immittitur. Minori illi labro minutiora ferramenta immittuntur, uti sunt soleæ equinæ, & id genus alia, quæ trium, aut quatuor, hebdomadum spatio in æs, eadem, quam habuere, sed elevatiore paulo, forma, transmutantur. Atque hæc quidem aqua efficacior multo est, quam quæ maiori illo labro excipitur. Languide enim isthic, & ad eum modum, ferrum arroditur; ut primo, in superficie aquæ, limosa tantum, flavescentis coloris, cuti-

c) Germani descensum istiusmodi *Manns-Fahrt* vocant.

Digitized by Google

cula quædam innatet, quæ demum, *Marte* nondum penitus eroſo, ceu pinguis limus quidam, ferro paulatim hæreſcit. Limoſam eam materiam metallici *den Schmund* vocant, & in ſingulos menſes, de ferro accurate demtam, in peculiari & altiori loco facta camera, ut humor demanare poſſit, reponunt. Quod tam diu factitant, dum ferrum, aut partem maximam, aut prorſus, exeſum fuerit. Hæc de priori illa *Camera*.

IV. Camerarum altera quindecim orgyias profundius ſubſedit, quam a forma & ſitu *longam* vocant. Nam, cum duarum paſſim orgyiarum latitudinem habeat, longa eſt orgyias viginti quinque. Largius hic, quam in reliquis cameris, *aerata aqua* deſtillat. Præterquam enim, quod ex lateribus & concamerationibus fodinæ guttatim decidat; duas ſcaturigines habet perennes, quæ, ſtraminis craſſitie, aquas continenter fundunt. Utraque ſcaturiginum a meridie adaperitur; atque prior quidem, ab aditu *Cameræ*, ſiniſtrorſum paſſibus tribus, altera paſſibus quinque interius. Ne autem inutiliter diffugiant aquæ, per canaliculos partim in alveos, partim in quadrata labra, corrivantur, in quæ demum vetus novumque ferrum iniiciunt aquarum procuratores. Quin & iſtud obſervavimus, alveos, aquis atque ferro accipiendo factos, provide adeo humi diſpoſitos eſſe, ut nihil uſquam deſtillantis laticis peſſum ire queat. Quod uno alveo ad eum modum acceptum eſt, demanat in alterum, & ex hoc in tertium, atque ſic

Digitized by Google

sic porro; aquarum tamen efficacitate multum diminuta. Nam, cum in priori alveo & celerius, & fortius, arroserit ferrum; tardius id fit atque languidius in altero ac tertio. In eadem hac *Camera*, medio pariete, peculiaris & limpidior aqua guttatim stillat; quam ideo singulari labro colligunt. Huc demum æs, in reliquis cameris factum, immittitur, si id purius fieri volunt. Est enim limpidius hoc aquæ genus, ea virtute, ut impurius cuprum reddat excoctius, magisque nitidum. Alioquin quia singulæ hæ cameræ positione sunt declivi, aquæ, ex alveis & labris dimanantes, a poroso cuniculorum fundo absorbentur sensim, planeque vanescunt. Præter hæc, quæ descripsimus, *aeratarum aquarum* receptacula, passim per fodinarum anfractus loca reperias uvida, quibus ferrum æreo colore tingitur. Quod indicio est, *æratos* plerosque omnes fodinæ *humores* esse oportere.

V. Ad *Aquam* ipsam quod attinet, viridiuscula ea in labris apparet; tametsi, vitro pellucido hausta, limpida sit, & ad cristalli modum transparens. Odoris expertem cognovimus; saporis autem vitriolico-adstringentis, atque temperamenti frigidi. Nobis certe, guttas eius, ad ipsas scaturigines, incautius gustantibus, ad eum modum labia arrosit, uti id accidit ex depulsa febre languidis. Cum in fodina versaremur adhuc, tria quatuorve milliaria, per subterraneos cuniculos reptando, emensi, nihil in labiis sensimus molestiæ, præter tenerum quen-

dam pruritum; at, ubi in liberum, sub dio, aerem emersimus, intumescere primum cœperunt, ac dein pus concipere. Alioquin *aqua* efficaciæ semper est eiusdem, nisi ubi forte stillare cœpit largius; tunc enim dilutior fit, & in arrodendo ferro segnior. Alveos, atque labra, quibus continetur, non modo non corrumpit; sed consolidat etiam, ut solito perdurent diutius. *Cameræ*, quibus labra sunt clausa, nihil quidquam redolent gravius, suntque vitrioli, quod in hac fodina passim subolescit, expertes: credo, ob humidiorem aerem, qui cum liquat, neque patitur, in filamenta cristallosue coalescere. Reperias tamen in nonnullis *cameris*, qua *aerata* hæ *aqua* defluunt, lapidem, albulum hic, alibi, plane ad modum vitrioli, cæruleum. Quin & ad latera cuniculorum, qua ea sunt fundo cameratum proxima, accretum sal quoddam medium observavimus, quod, humidæ ac flavæ terræ immixtum, insipidum est, &, uti lapis specularis, friabile. Metalli fossores, pronum in morbos genus, *aeratam* hanc *aquam*, cum desperatis morbis laborant, tanquam medicatam potionem, magna salubritatis confidentia, bibunt. Quæ demum aut citam alvum, aut vomitum, aut simul utrumque, provocat. In *ophtalmia* tutior eius usus est, si, ad modum *collyrii*, cautius applicetur: *aerata enim aqua oculis prosunt*, inquit *Agricola Lib. II p. m. 117* de Natura eorum, quæ effluunt ex terra.

VI. *Aes cyprium*, quod hic *aerata aqua* generant, multo & decoctius est, ductiliusque, & ad

Digitized by Google

ad liquandum fundendumque pronius, quam sunt eius metalli reliqua genera; qua re adducti auri fabri, pateras ex eo, pocula, & capsulas, negotianæ secum gestandæ, producunt, arte alii aliis limatiore, quas demum facetis, quin & doctis, inscriptionibus ornare, in more positum habent nostri. Plures earum dedimus *Hungariæ Novæ Tomo II* in *Historia Comitatus Zoliensis, Parte generali, Membro Physico*, §. *XI pag. 395.* Cum in aquis adhuc hæret cyprium istud æs, multo est friabilius, quam cum inde eximitur; tunc enim solidescit quodammodo, particulis, e quibus constat, arctius concrescentibus. Limus vero, de quo supra diximus, nihil est aliud, quam præcipitatum ex aqua, & hærescens ferro, *indigestum cuprum.* Annis id singulis *Neosolium* in officinam ærariam, (*Kupffer-Hammer* Germani dicunt,) defertur, eliquaturque illic in purissimum æs cyprium; idque sine exstanti intertrimento: eo, quod exesum ab aqua ærata ferrum pauxillum in eodem limo de heterogenea materia relinquat. Antequam *aerata aquarum* venæ hæ ab illapsa superne inundatione fuissent contemeratæ: id quod nostra ætate accidisse recordamur; plus æris e ferro produci potuisse, certum est. Nam anno quidem 1707 centenarios ferri 88 in cuprum conversos fuisse, certum est; cum iam quotannis vix centenarii 20 in æs commutentur. Unde pronum est colligere, inundationem illam vehementer imminuisse *aeratæ aquæ* pristinam efficaciam; quando abundantiores factæ venæ,

Digitized by Google

quem antea vehebant *spiritum*, ut ita dicam, *ærificum* disluerunt omnino, feceruntque multo, quam erat parcioribus adhuc venis, languidiorem. Enimuero pauciores antea *cameræ æraria* plus procreabant cupri, quam id hodie in *viginti cameris* fieri observes. Quid? quod camerarum pleræque non amplius solidum æs producant, sed limum tantum, quem nunc meminimus, luculento demum igne eliquandum.

VII. Hæc de habitu *aquarum æratarum* dixisse satis est. Nunc, quibus experimentis & ipsi nos, & amici nostri, in cognoscenda earum penitiore natura elaboraverimus, expromendum.

1. *Pondo unum* fortissime & maxime prægnantis *aquæ æratæ*, sensim lenteque evaporatum, turbabatur primum; lutei quidpiam pulveris deiiciens: qui deinde, ad siccitatem excoctus, *duos*, & *medium scrupulum* residui, viridiusculi coloris, post se reliquit. Idem istud *residuum*, more consueto, aqua solutum, præbuit *solutionem viridem*; quæ demum *filtrata*, evaporataque, *vitriolum exhibuit cristalliforme*, *duorum scrupulorum*. Quod e pulvere superabat, luteum fuit, & sex granorum ponderis; ut adeo *pondus medicinale* aquæ æratæ vix quidquam, ultra *duos scrupulos* ⊕i ♀ei, contineat.

2. Pondo unum eiusdem *æratæ aquæ*, oleo *Tartari* præcipitatum, turbabatur, fiebatque coloris marino-viridis, Germanis *Meer-grün*. Id demum *filtratum*, residuum in *filtro* reliquit, quod exsiccatum, *duos & medium scrupulum* præbuit, cum modico ⊖-medio.

3. De-

3. Denique pondo *aquæ æratæ*, in vitro, accurate clauso, iniectum ferreum cuneolum, æreo colore bullulis passim adhærentibus, sensim coepit tingere. Altero post die aqua fiebat turbida, evadebatque albulastriis simul albidiusculis, in vitri fundo, & circa cuneolum, animadversis; dum post dies aliquot luteum, seu cupriforme, sedimentum, ad eundem cuneum, observassemus.

VIII. Ex his experimentis istud omnino condidicimus:

1. *Aquam* hanc re vera *æratam*, & *vitriolo* cupri affatim saturatam esse, atque e metallicis venis, soluto passim æreo pyrite, scaturire. Hinc & *vitriolatam* dici posse, supra monuimus.

2. Aquam eandem ferrum arrodere solvereque; atque existentes in aqua, seu *menstruo* hoc, æreas particulas præcipitare; sive, a solvente illo separatas, ad fundum demittere, sensimque iniecti ferri, cui hærescunt, formam referre. Id quod accuratior cupri huius inspectio satis superque docet; quippe quo non in solidam quandam glabramque massam efformatur, sed, coalescentibus infinitis granulis, sicuti ova piscium, in unum corpus coit, friabile illud, & ultra modum fragile. Atque notum sane est cum chymicis, tum metallurgis, & qui eas artes vel a limine tantum salutarunt, metallum unum præcipitari ab altero. Ita nimirum *Mercurius* vivus, in *aqua forti* solutus, præcipitat *Lunam*; hæc *Saturnum*; iste *Venerem*; *Venus* denique *Martem*. Hinc, si particulam cupri in *Aqua*

Digitized by Google

ta aqua (*Ciment - Wasser*) non intra fodinas modo, sed & in harum superficie, ubertim scateat; qua re simul fit, ut multo, quam hæc nostra, quæ est in *Valle Dominorum*, & prægnantior sit, & ad præcipitandum cuprum efficacior. Quid? quod, cœlo siticuloso & deficiente, sub dio, in scaturiginibus *ærata aqua* ex fontibus proximis, aqua vulgari alia, egestos ex puteis aut cuniculis metallicis, pyritis ærei cumulos, quin & obsoletos cuniculos, ubertim perfundere soleant *Schmœlnicenses*, ut vulgares aquæ illæ, perluto *pyrite ærato*, vim inde atque efficaciam adipiscantur & ferri corrodendi, & deponendi cupri. Quod & ita evenit; corrivatæ enim in alveos atque labra, eandem, quam nativæ aquæ æratæ, ex eluto pyrite, vim atque efficaciam indipiscuntur. Hæc de *Aquis Neosoliensium æratis*, seu *vitriolicis*, observasse, pretium operæ visum est.

IV.

IANI GRVTERI
SVSPICIONVM CRITICARVM
LIBER DECIMVS,
NVNC PRIMVM EDITVS.

AD LECTOREM PRÆFATIO. (*)

Quem

(*) *Et Præfationem hanc, Lector, & ipsam libelli editionem, doctissimo Lipsiæ nostræ civi, I. G. R. debes, qui, cum Belgium obiret, Amstelædamique versaretur, Codicis describendi, residuosque libros publicandi, veniam impetravit.*

Quem emittimus e manu, *Iani Gruteri Suspicionum criticarum Librum X*, Præfatione commendari ambitiosa, non est necesse. Facile enim *Curione* carent cum merita doctissimi hominis, tum conatus illi iuveniles, quos *Suspiciones criticas* inscripsit. Composuerat eiusdem argumenti in summa adolescentia *Libros XXV*, e quibus non nisi novem publicati prostant; plures per typographi operas dare non licuisse, ipse prodit. Complectuntur innumeras affectis diversorum Auctorum locis medendi coniecturas, inprimis *Apuleii* & *Plauti*, quorum, quoad vixit, Scriptorum fuit patronus & expurgator. Abit *Liber nonus* aliquantulum a prioribus, titulum præ se ferens *Extraordinariarum Suspicionum*, inserviensque emaculando *Senecæ* Rhetori, & convellendis emendationibus *Dionysii Gothofredi*, quas proposuit *Libro V Coniecturarum ac variarum Lectionum in Senecam*. Nimis vehementem, ut fit in ista ætate, impugnationem secuta est defensio *Gothofredi* nihilo pacatior, unde occasio nata *Grutero*, confirmationem suarum *Suspicionum* elucubrandi. Resedit tandem æstus, pariterque reliquis *Suspicionum Gruterianarum* Libris triste imminere fatum videbatur, ut tempore delerentur ac oblivione. Quam tamen iacturam fieri non passus est studiosus quidam literarum, qui, ante aliquot annos Batavas Bibliothecas & viros in studiis literarum principes invisens, Codicem *Gruteri*, in Remonstrantium Bibliotheca Amstelædamensi delitescentem, luci

de muliere] disserit, quæ cum milite in conditorio: *Latuerunt ergo una, non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die.* Non longe abit ab his, quamvis abit forsan, *Iustinus, Lib. XXXI* de *Antiocho* scribens: *Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus, novis quotidie nuptiis deditus erat.* Argute etiam *Cicero* nimis de *Clodii* sorore pro M. *Cælio*: *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco præparasti, quo omnis iuventus natandi caussa venit. Hinc licet conditiones quotidie legas.* Quod observate etiam suis inseruit scriptis *Tranquillus, Lampridius, Capitolinus*, aliique. Nam, quod Vir eruditissimus suæ Italiæ, conditionum lectionem quæsitionemque vel solis accommodat stupris, vel nescio cui assignat inspectioni, fallitur. Contradicit manifeste *Caius Lib. II* ad Edictum provinciale, his verbis: *In sponsalibus quoque discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua re hæc verba probata sunt:* Conditione tua non utor. Quibus assentiuntur ista *Marcionis Lib. XVI* Institutionum: *Probibere autem videtur & qui conditionem non quærit. Ecce, vult parentis esse, liberis conditionem quærere.* Quomodo id fiat, innuit *Ulpianus Lib. VI* ad Edictum: *In sponsalibus constituendis parvi refert, per se & coram, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium, hoc factum est, & fere plerumque conditiones interpositis personis expediuntur.* Sed & contradicit *Suetonius*, cum narrat *Claudii Cap. 26*: *Nec durare valuit, qui de conditionibus conti-*

Digitized by Google

uno tractaret, etiam de Petina, quam olim exegerat. Denique *Martialis Lib. V Epigr. 17*:

Dum proavos atavosque refers, & nomina magna;
Dum tibi noster eques sordida conditio est;
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere; nupsisti, Gellia, cistifero.

Pluribus confirmarem, nisi hæc intelligenti plus satis essent. Nam ab eo quoque est, quod vilis illa infamium muliercularum captura *dos* vocetur *Apuleio* in *Apologia*: *Tantum enim ad eum de bonis matris liberum venit, præter quod ei uxor sua quotidianis dotibus quæsivit.*

CAPVT II.

Habemus adhuc primore *Cistellariæ Actu*:

Semperque istam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multisque damno, & mihi lucro sine meo sæpe eris sumtu.

Ad quæ *Lambinus*: *Istam ætatulam obtinebis; id est, ætatem teneram & puellarem.* Itane vero? Etiam cum quinquaginta annorum? Non puto hercle, nisi si forte *Medeæ* se recoquat herbis. Quid ergo? Meo quidem animo hoc vult: bene ipsi fore opiparis obsoniis, exquisito vino, vestibus pretiosis. Et vel hoc sequens arguat versus, qui, *ætatulam* illam sine amatorum pernicie obtineri, negat. Ei tamen maculæ aliquid inhærere videtur. Nam a membranaceis *Langii* abest dictio *sæpe*; quam sane nec ego hic requiro; nisi si forte licet suspicari, fuisse primitus: *sine meopte eris sumtu.* Porro *ætatula* hic nihil aliud

Digitized by Google

erit, quam *vita*. Quod videor probare posse istis *Mostellar. Sc. Melius anno*:

> *Musice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:*
> *Vino & victu, piscatu probo, electili,*
> *Vitam colitis.*

Quippe *colere vitam* idem puto cum eo, quod præcessit, *agere ætatem*. De *ætatula* quod restat, diversa paulo notione occurrit *Lib. I Metamorph. Apuleiana*, ubi est; *Hic est, soror Panthia, carus Endymion: hic catamitus meus, qui diebus ac noctibus ætatulam meam illusit*: &c. Haud tamen putarim hic eodem sumi modo, quo *Lib. X Metamorph.* in descriptione *Veneris*: *Nudo & intecto corpore perfectam formositatem professa; nisi quod tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem; quam quidem laciniam curiosulus ventus, satis amanter nunc lasciviens, reflabat, ut dimota pateret flos ætatulæ*; siquidem videntur per *ætatulæ florem* eæ notari partes, in quibus occulte spicula tingit Amor. Nunc ad *Cistellariam* denuo. Eadem *Scena*:

> *Gy. Di faxint. Le. Sine opera tua nihil Di*
> *Horunc facere possunt.*

Ab hac sententia non alienum est, quod habemus in *Casin. Sc. Qui illum*: *Sed nihil est, me cupere factum, nisi tu factis adiuvas.* Item *Pœnuli Sc. Satis spectatum: Ut ego hanc familiam interire cupio! Mi. Adde operam, si cupis.* Attexam, elegantiæ causa, expostulationem *Catonis*, quæ apud

Digitized by Google

apud *Sallustium Bello Catilin.*: *Non votis, neque supplicîis muliebribus, auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt.*

CAPVT III.

Ego, ille emendatorum auditor, nunc etiam fio adiutor; non talis quidem, qui *Molonis* alicuius, aut *Morichi*, instar omnia radicitus evellat; sed qui, olitoris more, tenellis malarum herbarum fibris *Apuleianum* exoneret agrum. Verum libet prius fruticem unum adminiculo sustentare. Exstat Milesiarum fabularum *Lib VI* in responso *Cereris*: *Tuis quidem lacbrymosis precibus & commoveor, & opitulari cupio; sed cognata mea, - - malam gratiam subire nequeo.* *Mala gratia* nove dictum videri posset, nisi tueretur se auctoritate *Senecæ*, scribentis *Epistola* 82: *Hoc certe iustitiæ convenit, suum cuique reddere; beneficio gratiam, iniuriæ talionem, aut certe malam gratiam.* Subrusticum quid palato meo sapit; quamvis noverim illud *Sallustii Bello Jugurth.*: *Oppidanos hortatur, mœnia defendant, additis auxilio perfugis; quod genus ex copiis regiis, quia fallere nequibant, firmissimum.* Itaque nihilo minus suspicor fere, substitui posse: *Malam gratiam subire metuo.* Sed hoc ita, ut vulgarem lectionem non improbem, Post multa: *Perrexit Psyche volenter, non obsequium quidem illa functura, sed requiem malorum, præcipitio fluvialis rupis habitura.*

Digitized by Google

Videbatur mihi paulo concinnius: *rupis aditura;* videbitur vero & aliis, qui rem pensiculabunt religiosius. Verba sunt in descriptione ovium: *cornuque acuto, & fronte saxea.* Tollatur saltem typographicum mendum: *fronte saxea.* Nec longe: *Jamque & ipsa semet muniebant vocales aquæ. Nam &, discede, quid facis? &, vide, &, quid agis? Cave, &, fuge, &, peribis, subinde clamant.* Prurit manus rescribere: *Et quid facias vide, & quid agis?* Hac sane ratione vitabimus battologiam. Deinde: *Continuaberis claudum asinum, lignorum gerulum, cum agasone simili; qui te rogabit, decidentes sarcina fusticulos aliquot porrigas ei.* Alii aliter ad correctionem grassantur. Ego malim unius literulæ repetitione: *decidentis sarcina fusticulos.* Sed ita, ut *decidentis* referatur ad *fusticulos*, sitque ideo pluralis numeri. Scilicet verisimile est, claudum hunc agasonem insedisse strui lignorum, qua onustus erat asinus; gravatumque descendere ipsam *Psychen* voluisse compellare, ut recolligendi fusticulos præstaret operam.

CAPVT IV.

Nihil quidem odiosius diligenti stultitia; at ita tamen animatus sum, ut eam porro lectoribus non gustu tantum propinem, sed ad satietatem usque largiter oggeram. Sed non est, quod nimium offendantur. Nam mox aderunt, qui selecta dape nauseabundum restaurent stomachum. Adhuc prima *Cistellariæ Scena*:

Noli,

Noli, obsecro, lacrymis tuis mihi exercitum imperáre.
Si. Mea excrucior, mea Gymnasium, male mihi est.

Nihil posteriora hæc arguti tinniunt, nihil blandi, mihi certe. Sequerer potius vetuste impressorum lectionem: *male excrucior, mea Gymnasium,* nisi si cui forte hæc magis arridet hariolatio mea:

Noli, obsecro, lacrymis tuis mihi exercitum imperare,
Mea. Si. Excrucior mea.

Sane, cum sit in confesso, antiquiores sine personis vulgasse fabulas, nihil mirum fuerit, si & hic peccatum fuerit in earum recta locatione. Statim;

In latebras abscondas pectore penitissimo.
Tuam stultitiam, sola facito, ut scias sine aliis arbitris.

Huc plane spectant illa *Plauti Baccharia*, quæ citantur *Macrob. Lib. II cap. 12 Saturnal.*:

Quis est mortalis tanta fortuna affectus unquam,
Quam ego nunc sum, cuius hac ventri portatur pompa?
Vel nunc qui mihi in mari acipenser latuit antehac,
Cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

Progrediar ulterius. Ait *Silenium*:

Eho, an, amare occipere, amarum est, obsecro.

Haud aliter *Trinummo Sc. Multas res*: *Amor amara*

ra dat tibi satis, quod agre sit. Cave enim, ibi quidquam mutes. Sic quippe legendum doceo *Lib. XIII cap. 3.* Simile adducit *Auctor ad Herennium Lib. IV*: *Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* De qua sententia, operæ pretium est, audire *Quintilianum Lib. IX cap. 3 Orat. Instit.*: *Aliter quoque voces aut eædem diversa in significatione ponuntur, aut productione tantum, vel correptione, mutata.* Quod & in iocis frigidum, equidem tradi inter præcepta miror; eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi, gratia pono: *Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* Sed ad *Plautum*:

Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima:
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Idem fatetur, quisquis ille est apud *Turpilium Lemnius*, dum infit: *Nunquam unius me comparavi servire elegantiæ.* Quomodo autem genus istud hominum plures adventores sine ullo contineat litigio, lepide expressit *Nævius Tarentilla* apud *Isidor. Lib. I cap. 25 Originum*:

- - - *Quasi in choro*
Pila ludens, dat datatim sese, & communem facit,
Alium tenet, alii adnutat, alii adnictat, alium amat.
Alii manus est occupata: alii pervellit pedem.
Alii dat annulum spectandum: at labris alium invocat.

Cum

Digitized by Google

Cum alio cantat; attamen aliis dictat digito
literas.

Ita & versus suppleverim ac digesserim, partim ex *Festi* fide in *Adnictat*, partim ex suspiciosa coniectura, quam tamen, vix est, ut præstem. Hoc addam; videri ad isthæc *Naviana* respexisse *Senecam*, cum scribit *Lib. I cap. 14 de Beneficiis*: *Quemadmodum meretrix ita inter multos se dividit, ut nemo non aliquod signum familiaris animi ferat; ita, qui sua beneficia amabilia vult esse, excogitet, quomodo & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se ceteris præferant.*

CAPVT V.

Scribitur in Lycia locus esse, qui perforato solo flammas evomat, quæ tamen innoxiæ porro serpant, nec herbis floribusve ullum inferant damnum. Ad eam faciem & hæc mea est scriptio. Licet enim viridaria bonorum Auctorum critico igne ustulare videantur, non tamen ustulant; vi remissa ac languida refulgent; ipsis suus manet color, suus vigor. Scribitur *Apuleio Lib. VI Metam.*: *Sic turris illa vel prospicua vaticinationis munus explicuit.* Nescio, an probe. Probabiliter hercle emendare videbar: *turris illa belle prospicua.* Deinde: *Ante pedes eius residens humilis, & ciborio pane contenta, Veneream pertulit legationem. Statimque secreto repletam conclusamque pyxidem suscipit.* Miratur alibi Veneris istius filius, tantum inferre doloris aculeo suo pusillam apem. Licet & nos

Digitized by Google

miremur leve punctum, turbandæ *Apuleiana* sententiæ. Sane illud *secreto* apice suo privabitur, fietque nomen; si mihi quidem obaudiet, hoc modo: *statimque secreto repletam*. Vocat secretum divinæ illum pulcritudinis thesaurum, quem a *Psyche* conspici *Venus* nolebat. Haud secus *Petronius Cap 21: Uterque nostrum religiosissimis iuravit verbis, inter nos periturum esse tam horribile secretum*. Post aliquammulta: *Iupiter sic enuntiat: Dei conscripti Musarum albo, adolescentem istum, quod manibus meis alumnatus sit, profecto scitis omnes*. Scilicet *Iupiter*, non solum *Cupidinis* huius nutricius, sed mortalium omnium. Docet satis cognomen, quo vocatur *alumnus*, erutum mihi ex *Augustini Lib. VII cap. 11 de Civit. Dei*: *Dixerunt Iovem Victorem, Invictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centupedam, Supinalem, Tigillum, Almum, Ruminum, & alia, quæ persequi longum est*. Ita pol ibidem lego cum plerisque manuscriptorum, non *Alumnum*, nec *Almum*. Removerunt vocem germanam homines, qui, *alumnum* de eo solum dici, sciebant, *quem alimus*. Perperam. Nam & eum comprehendit, *qui nutrit*. *Isidorus Lib. X Origin.*: *Alumnus ab alendo vocatus; licet & qui alit, & qui alitur, alumnus dici potest; id est, & qui nutrit, & qui nutritur*. Prorsus clare. Unde & *Martianus Capella Lib. I de Nuptiis Philologiæ*: *Cum his grata Ceres, admodum gravis fœmina, alumnaque terrarum, ac nutrix mortalium, videbatur*. Quare ne dubitemus corrigere illud *Nonii Marcelli*:

Alu-

Digitized by Google

Alumnos consuetudo, quos alas, vel educes, vel eos, qui aluntur, dici vult. Inepte. Legatum meo periculo, *qui alunt, dici vult.* Nam plane hunc locum tangit *Nestor* quidam, non ille trisedus, sed *Vocabulista* dictus, cum scribit, *Marcellum* utraque significatione *Alumnum* interpretari. Et, hanc *Nonii* maculam non eluisse nuperum correctorem, miror.

CAPVT VI.

Ut *Phryne* iam anus amatores inveniebat nulla alia de causa, quam ut ii aliquando gloriari possent, sese etiam adeo formosam frequentasse; sic & mihi in amoribus *Plautus*, ut vel inter eos numerer, qui laboranti, nescio quam, tulerim opem. Quanquam, ne rem ipsam dissimulem, nihil fere in eo, quod opellam meam desideret; usque adeo diligentes circa ipsum fuerunt, qui me praecesserunt. Ergo, quod restat, hoc agam, & reliquiarum sublegam reliquias. *Cistellariae Scena prima*:

Sed tun' unquam cum quiquam viro
Consuevisti?

Minimissimum dicam, sed vel ex tali laureola mustaceum. Legitur in primae aetatis editionibus: *Sed tu en unquam.* Id meae gulae nimis quam opiparum est. Siquidem sapit antiquitatem, poniturque pro *unquam ne. Varro Lib I cap. 2 de re rustica: En ibi tu quidquam nasci putas posse, aut coli natum.* Etiam noster *Trinum. Sc. Minus quindecim*, circa finem: *O pater! en unquam adspiciam te?* Redonetur idem verbum lari proprio *Menaechmis Sc. Edepol ne hic: Dic*

 mibi:

mihi: en unquam tibi intestina crepant, quod sentias? Ita prisci libri. Male vulgatur: *Dic mihi, an unquam.* Versibus præcedentibus:

- de ea re gessit morem morigera mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.

Ad hæc *Lambinus: Gnaviter legendum arbitror, ut habent libri vulgati, omnibus antiquis invitis, qui habent graviter.* Sic ille. At ego adhæserim scriptis Codicibus, & in veteri sede retinuerim *graviter.* Eodem significatu *Cæcilius Plotio: Placere occœpit graviter, postquam est mortua.* Nec aliter noster *Persa Sc. Edepol: Si quid bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet,* quibus omnino conveniunt illa *Accii Nyctegresia: Id, quod facis, gratum & grave est.* Excidit idem vocabulum *Symmacho Lib. V Epist. 5: Quæ muneri miseratis, ea nobis in commune quam chara & grata fuere.* Maluerim cum MSto Divi *Benigni: & gravia fuere.* Nam, vim huius vocis probe Consulari nostro cognitam, moneor alio loco, qui est *Lib. III Epist. 49: In gravido non habeo, quod amicitiæ meæ viros edecumata honestatis adiungis.* Nam & ibi modica usus libertate restituerim: *In gravi dum non habeo*; quod esset, *leve non duco.* Quippe idem scribit *Lib. V Epist. 64: Quin imo uberis gratiæ instar accepi, quod amicitiæ meæ V. C. Scipio, te mystagogo usus, accessit.* Iterum *Lib. III Epist. 51: Ago quidem studio meo uberes gratias, quod mihi familiaritatem probasis-*

batissimi cuiusque concilias. Ubi, nemo non videt, rescribendum, *studio tuo.* Sed redeo ad *graviter*, de quo nihil amplius dicam; tantum consulatur *Nonius.* Quod tamen idem ex *Titinnii Psaltria* adducitur: Gravique *obsonio convivas*; id ita intellexerim, tanquam velit eum, quisquis est, lauto & vario obsonio convivium instituere. Nam & ea terminatio antiquis in usu. *Ennius Satyr. Lib. I: Malo hercle suo magno convivat sine modo. Pomponius Munda: Si Calendis convivat, idibus cœnet foris.* Glossarium: *Convivo, συνευωχοῦμαι, συνεστιῶμαι.*

CAPVT VII.

Ea est antiquitatis apud me reverentia, ut nihil in libris mutem, etiam vitii manifesti, nisi & idem totius musicæ cohortis communi improbetur calculo. Quare, cum sequentia hæc vix a quoquam ullius accusentur criminis, absit, ut quid de eis statuam durius. Loquitur *Apuleius Lib. VI: Ecce, confecto nescio quo gravi prælio, latrones reveniunt onusti; nonnulli tamen, animo promtiores, vulneratis domi relictis, & plagas recurantibus, ipsi ad reliquas* &c. Cum quidvis suspicari liceat, graviter suspicor, omnia multo belliore sensu & distingui, & rescribi, posse: *Reveniunt onusti, nonnulli tamen, imo promtiores, vulneratis domi relictis*, &c. Illis enim maximum in præliis periculum, qui promtissime, ideoque e proximo, adversarios aggrediuntur. Quod & *Lucius* noster fatetur *Libro*

pro-

Digitized by Google

proximo: *Cognitoque, quosdam, immo vero fortissimum quemque, variis quidem, sed impigris, casibus oppetiisse*; &c. Habemus consequenter: *Et ipse mecum: Quid stas, o Luci, vel quid iam novissimum exspectas?* Sic edendum curavit *Beroaldus*. Veteres habebant: *Quid istas Luci*, &c. Ex eo promte faceremus: *Quid hic stas*, vel *quid restas, Luci*. Sed iam nimius fui intra lineas; libet eas transilire, & invisere mellitissimum Poetarum, *Propertium*, cuius versus videtur mihi suspectus *Lib. III Eleg.* 14:

Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris;
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Minima temeritate mutaverim: *Candentia brachia*, atque in hac coniectura mihi plaudam, si approbatorem invenero. Interim, neminem hactenus exstitisse, cui vulgata lectio displicuerit, valde miror. Quod & dictum volo de ea, quæ apud *Ovidium*, ubi de *Caco* agit, *Lib. I Fastorum*;

Nulla videt quærens taciti vestigia furti.
Traxerat aversos Cacus in antra boves.

Apage istos boves, reducaturque potius, quod in plerisque MSCtis, quos citat *Ciofanus*: *antra feros*. Non quod ea ipsa sincerior sit lectio, sed ad sinceriorem digitum intendat. Nam, fuisse antea *feros*, vix ulli fiet dubium, cui constabit, sic vocari non *equos* solum, sed & *cervos*. Sic sane de iis *Virgilius Lib. VII Æneid. v.* 489: *Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat*. Hic itaque aversi feri erunt boves illi, sive adeo tauri, quos

Mul-

Digitized by Google

Mulciberi ille filius caudis in speluncam traxerat. Iam, quod exstat apud eundem *Nasonem Lib. II Tristium*:

> *Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera, de qua*
> *Inter amatorem pugna virumque fuit,*

perperam forte scribitur, &, nisi me amabilis ludit insania, fuit: *virumque furit.* Dispiciant ingeniosiores. Nam ego iterum, masculo plane saltu, ab Amorum ad Armorum scriptorem transiliam, *Vegetium* dico; siquidem cerebrum meum findunt verba eius *Lib. III cap. 5 de re militari*: *Vocalia* (signa) *dicuntur, quae voce humana pronuntiantur, sicut in vigiliis, vel in praelio pro signo dicitur: ut puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris*, &c. Satis odoror, quomodo hæc excusari possent. Sed nihilo minus vix mihi eripi potest, *ut puta* successisse in possessionem vocis probæ, sed oppido antiquæ, ideoque oculis atque auribus exscriptorum ignorabilioris. Itaque, qui mihi auscultabit, interpunget corrigetque *pronuntiantur. Sicut in vigiliis, vel in prælio pro signo dicitur Vicepota, Victoria*, &c. Quisquis es, agnoscis boni prorsus ominis vocem, & quam militares viri præusurpent tanquam aut pro ipsa victoria, aut uno de cognominibus *Iovis*. Eius meminerunt *Livius*, *Seneca*, etiam *Cicero Lib. II de Legibus*, apud quem quoniam hactenus in occulto latuit, nunc saltem, vindice *Errico Memmio*, uno illo & unico literarum literatorumque alumno, protrahatur. Insit *Tullius*: *Virtu-*

Digitized by Google

Virtutes enim, non vitia, consecrare decet. Araque vetus stat in Palatio Febris; & altera Esquiliis, Malæ Fortunæ, detestataque; quæ omnia eiusmodi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, Vicepotæ potius vincendi atque potiundi, statassandique cognomina, Statoris, & Invicti Iovis: &c. Sic enim, nullo apice minus, exhibent manuscripta eius, quem dixi, exemplaria; nisi quod leve mendum habeant, *statassandi qua*, scilicet pro *statassandique*; quod liberaliter emaculavit ingenuarum virtutum artiumque *Nicolaus Faber* suis ad *Senecæ ludum super mortem Claudii* notis. Quod reliquum est, nemini mirum videri debet, etsi *Flavius* iste dictione utatur antiquiore. Nam, instituta illa rei militaris pleraque ex commentariis veterum sibi hausta, ipse *Prologi* titulo testatur. Sed nec recentior forsan formula est, quod nonnulli putant, *Deus nobiscum.* Nam, & in singulari numero usos veteres Romanos, testatur *Lactantius Lib. II cap. 1 divin. institut.*: *At vero, si qua necessitas gravis præcesserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit; si sæva tempestas, si grando ingruerit: ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium, Deus, ut subveniat, oratur* &c.

CAPVT VIII.

Non ambigo, quin eadem mihi erit, quæ multis, conditio, hoc est, ut, dum sæpe alios pro deridiculis habeo, ipse quam maxime talis fiam.

Digitized by Google

fiam. Forte etiam in hoc *Plauti Cistellar. Sc. Idem mihi*:

Postquam puellam eam a me accepit, illico
Eandem puellam peperit, quam a me acceperat,
Sine obstetricis opera, & sine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt sibi.

Postrema ista satis inepte exponere videtur *Lambinus*, dum ait: *Similiter atque aliæ pariunt meretrices, quæ, partus sibi supponentes, malum sibi arcessunt iumento suo.* Quo nihil magis remotum a Lenæ mente, quæ ipsas potius meretrices sibi a mala re re cavere dictitat: eam vero ultro quasi quærere, quæ legitime pariunt. Atque ita hæc etiam accipit ornamentum meum non minus, quam suæ Bataviæ, *Ianus Dousa*, Nordovix. Nec vim facit verbis, ut facere tibi videtur, *Iacobe Scheki*, magni avi longe maioris exspectationis docta stirps. Non facit, si modo penultimum versum tanquam parenthesi includamus, coniunganturque hæc: *Eam puellam peperit, ... aliæ pariunt, quæ malum quærunt sibi*, ut ... ut finxit se Melænis meretrix eandem peperisse puellam obstetricis opera, & cum doloribus; finxit, inquam, peperisse eam item ut aliæ pariant, quæ malum sibi quærunt, quibusque opus est obstetricis opera. Et quidni malum meretricibus quærere videantur eæ, quæ conceptionem præpedire possunt, non tamen præpediunt? Iam, ex meretricia fuisse disciplina,

post

Digitized by Google

post pueri suppositionem extremum simulare, tanquam a partu, languorem, satis probant Comœdiæ. Atque inde illa confessio *Phronesii Dinarcho* in *Trucul. Sc. Num tibi:*

> - - *nunc tu te interim*
> *Quasi pro puerpera hic procuras? Ph. Quippini?*
> *Ubi sine labore res geri pulcre potest.*

Sed & ancilla iam dicti scorti, dum persuadere vult verum dominæ partum, *Sc. Ad fores:*

> *Horresco misera, mentio quoties fit partionis;*
> *Ita pene tibi fuit Phronesium;*

item illa ipsa de sese adventanti militi *Sc. Ne exspectetis:*

> *Salve, qui me interfecisti pene & vita & lumine,*
> *Quique vim magni doloris per voluptatem tuam*
> *Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum;*

& mox: - *Suavium sis pete hinc a me, nequeo caput tollere.* vere persuadet militi. Sed de hoc ...fecero tamen amici cuiusdam mei satis, ubi ...piciones: primam, qua *malum quærere* binas ...fertatur, schemate licentiosiore, pro malo ilicet illo, de quo ego *Lib. VII cap. 13*, quod una cum gemino suo fratre non minus colitur ab iis, qui quotidianas faciunt nuptias, quam *Castor* & *Pollux* a periclitantibus nautis. Secunda suspicio eius erat, ut non longe a literarum ductu & sono hæc ipsa emendari posse putaret: *Qua malo cavent sibi.* Atque eo quidem magis, quod testentur alii, in aliquot vulgatis Codicibus

Digitized by Google

bus concipi: *Quæ malo quærunt-sibi. Cavere malo*, frequens admodum *Plauto*. Itaque superfluum, proferre exempla. Verum hoc utrumque ingeniosum fortasse magis, quam verum. Interim tamen, quod *Guilielmus* noster pro eo, quod est apud *Tibullum Eleg. 7 Lib II:*

- - - - Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo,

restitui posse arbitrabatur: *cavere suo*, eique confirmando affert vulgatum istud: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum*, nihil, me iudice, peccat; qui similem sententiam sic puto pronuntiatam *Propertio Lib. III Eleg. 11:*

Ista ego præterita, iactavi verba iuventa;
Tu nunc exemplo disce timere meo.

Mihi sane *timere* & *cavere* eiusdem fere habentur notionis; quin etiam, ubi ait *Horatius Lib. II Od. 14:*

Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ;
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum,

primo versu non adeo forsan insubide substituerim: *Marte cavebimus*. Nec enim video, quomodo Adria multis timeatur in locis. Certe in manu est cuiuslibet, eam non adire propius. Sed & videtur alioqui *cavere* istud lepide nimis congruere cum illo *metuere*, quod sequitur *versu quarto*; quin ipse insuper *Horatius* alibi hoc ipsum quasi explicat *Lib. I Od. 15:*

Nequicquam thalamo graves
Hastas, & calami spicula Cnossii
Vitabis.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Miseris me cruciant modis verba *Lib. VII Apuleii: Nam & illa ipsa praeclara Magia tua, non vultum laboresque tibi tantum asini, verum corium, non asini crassum, sed hirudinis tenue membranulum circumdedit.* Nec enim in animum induco, hirundinibus tenuiorem cutem, quam ceteris avibus. Id certe nusquam memini legere. Ne itaque diutius tanquam in eculeo torquear, libet locum hunc, tanquam conclamatione depositum, nigra insignire theta. Fors fuat, ut præsentior aliquis *Æsculapius* artis suæ faciat periculum, corpusculumque istud postliminio mortis animet. Ego tantum tentabo magicæ disciplinæ vi, num momentaneum aliquem flatum inspirare valeam: *Verum corium non asini crassum, sed hirudinis stimulo membranulum pervium dedit.* Si sic longius disceditur ab literarum apicibus, concinnare quis queat: *Sed & hirudini tenue membranulum circum dedit*, hoc est, membranam circumdedit, quæ vel ipsius hirudinis confessione tenuior. Divisim scripsi *circum dedit*, quia minus eleganter dici putabam *circumdare vultum, circumdare labores* alicui; sed, absistam, melius est, ne, etiamsi quid præstem operæ pretium, alterius tamen incurram fidiculas, tanquam reus videlicet vetitæ artis. Per me igitur locus iste maneat potius funus, quam ut ego deinde fiam; eo quoque magis, quod leviter nimis sperem, ut medicorum aliquis iam cadaver factum ad momentaneæ vitæ reducat officia.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

Artem, quam novi, exercebo, ingentique conatu perseverabo dicere quid? Magnas nugas. Quem tales audire aut piget, aut pudet, iam nunc abeat licet. Quem non, hæc mecum inspiciat *Plauti Cistell. Sc. Utrumque hac*, in fine:

Hæc res sic gesta est. Bene valete, & vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac,
Servate vestros socios, veteres & novos;
Augete auxilia vestris iustis legibus;
Perdite perduelles, parite laudem & lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas sufferant.

Versus antepenultimus longe aliter corripitur in primæ impressionis exemplaribus; nempe: *Augete auxilia vestris victis legionibus*, nec fortasse abs re. Nam, postquam multum diuque quæsivi, visus sum eorum verborum indagasse sensum tolerabilem. Cum enim *Plautus* omnibus fere Prologis aut Romanos adhortetur ad res bellicas, aut ab iisdem laudet; suspicabar, scriptam hanc Fabulam, cum *Hannibal* illos antea semper victores 20 annorum pace, otio, & armorum desuetudine, enervatos, marte superasset. Quæritis, quando & ubi? Equidem de tempore & loco nihil exputo exactius. Fuerit saltim aut ad Trebiam & Ticinum, aut postea ad Thrasymenum, sive denique ad ipsas Cannas. Audite, adsum. Ubi inquit noster: - - *vincite virtute vera, quod fecistis antidhac*, respicere eum crediderim ad Bellum Punicum primum. Sane eandem clausulam repetit versu ultimo *Prologi*

Digitized by Google

Casina. Hoc primum. Deinde, quod adiicit: *Servate vestros socios veteres & novos*, videtur graphice innuere bellum Punicum secundum. Quippe notum est, bellum illud motum ob Saguntinos, socios Romanorum, deletos. Veteres ergo dicit & novos ambigue; sive quod respiciat ad caput fœderis, de quo controversia inter Pœnos & Quirites, dum hi illud violatum ab *Hannibale* asseverant; quoniam societate sibi iunctos aggressus esset; illi contra responderent argutarenturque, Saguntinos Romanorum socios demum factos post initum fœdus; sive etiam simpliciter; ut, quoscunque aut iam pronuper, aut iam olim, sibi adiunxissent, sedulo servarent. His positis, sequitur, bene eum monere Romanos, ne animum despondeant, quamvis iam aliquoties inferiores; auxiliis siquidem recentioribus suppleri posse iam victas legiones. Hoc tantum me suboffendit, quod vocem *victas* usurpet, quæ procul dubio onerosior videri posset populi auribus. Quare viderint alii, an, si illa mutanda sint in *iustis legionibus*, tamen locus retineri debeat, eiecto vocabulo *legibus*. Et scio quidem, alibi *Pænulo* legi *Sc. Ita me Dii*:

Servuli esse duco, festinantem currere,
Præsertim in re populi placida, atque interfectis hostibus,
Non decet tumultuari.

Sed tantum abest, ut versus illi me oppugnent, ut potius muniant; tanquam scilicet illa ipsa scripserit *Plautus*, cum se fortuna a Pœnis ad Romanos converterat, verum non ita pridem, quin ad-

Digitized by Google

adhuc tumultus aliquis ac consternatio in recenti esset populi memoria. Plane victorias aliquot recentes de Carthaginensibus partas, satis adstruit *Prologus Asinar.*:

Date benigne operam mibi,
Ut vos item alias, pariter nunc Mars adiuvet.

Iterum *Prologus Captiv*:

Abeo. Valete, iudices iustissimi
Domi, bellique duellatoret optimi.

Nec non *Prologus Rudentis*:

Valete, ut hostes vestri diffidant sibi.

Denique omnium apertissime *Prolog. Pseudoli*:

— malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet; vosque ideo estis boni, quando-quidem
Semper odistis malos; & lege, & legionibus
Hos fugitastis, Quirites; successis bonis.

Hæc habebam ad istum locum, quæ, si nullius usus erunt, at declarabunt saltem meam, sive in adminiculandis iuniorum studiis propensionem, sive potius certius aliquid discendi, monitu aliorum, voluntatem.

CAPUT XI.

Citat ex *Catonis* monumentis voces duas *Charisius Lib. I*: *Sanguen emittatur.* Eas ex Oratione aliqua desumtas, quæ pœnam nocentibus irrogabat, suspicari quis potest. Et vero, si constaret, *Iulium Frontinum* sententias *Porcii* huius solitum suis referre verbis, fere affirmarem, egisse ipsum ibidem de furti crimine, quod ita ex hoc *Catone* ille, quem dixi, *Iulius Lib. IV Cap. 1 Stratagematum*: *M. Cato memoria tra-*

 didit,

Digitized by Google

didit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas; aut, si lenius animadvertere voluissent, in principes sanguinem missum. Quæ verba, quia varie & corriguntur & explicantur, ita distinxerim: *Tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas; aut, si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.* Et *principia* capio quidem cum maximo illo *Petro Fabro* pro loco illo castrorum, ubi Dii, ubi signa. Exemplum autem totum sic acceperim, ut velit, si quis aliquid furto commilitonibus abstulisset, ei dextram præcisam, si clementius cum eo ageretur, sanguinem in principiis missum. Plane castigatio militum plerumque ad principia, maioris, credo, pudoris gratia, quasi ibidem in conspectu etiam Deorum immortalium. *Valerius Maximus Lib. II Cap. 7: Iussit eum toga laciniis abscissis amictum, decinctaque tunica indutum, nudis pedibus, a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.* Sed & idem *Frontinus Capite* citato plura recenset huius moris exempla. Nunc unum adducam, ut examinem: *Sylla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis iussit.* In his verbis latere aliquid existimant viri docti, quod non inducantur, ut credant, galeam illi relictam, cui iam militare cingulum ablatum. Et quidem aliquid latet; haud tamen, quod etiam vulgatam lectionem evertat. Tantum voluit *Sylla* pudendo habitu ignavioribus istis incutere pudorem. Quid

Quid enim ridiculum magis, quam ut quis, ab aliis armis nudus, galeato visatur capite?

CAPUT XII.

Integer mihi videtur locus *Lib. VI Metamorph.* Apuleiana: *At illa, quamvis humi prostrata, loro tamen tenaciter inhærebat; ut me procurrentem aliquantisper tractu sui sequeretur.* Itaque nihil in eo cum aliis mutaverim. Non enim longe aliter *Gellius Lib. XVI cap. 16: Quamobrem postea, cum, prælio populi Romani victus, in ultima regni confugisset, & mori decrevisset, & venena violentissima festinandæ necis gratia frustra expertus esset, suo se ipse gladio traiecit*, retraho duas voces: *Victus metu sui in ultima regni* &c. *Metu sui est*, dum vitæ suæ metuit; phrasis meis auribus nova; itaque notata. Nam diserte *sui* exstat in veterrima editione Veneta annorum 96. Est in *Oratione Virginis ad asinum*: *Iam primum iubam istam tuam probe pectinatam meis virginalibus monilibus adornabo; frontem vero crispatam prius, decoriter discriminabo, caudæque setas incuria congestas & horridas, comta diligentia pectinabo.* Nullo sententiæ respectu mavult *Beroaldus*: *Cuncta diligentia.* Si quidem innuit, sese delicatis illis manicellis caudam asini huius comturam.] Nam, sive *comere* significet *pectine discriminare*, sive adeo *ornare* & *componere*, hic omnino retineri debet. Sane, ut metaphorice ponatur, valde usitatum est. Noster *Lib. IX*: *Fabulam denique bonam, præ ceteris suave*

comtam, ad aures vestras afferre decrevi. Ausonius Protreptico ad nepotem:

Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, & adstricto percurris pulpita socco.

Iterum *Iambo ad Probum:*

Paribusque comit infulis
Aniciorum stemmata.

Prudentius Peristephan.:

Hoc est monile Ecclesiæ; his illa gemmis comitur.

Sed & non Poetæ. *Tacitus Lib. III Annal.: Præcedebant incomta signa, versi fasces.* Item *Lib. VI: Mitis ingenio, & comta facundia. Gellius Lib. I Cap. 9: Est etiam, inquit Taurus, proh Iupiter! qui Platonem legere postulet, non vitæ ornandæ, sed linguæ orationisque comendæ, gratia.* Atque inde *εἰρωνικῶς Terentius Heaut. Act. V Scen. I:*

Si vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei.

Et forte quod legitur apud dictum *Cornelium Lib. IV Historiarum: Revulsæ Imperatorum imagines, innexa signa,* mutandum est in *impexa signa.* Si enim supra dixit, eadem incomta fuisse; quidni etiam dicere possit *impexa?* Nam, quod Budensis Codex præfert *inhora,* & Romanus *in ora;* suspicer mendum, & fuisse *inhonora;* quod tamen interpretatio fuerit figuratæ locutionis. Finiam, ubi advocavero *Porcium Latronem,* cuius hæc verba apud *Senecam Lib. II Controvers. 4: Qualem vidi! Ipsa fungebatur officiis, sedula circa lectum ægrotantis, in omnia discur-*

Digitized by Google

discurrebat ministeria, non impulsis tantum, sed laniatis, capillis. Vox *impulsis* an hic inepta sit, non dicam. Tantum videat quis, an non aptius fuerit: *Non impexis.* Antique scribebatur *impecsis;* id caussam dedisse potuit depravandi. Atque de his ita suspicabar.

CAPVT XIII.

Cum similium locorum indagatione nihil sit iucundius, nihil utilius: utpote quæ & ingenii nobis excitet florem, & bonorum verborum frugem alat; non leviter recreor, quoties locus ita genuinæ occurrit similitudinis, ut discernere nequirem, uter propagatus esset ab altero, nisi diversitas argueret ætatum. Talis versus mihi iste extremo *Lib. VI Metam. Apul.*: *Talibus dictis, non pedibus, sed totis animis, latrones in eius vadunt sententiam.* Nam plane similiter *Prudentius Lib. I contra Symmachum:*

Qua vocat egregii sententia Principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde, freqnentia transit.

Et, quia inibi sum, inquirere libet in versum alium Christiani huius Poetæ, qui *Dianæ* insignite facit iniuriam. Sic enim *Peristephan.* loquitur Romanus:

Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis.

Omnino contra decorum & sensum, ut venationi parata molle succingatur, & quidem *Diana.* Non dubium mihi fere sit, scripsisse *Aurelium*: *Dianam immolle*, pro *non molle*, quæ vox, non erat, cur iniquo iudicio circumveniretur. Nam

Digitized by Google

ſic antiqui plerumque formabant contraria, addita præpoſitione. Et, maſcule potius cingi ſolitam hanc viraginem, notiſſimum eſt. Atque ita etiam depingitur huic noſtro infra *Libro priore contra Symmachum*;

Denique, cum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu;
Cum ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt.

Plane ſemitectis femoribus eam deſcribit *Arnobius Lib. VI adverſus gentes*; & alte ſuccinctam aperte indigitat *Minutius Felix*, ambo Chriſtianæ religionis defenſores. Omiſſione ſimilis præpoſitionis mendum quoque inolevit *Varroni* in his: *Si non plus teſticulorum offenderis, quam in caſtrato pecore in Apulia, viri cor non eſſe maſculum ad rem.* Meo iudicio, poſtulat ſententia, ſcribamus: *Si non plus teſticulorum offenderis, quam in incaſtrato pecore*; niſi forte pecori caſtrato teſticuli renaſcantur apud Apulos, quod non memini legere. Sed ad *Prudentium* redeo; petoque, acutiores ut diligentius vulgatam lectionem examinent, novamque adeo notionem dictionis *molle* eruant. Utique ſi pro ſanis habent verba, quibus de hac ipſa *Diana Martialis Lib. I Epigramm.*:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,
Aſſiduus iactet nec Babylona labor;
Nec Triviæ templo molles laudentur honores.

Si enim ibidem *molles* conſiſtunt *honores*, quidni & ipſa hic molle ſuccingatur? Sed tamen, cum ea perpendo, quæ de *honoribus* iſtis *Politianus* & *Turnebus*, non poſſum non pro veriſimili ſubiicere coniecturam amici mei unici,

cen-

Digitized by Google

censentis, rescribi posse: *moles laudentur honora*, et accipientis pro centum illis & viginti septem columnis, quas totidem ibidem fecerunt Reges, de quibus *Plinius Lib. XXXVI cap. 19* & *23*. Ita quidem coniiciebat *Simon Ulricus Pistoris*, adolescens doctus & ornatus.

CAPVT XIV.

Ita est. Nemo tantum sibi arrogare deberet, ut aliquid sui extruderet, quamvis curiose & sæpius domi examinatum ac correctum, priusquam doctorum censuræ subiecisset; attamen ego nihil tale. Vel venia ideo dabitur, quod talium penes me nulla copia. Quin, ut sciatis, hæc iam potissimum ea de causa foras misi, ut amicos meos hac in arte iudicii & ingenii singularis commodius & facilius consulerem. Apud *Plautum Cistell. Sc. Credo ego*, ubi Amoris describitur, notissima meo pectusculo, carnificina, habemus:

— ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus;
Ita mihi omnia ingenia sunt. Quod lubet, non lubet iam id continuo &c.

Sonorius paulo videbatur auribus meis, qui fingebam: *Ita omnia ingenia adsunt*. Durioris que sententiæ illud *Epidicus Sc. Cave præterbitas*:

Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Eumne ego sinam impune?

Nec dissimile alterum eiusdem Fabulæ: *Quot illic homo animos habet?* Ad quem locum adeat me, qui volet, *Libro sequenti Capite quinto.*

Nam

Nam & *ingenia*, & *animi*, & *sententia*, unum & idem meæ quidem esse videntur menti. Statim:

Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.
Maritumis moribus mecum experitur.

Hæc longe diversius *Bocatius* alibi in *Genealogiis Deorum: Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id affectat. Maritumis modis meas experitur.* Si consuluissem calamo exaratorum Codicum fidem, iisque simile quiddam repræsentarent, non dubitarem hæc omnia defendere pro *Plauti* germanis! Interim singulatim expendant verborum antiquorum peritiores. Sane *maritumis modis* usurpatum videtur, quomodo infra *Sc. Audire vocem:*

— non enim hic, ubi ex Tusco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.

Tusco modo interpretor, *more & ritu Tuscorum.* Et accedo potius *Alciati* sententiæ, quam *Palmerii.* Porro hæc *Alcesimarchi* oratio magna ex parte egregiis confirmatur versibus in *Iphigenia Ennii*, quos suavitatis ergo huc appingam ex *Gellii Lib. XIX Cap. 10:*

Otio qui nescit uti, plus negoti habet,
Quam cum est negotium in negotio.
Nam cui, quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit. Studet ibi. Mentem atque animum delectat suum;
Otioso in otio animus nescit, quid velit.
Hoc idem est; neque domi nunc nos, nec militia, sumus,

Imus

Imus hac: hinc illuc; cum illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incerte errat animus. Præter propter vita vivitur.

Nihil his aliena *Seneca Cap. 28 de Vita beata*: *Quid porro? Nonne nunc quoque turbo quidam animos vestros rotat, & involvit, fugientes, petentesque eadem, & nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos, rapit?* Sed regredior ad *Cistellariam* eadem *Scena*:

Abi quærere, ubi iuriiurando tuo satis sit subsidii.

Primæ editionis libri concipiunt: *Abi, quære, ubi.* Quod amplector. Sed & Parisina illa *Charpentarii* habet *versu* sequenti:

Hic apud nos iam, Alcesimarche, fidei confregisti tesseram.

Voce *fidei* auctior, quam proletarii libri. Sensu quidem bono, nescio an etiam versu. Qui tamen difficultate careret, si refingeretur ad hanc formam: *Fidei hic apud nos iam* &c. Sed, quid opus, dicet aliquis, sollicitare locum; cum non inepte subaudiri queat vox *fidei*? Fateor; itaque manum de tabula.

CAPVT XV.

Si aliquid, velut ex oraculo promtum, dicere me profiterer; merito aculeos in me intenderent irarum atque indignationum, qui sua frustrati spe; hoc est, pro thesauro carbones invenirent. Verum, cum huic meo mercimonio nullum ponam pretium, non est, quod quisquam asperius in deliramenta mea inquirat. Est *Cistell, Sc. Credo ego*:

At

At ita me Di Deaque, superi atque inferi, & medioxumi,
Itaque me Iuno Regina, & Iovis supremi filia,
Itaque me Saturnus, patruus eius, & Castor pater,
Itaque me Ops, opulenta illius avia. Me. Immo mater quidem.

Scio, quæ mythologici de Deorum genealogiis. Sed tamen non potest non arridere, quod reperi in veteribus quibusdam editionibus: *Itaque me Saturnus patruus. Me. Eius ecastor pater. Al. Itaque me Ops* &c. Ut scilicet adolescentis sermonem corrigat Lena, negetque, *Saturnum* dici posse *Iovis* patruum, sed patrem; quemadmodum etiam facit versu subsequenti.

Iuno filia, & Saturnus patruus, & summus Iupiter,
Tu me delenis: propter te hac pecco.

Ita custoditur honorariis *Langii* libris: *Et summus Iupiteris.* Vix ambigo, quin Deus; certe antique. Sic & *Ennius*: *Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem.* Nam, quod *Iupiter* faciat gignendi casu *Iupiteris,* testatur *Priscianus Lib. VI*: *Etiam Iupiter Iupiteris & Iupitris, ut Casellio Vindici placet, debuit declinari. Nam Iovis nominativo quoque casu invenitur. Cæcilius in Epistola: Nam novus quidem Deus repertus est Iovis.* Hæc ille. Iam, solitos veteres præferre nominativum genitivo similem, plura exempla sunt. *Ennius: Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem. Cæcilius Epiclero: Itane,*

ne, Antipho, iuventus profluvia fide? Itane est immemoris? Itan' est madida memoria? Mox:

Et equidem hercle nisi pedatu tertio omnis efflixero,
Nisi tu illam remittis ad me.

Sic omnino restituendum auctoribus MStis. Forte enim & hæc sententia Glossographo in mente scribenti: *Tertio pedatu*: τρίτῳ περιόδῳ ἐκ τρίτου. Nec enim longius abesse videtur a proverbio. *Pedatum* alias dici *coitum*, seu *coetum*, doceor his *Scipionis Africani*, quæ citantur *Isidoro*: *Vi atque ingratiis coactus, cum illo sponsionem feci. Facta sponsione, ad iudicem adduxi. Adductum primo cœtu damnatum ex voluntate dimisi.* Confirmor vero istis *Plauti Amphitr. Sc. Satin parva*:

— quos nemo posse superari ratu'st,
Eos auspicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.

Item iis, quæ habet *Lib. VI Auctor ad Herennium*: *Hic vos veriti estis, si primo cœtu condemnassetis, ne crudeles existimaremini.* Idem fere, ut suspicor, sic effert *Cicero* pro *Flacco*: *Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione iudicaverunt.* Hæc libuit annotare, quod non meminissem ab ullo hactenus animadversa. Eadem *Scena*:

Sed tamen ibo, & persequar, amans ne quid faciat.

Flaccida hic mihi vox *amans*, malim *amens*; certe præcedentia meram amentiam desperationemque resipiunt. Nihil tamen portendo, gnarus,

rus, *amantem* ab *amente* tantum una differre litera. *Scena Anum sectatus* loquitur:

— ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!

Lexicon Græco-Latinum vetus: Μνημονικὸς, *memorosus, memorabilis.* Quare *immemorabilem* pro ea acceperim, quæ fingebat, se nihil meminisse, neque adeo scire eius rei, de qua sciscitabantur: plane ex disciplina sequioris istius sexus. Quidni enim de se ipsis credamus? Nam sic argutatur *Acroteleutium Milite Sc. Rem omnem*:

Si quid faciendum est mulieri male atque malitiose,
Ea sibi immortalis memoria est meminisse & sempiterna,
Obliviosa extemplo uti fiant, meminisse nequeunt.

Scena sequenti legitur:

Ph. Quid agis hic? La. Quod gaudeas.
Ph. Quid est?

Reducamus vetustam meliorum Codicum lectionem: *Quid id est?* Non longe hinc etiam geminanda vox, quæ absorpta:

An amabo meretrix illa est, quæ illam sustulit?
La. Imo meretrix fuit. Sed ut sit, de ea re eloquar.

Quare reposuerim: *Sed utut sit.* Sive meretrix fuerit, inquit, sive non; longius de ea non disputabo; rem ipsam potius, ut inter nos gesta est, eloquar. Deinde:

Instare, usque adeo, donec se adiurat anus,
Iam mihi monstrare. Ph. Ah! non missam oportuit.

Vo-

Digitized by Google

Volebam dudum ex editione casta: *Eam mihi.* Sed nihil erat necesse. Iam enim idem hic notat, quod mox. Videatur tamen, an non maternæ potius conveniat affectioni, ut dixerit *Phanostrata*: *Ah non missam oportuit.* Si sit, iam nunc testor, non aliter exstare in vetusto impresso, qui præterea ita priores conceperat versus:

Siccine agis nugas? Periisti hercle! non destiti
Instare, usque adeo, donec se adiurat &c.

Quæ lectio an ex MStis manarit, an ex coniectura, doctiorum esto iudicium. Paulo post:

Perfectum ego hoc dabo negotium.
Ph. Deos, teque spero. La. Eosdem ego, uti abeas domum.

Quod an tolerabile, nescio. Eliciebam tantum transpositis literis: *Eosdem ego. I tu, abeas domum.* Sententia non absurda.

CAPVT XVI.

Tanta mihi innata garrulitas, uti loco *Taciti*, de quo tria verba hiscere negant harum artium præsides, ego vix vocem teneam. Et quidem, cum dementiæ sit proximum, desperatis polliceri vitam, absit, ut id ego faciam; fomenta tantum suppeditare tentabo. Exstat igitur apud *Cornelium Libro XV Annalium*: *Ad ea Vologeses, nihil pro causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridatem rescripsit; illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent. Adiecisse Deos dignum Arsacidarum, simul & de legionibus Romanis statuerent.* Vide, num hæc se meliuscule habitura

Digitized by Google

sunt, si ducente scribamus sententia: *Illum locum tempusque consilio destinatum. Quid de Armenia cernerent, reiecisse se ad eos. Dignum Arsacidarum simul, & de* &c. Iam nuper, inquit, statutum est, ut in hunc locum fratres mox conveniant, quibus omnino permisi gentis suæ simul & Romanæ dignitatem. Dignum Arsacidam, valeret dignitatem. *Libro Annalium sequenti*, ubi de ultima *Thrasea* voluntate: *Eos codicillos Nero properanter accepit, spe deterritum Thrasiam sensisse, per quæ claritudinem principis extolleret.* Propius literarum ductus formari posset, *Thrasiam* inseruisse. Sed putarim, nulla opus interpolatione. Nam suprema illa arbitria scripto mandantes, non male dici possumus sentire. Unde definitio testamenti apud *Modestinum Lib. II Pandectarum*: *Testamen est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Regrediar cancrorum more ad *Annalium Librum I*: *Drusus, orto die, & advocata concione, quanquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat præsentia*, &c. Non de nihilo hæc in disquisitionem veniunt doctissimis quibusque. Et quidem ego verba, *nobilitate ingenita*, nondum concoquo, multò minus sensum. Nam exempla *Lucani* ac *Claudiani*, quæ afferunt alii, non sunt stomacho meo fovendo. Itaque videamus, num liceat suspicari, fuisse: *Quanquam rudis dicendi vocalitate ingenita, incusat priora*, &c. Ut velit Drusus, istum, etiamsi oratoriam minus calleret artem, acri tamen & constanti voce invectum in istos seditiosos. Viderint

Digitized by Google

derint tamen alii, &, si displicet, somnium me narrasse, existiment.

CAPUT XVII.

Nulla est de *Plauti* Fabulis, qua minus delector, quam *Cistellaria*, adeo præ ceteris mihi sterilis videtur varietatis, & ieiuna leporis. At non id *Plauti* culpa, sed temporis. Mancam enim eam esse, paratus sum quinquagenario contendere sacramento. Quod tamen legitur *Actu IV*:

Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam.

Non equidem ita ceperim, tanquam se inclinaturum dicat servus, alvi deiiciendi gratia. Non. Qui enim id magis puerile vocetur officium, quam ceterorum hominum, non video, & mehercle illud ipsum, quod dictum volui, ancillæ aut nares, aut oculos, non potuisset latere. Nunc quidem vestigia socci tantum obvia se habuisse sequenti testatur *Scena*. Quare verba sic explicaverim, tanquam, se, dicat, inclinaturum ad cistulam eo prorsus modo, quo Iovibus suis solent Catamiti. Et officium puerile vocat, quod id puerorum proprium. Unde *Asinar. Sc. Cur me: Adsta igitur, ut consuetus es puer olim, scin ut dicam?* Eius rei schema nimis quam impudenter oculis subiicit *Lampridius Elagabalo*. Nec leviter miror, cur sub finem se excuset, dicatque impudica multa nostri illius reticuisse præ pudore; eaque, quæ dixit, prætextu verborum adhibito, quantum potuit, texisse. Cum illo loco nihil sit exvelatius. De eadem impuritate quæ huc faciunt, versus est

Pomponii Prostibulo apud *Nonium* in *Conquiniscere*, item *Martialis Lib. II Epigramm.* 44. Imponetur clausula, ubi adduxero exemplum haud tralatitium *Senecæ* patris *Lib. IV Controversiarum* procemio, quo agit de *Haterio*: *Memini illum (cum libertinum reum defenderet, cui obiiciebatur, quod patroni concubinus fuisset,) dixisse: Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas, in liberto officium. Res in iocos abiit. Non facis nisi officium*, &c. Multum ille & sic in *officio* versatur. Ex eo impudici & obsceni aliquamdiu *officiosi* vocitati sunt. Ad quem locum videantur acutissimæ accuratissimæque *Nicolai Fabri* annotationes. Iam finirem, nisi succurreret inter hæc infamia locus affinis *Terentii Adelph. Act. II Sc. 2*:

Sa. Quid agerem? Sy. Adolescenti morem gestum oportuit.
Sa. Qui potui melius? Qui hodie usque os prebui.

Frigida isthæc omnino, prout tinniunt Interpretum auribus. At Romanorum aliud erat; flagitioso quippe accipiebantur sensu, maximoque ideo excipiebantur plausu. Morem enim gerit, qui os præbet, dupliciter, & vulgario intellectu, & secretiori. Ab eo dictum *morigerari*; quocirca recte manuscriptis *Suetonii* Codicibus ita scribitur *Tiberii Cap.* 44: *Quare Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut, si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet,*

non

Digitized by Google

non modo prætulit, sed & in cubiculo dedicavit.. Recte, inquam, abest vox *ero*.

V.

IO. GEORGII WALTHERI,

SERENISSIMI DVCIS SAXON. WEISSENFELSENSIS CONSILIARII, PROF. HISTORIARVM, LITERARVM HVMANIOR. PHILOS. MORAL. POES. AC RECTORIS ADI. ILLVSTRIS AVGVSTEI,

EMENDATIO LOCI VELLEIANI LIB. I CAP. VI §. I, ATQVE HVIVS ET CONSEQVENTIS CAPITIS EXPLICATIO.

In *Velleio* hoc *Paterculo*, quam in reliquis Auctoribus, plura fere sunt impedita loca; cuius rei variæ possunt afferri causæ. Est unicus enim modo adhuc repertus præstantissimi Auctoris Codex exaratus, atque innumeris adspersus maculis librariorum. Rursus hic Codex, quem *Frobenianis* typis describendum *Beatus* curavit *Rhenanus*, prima hac editione negligenter admodum expressus est, ut docent *Io. Alb. Bureri*, hunc Codicem post *Rhenanum* conferentis, notæ. Porro hic manuscriptus liber, qui quondam fuit in Cœnobii Morbacensis pluteis, vel hominum incuria, vel iniuria temporum, maximo rei literariæ damno, intercidit. Tandem, auctore *Burmanno*, in nullo unquam ex omni antiquitate

 scri-

ſcriptore plus ſibi interpretes & Critici permiſerunt. Vid. *Petri Burmanni Animadv. ad Thomæ Wopkenſii Adverſaria critica pag. 355*, in *Obſerv. miſcell Britannic. doctorum ad A. 1737*. Inprimis unico Codice Morbacenſi, iam dudum vel interciſo, vel hominum erepto manibus, pertenuis & fere nulla oſtenditur ſpes reſtituendi *Velleii*. Idcirco, quod obiter moneo, docti quidam viri in lectionis *Velleianæ* aliqua varietate ad Codicum conſenſum male provocant, atque hos Codices Morbacenſi, quo uſus eſt *Rhenanus*, infeliciter opponunt, ut *Hermannus* fecit *Conringius* in *Adverſ. Chronol. Cap. 7*, & viginti abhinc annis *Nicolaus Freretus*, Gallus, in *Memoires de Literature T. VII pag. 582*. Solum enim Morbacenſem verſarunt eruditi; plurium ipſis, quod ex publicis conſtat literarum monumentis, inſpiciendorum poteſtas non fuit. Poſt *Rhenanam* editionem optimæ, & fere Codicis inſtar doctis viris ſunt editiones *Eraſmi*, quarum poſteriorem typothetis exprimendam dedit *Petrus Burmannus*. Proinde in *Velleio* ſunt quamplurima, ad explicandum difficilia, quorum principatum tenet ille a nobis adductus, plurimisque viſus in mendo cubare, *Lib. I Cap. 6* locus.

Atque hunc inprimis impeditum reddit *ξῆσις Æmilii Suræ* inſerta. Diſputatum inter eruditos, *Velleio*ne, an *Æmilio Suræ*, verba, quæ in *Burmanniana* ſub initium *Capitis 7* leguntur, ſint adſcribenda: *Inter hoc tempus, & initium Nini, Regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni* MDCCCCXCV. *Velleio Paterculo* tri-

Digitized by Google

tribuunt *Acidalius*, ipse *Rhenanus*, in plurimisque, etiam *Burmannianis*, editionibus contextus ipse hanc in sententiam positus est. *Æmilio* vero *Suræ* vindicant *Lipsius*, *Boeclerus*; *Popma*, alii. Nos ab his contra illos stare ipsa argumenti ratio cogit. Si enim *Velleio* sunt asserenda verba, hic ceteroquin insignis Auctor rem eandem bis, paucis interpositis versibus, posuit; vitium, vix in mediocri suspicandum homine, adornante Summatium historicum, nedum in *Velleio Paterculo*, gravissimo rerum ante *Traianum* & *Seianum* gestarum diiudicatore. Initio enim *Cap.* 6 a *Nino* annorum init numerum ad sua tempora, sive, quod omnes concedunt, ad *M. Vinicii*, in cuius nomine librum apparere iussit, Consulatum, qui, auctore *Henrico Dodwello*, in annum post natum Servatorem 30, atque A. V. C. 783, incidit. Vid. *Dodwelli Annales Velleian. pag.* 712. Eccur igitur sub initium *Capitis* proxime consequentis *septimi* idem faciat, cur rursus a *Nino* ad sua tempora ducat summam? Sileo in præsentia utriusque summæ discrimen, deinceps a me disputandum.

Hinc tota ῥῆσις, *Aemilio Suræ* vindicanda, hæc est: *Assyrii, principes omnium gentium, rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persæ, deinde Macedones. Exinde, duobus Regibus, Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus & initium Nini, Regis Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt an-*

Digitized by Google

ni CIƆIƆCCCCXCV. Gravior quæstio est, utrum hæc *Aemilii Suræ* verba ab *Velleio* ipso contextui inserta sint, an ab aliena assuta manu. *Iosephus Scaliger* in *Can. Isag. Lib. III*, *Boxhornius* ad *Velleium* pag. 47 in *Burm.* & *Vossius* pater *de Historicis Latinis Lib. III*, ab *Velleio*, contendunt, hoc fragmentum additum esse. Contra *Iustus Lipsius*, *Vossius*, filius, *Heinsius*, *Boeclerus* ad *Velleium pag.* 46 & 47 edit. *Burm.* & *Salmasius* ad *Tertulliani Pallium pag. 160*, verisimilius, sed dubitanter, putant, ex glossemate in contextum post *Velleii* ætatem irrepsisse. Age igitur, quod addubitasse summi hi viri videntur, id liquido, quantum fieri poterit, comprobemus. Turbant autem verba, *Velleio* inserta, rerum verborumque *Velleianam* comprehensionem, præscindunt ipsum orationis filum, atque adeo demunt plane loco lumen. Nimirum qua via & ratione, quæso, poterit *Aemilii Suræ* cum proxime consequentibus *Velleii* verbis comparari & coniungi? *Huius temporis æqualis Hesiodus fuit circa CXX annos distinctus ab Homeri ætate*, &c. Cuius vero temporis æqualis fuit *Hesiodus?* Num *Nini*, cuius in proxime superioribus *Aemilii Suræ* verbis facta mentio? Minime gentium, uti & *Lipsius* & *Boeclerus* iam viderunt. Neque id fieri per ipsum *Velleium* potest, apud quem *Homerus* fertur 950 annis ante *M. Vinicium* Cos. natus, (vid. *Velleius pag. 37*,) qui tamen *Homerus* secundum eundem est *Hesiodo* 120 annorum spatio anterior. Iam vero dixerat *Velleius* paucis ante, *Ninum* annis 1840 superare *M. Vinicii* sui

sui Consulatum. Num vero potest, auctore *Velleio*, esse *Nini* æqualis, qui secundum eundem *Velleium* mille annis *Nino* est posterior? Aut *Velleius* est in stultissimis numerandus Auctoribus, aut hæc eius non est sententia. Sit per me *Velleius Paterculus* aliquoties adulator, sit laudum *Tiberii Seiani*que ridiculus, sed necessitate impulsus, venator; tamen in rebus, his Principibus Romanis anterioribus, gravissimi sustinet Historici personam. *Iustus* etiam *Lipsius*, acris ille *Velleii* animadversor, tamen, iudicio ordineque scriptum eius Summarium esse, dicit, atque exemplar vocat pleniori Chronologiæ ad imitandum propositum, Vid. *Lipsii III Centur. Epistol. miscell. 61.*

Sed bene se habet. *Hesiodus* est æqualis *Carani*, Macedonum Regis, cuius mentio ab *Velleio* est facta brevi ante initium ῥήσεως *Aemiliana* nostræ. Quæ de *Hesiodi* ætate sententia *Velleiana* etiamnum fere omnibus probatur subacti ingenii Chronologis. Quid igitur? Quodsi integer esse & sui similis debet *Velleiana* orationis habitus; rescindenda ab hac est *Aemilii Suræ* lacinia, ῥῆσις vero, quæ tam manifesto documento sensum turbat, quæ nullo modo coniungi cum sequentibus potest, quæ optime cohærentem *Velleii* sermonem penitus præscindit, hæc ab ipso *Velleio* profecta esse nullo modo potest, sed sine omni dubitatione irrepsit, ex margine forsitan, in contextum. Videtur autem *Aemilius* hic *Sura*, ut deinceps ostendam, vixisse, vel saltem scripsisse historiam suam, post

Digitized by Google

Velleii ætatem; qui *Velleius*, confecta Historia sua Romana, statim occisus est, ut verisimili ratione comprobavit *Henricus Dodwellus* in *Annal. Velleianis pag.* 706 & 712.

Atque, hæc cum ita sint comparata, mirari satis non possum *Nicolaum Freretum*, ceteroquin non mediocris virum doctrinæ, quod non tantum sequatur *Aemilium Suram* in nova temporum Assyriorum & Medorum formanda serie, atque adeo in amplissimo historiarum corpore adornando, sed in *Suræ* etiam annorum summa unice nitatur, tamquam fundamento firmissimo, cui omnis illa res maximi ponderis tuto superstrui possit. Vide *Memoires de Literature Tom. VII pag. 582 seq.* Quodsi *Velleius* ipse *Paterculus* testimonium *Aemilii Suræ* suo inseruisset historiarum Romanarum summario, si auctoritate sua hominis obscuri illustrasset & comprobasset sententiam, eadem hic *Sura*, ac *Velleius* ipse, hac in causa esset dignitate. Ab aliis enim sumta & tradita fiunt comprobando nostra. Etiam sententiæ Auctoris maxime humilis ob dignitatem atque intelligentiam eorum, qui iis subscribunt, magni sunt merito faciendæ. Proinde *Aemilius Sura*, etiamsi esset, uti re ipsa est, ignotus homo & terræ filius, tamen propter *Velleium Paterculum*, illi personam Historici, fide digni, aptantem, non contemnendus esset. Sed *Velleius Suram* testem non excitavit, ab alio est, eoque obscuro, advocatus. Proinde omnis auctoritas, quam ipsi *Velleianum* conciliasset nomen, perit, atque, hoc auctoritatis demto lumine,

tene-

Digitized by Google

tenebris rursus involvitur suis. Quis enim potest divinare, utrum is, qui ad marginem scripsit *Aemilii* fragmentum, & potuerit & voluerit suis ponderibus examinare *Aemilii* huius cum historiam, tum temporum, ab hoc sumtorum, descriptionem; utrumque autem conferre cum *Velleiana* ratione. Verum, hoc nisi in aprico collocetur, nisi eius, a quo inductus sit testis, accedat auctoritas, *Aemilius* perpetuo versabitur, quibus iam sepultus est, in tenebris suis. Particula aliqua modo historica, sine concentu temporum, hominumque consensu, nemini induit gravis historici personam. Philosophi acumen saepe parva res, quam tractat, sine alterius ope prodit; Historici fides in rebus antiquis ab aliorum, fide dignorum, pendet auctoritate. Corruit igitur omne *Nicolai Freretti* historicum & chronologicum aedificium, propterea quod lubrico admodum est excitatum fundamento.

Sed quid est, quod tamen haec ῥῆσις adiecta est *Velleio?* Dicam, quod verisimillimum opinor. Qui Codici suo primum *Aemiliana* adscripsit verba, is haud dubie inductus est similitudine aliqua vel verborum, vel rerum, in facto positarum, apud utrumque Auctorem. Quae enim alia res potuisset eum ad hanc impellere scriptionem? Iam autem verborum par non est ratio; hinc superest rerum. Scilicet uterque primos rerum dominos recenset, uterque temporis, quod a *Nino* effluxerat, putat summam. Atque haec sine dubio est similitudo, qua permotus, *Aemilii* partem in suum *Velleium* transtulit. Forsitan quoque,

que, *Aemilium Suram* aeque ac *Velleium*, existimavit, a *Nini* tempore ad suam ætatem constituisse computationem annorum; qua re & similior utriusque ratio, neque annorum esset summa admodum diversa.

Nam, quod ad *Velleium* attinet, puto, gravissimis impulsus causis, in annorum 760 summa, quæ apud *Velleium* est *pag. 38*, aut librarium Codicis Morbacensis gravissimum commisisse errorem, aut *Rhenanum* siglam, hoc in numero adhibitam a librario, non intellexisse. Nimirum auctor est *Velleius*, *Sardanapali* ætate clarissimum in Græcia fuisse *Lycurgum*, *Lib. I Cap. 6* §. *2* & *3*. Hunc vero *Lycurgum* acutissimi Romanorum Auctores, quos aliis in rebus diligenter semper sequitur *Velleius*, tradunt, iisdem floruisse, quibus *Homerus*, temporibus. Reliquorum personam sustinuit *M. Tullius Cicero* in *Tuscul. Quæst. Lib. V Cap. 3*, qui disertis verbis, *Homerum*, dicit, *Lycurgi* ætate floruisse ante Romam conditam. Audiamus ipsum: *Et multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur. Traditur* dicit, ut multorum consensum inferat cum superiorum, tum sua ætate, Scriptorum. Atque hæc traditio non fuit vana, sed tanto nixa fundamento, ut, principes Chronologos, sciamus, etiam nostra ætate in eam fecisse discessionem. Neque, communi quondam Historicorum Philosophorumque voci refragatum esse *Velleium*, putem, qui alias in describendis

bendis temporibus maxima est, teste etiam *Lipsio*, versatus diligentia.

Verum *Homerus*, uti supra a nobis commemoratum, dicitur a *Velleio* inclaruisse ante annos 950, a quibus adeo remoti sunt 770 anni, temporibus *Lycurgi* tributi a *Velleio* eodem; ut, nobis nihil etiam monentibus, præ se ferant insignem labem. Ipse *Lipsius* hic mendum est suspicatus. Si quis vero ab eorum audacia abhorret, qui indesinenter clamant Auctores librariorum negligentia contaminatos, atque hinc ad corrigendos eos, veluti rei literariæ iudices, consident, is certe ego & esse cupio & videri. Quod vero ad præsentem attinet locum, omnia eius corruptionem ante oculos ponunt. Interim in re omnium suspectissima ita versabor, ut & *Velleii*, & rei ipsius, & Codicis Morbacensis, habeam rationem.

Velleius, mentione *Homeri* facta amplissima *Capite 5* toto, incipit *Caput 6* eiusdem *Libri I* his verbis: *Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis* CIƆLXX, *translatum est ad Medos, abhinc annos ferme* IƆCCLXX. Insequens vero tempus est proxime consequens, adeo cum antecedente continens & cohærens. Vid. ipse *Velleius Lib. II Cap. 47 §. 1 pag. 327*: *Per hæc insequentiaque & quæ prædiximus tempora, amplius quadraginta millia hostium a C. Cæsare cæsa sunt, plura capta.* Similiter *insequens æstas Lib. II Cap. 106 § 1* est proxima futura, vel consequens, æstas; *insequentes Archontes Lib. I Cap. 2 §. 3*, qui in ante-

antecedentium locum erant suffecti. Ex quibus patet, *Velleium* iam commemoratis significare verbis voluisse, aut *Homeri* ætate, aut statim post eundem, & eversum fuisse imperium *Assyrium*, & *Lycurgum* floruisse. Atqui hæc plurimorum est Chronologorum sententia. Verum expressi in *Velleio* 770 & 950 anni, qui fere idem respiciunt tempus, saltem debent respicere, ad 180 annos differunt.

Age igitur, non in *Velleio* ipso, ut alii faciunt, sed in librariorum negligentia, quæramus omnem erroris originem. Antiquis temporibus, forsitan tum, cum unciales adhiberentur tantum in scribendo literæ, ante Seculum tertium, vel quartum, numerus C centum semper hac [figura expressus est, ut egregie docet, præeunte *Paulo Manutio*, *Christophorus Cellarius* in *Orthog. Latina pag. 51 seq.* His vero temporibus librarii, literarum compendiis identidem utentes, producta paullum in longum una literæ linea, significabant, esse literas eiusdem formæ duas intelligendas. Fieri hinc potuit, ut, cum eadem de causa inferiorem figuræ [lineam paullum productam in antiquo aliquo Codice videret Monachus ille oscitans, & fere omnium literarum expers, qui Codicem *Velleii* Morbacensem, *Rhenano* teste in Præf. ad Sereniss. Saxoniæ Electorem, innumeris mendis inquinavit describendo, siglam, bis centum annos inferentem, pro figura L, quinquaginta annos modo significante, habuerit. Hunc ut erroris fontem existimem, ipsa res me induxit. Extruso enim L, & insertis CC annis, eva-

evanescit difficultas omnis. Sic enim anni IↃCCCCXX ponuntur, & *Velleio Paterculo*, & Romanis Auctoribus, & ipsi temporum descriptioni, vehementer apti. Sic recte primum *Velleius*, insequenti *Homerum* tempore, dixit, *Sardanapalum* & *Lycurgum* vixisse. Recte Romani, & consentanea *Velleio* ratione, auctores fuerunt, *Homeri* aetate clarum fuisse *Lycurgum*, quandoquidem aetas, quae saepe γενεὰ dicitur, tum temporis triginta efficiebatur annis. Vid. *Casaubonus* ad *Strabonem pag. 125* edit. *Almelov.* & *Alphonsus des Vignoles Chronol. sainte Tom. I pag. 18.* Recte denique omnis se habet temporum veterum descriptio, ut aliis pluribus docebo in locis.

Quin imo subita nobis, nec opinantibus, exoritur aliqua lux ad *Aemilii Surae* fingendam aetatem. Annis enim 1070, ab *Velleio* Assyriis tributis, in unam summam collectis cum iam e tenebris erutis 920, efficitur annorum summa 1990, ut adeo tot anni a *Nino* ad *Vinicii* Consulatum effluxisse sint existimandi. Hic Consulatus incidit, uti supra dixi, in 30 annum Aerae vulg. Christian. Sequente proximo anno 31 post natum Servatorem occisus est *Velleius*, uti *Dodwellus* comprobavit. Atque haec annorum computatio 1990 non admodum est remota ab *Aemiliana* 1995. Nam, hanc veram esse & germanam *Aemilii* summam, consensus optimarum editionum comprobat, ut duarum Parisiensium, unius, quae A. 1608, & alterius, quae A. 1675, divulgata est; porro Argentoratensis 1663, rursus Roterodamensis 1668, tum Oxoniensis 1693, & tan-

Digitized by Google

tandem *Burmanniarum* duarum. *Hermannus* quidem *Conringius* in *Advers. chronol. Cap. 7*, & *Nicolaus Freretus* in *Memoires de Literature Tom. VII pag. 582*, malunt 1902 legere, quod ita Codices habeant *Velleiani*; verum illa Codicum auctoritas supra est abunde confutata.

Parum igitur abest, quin, *Aemilium Suram*, credam, quatuor aut quinque fere annis post *Velleium Paterculum* scripsisse Historiam suam, annorumque 1995 terminum posuisse sua aetate. Memoria quidem tenes, alios alias figere metas. Celeberrimus temporum descriptor, *Alphonsus Vignolius*, in *Chronol. sacra Tom. II pag 195* annorum *Aemilianorum* seriem terminat A. V. C. 557, confecto iam Punico altero bello; *Nicolaus* autem *Freretus* in Consulatu *Ciceronis*, quo *Augustus* natus, sive A. V. C. 690. Vid. *Memoires de Literature Tom. VII pag. 582 seq.* Quin imo tot inveniuntur diversi Aerae huius termini, quot docti viri ad eam tractandam animum appulerunt. Causa est, quod, tunc temporis, quo summa imperii ad populum Romanum pervenerit, finiendam esse, putant, *Aemilii Surae* computationem. Sed hoc tempus omnium maxime lubricum est, cum aliis de causis, tum quod potentia Romana demum multo annorum, quin imo seculorum, decursu constituta & confirmata est. Ipsorum quondam Romanorum sententiae hac in causa vehementer discrepabant. Quis vero, *Aemilium*, nisi ineptum, & plane legum historicarum expertem atque ignarum, putet, terminum Aerae celeberrimae eiusmodi dubiis temporibus

Digitized by Google

poribus illigasse, ut, omni ingenii humani ope adhibita, indubitato haud erui comprobarique possit. Si vero termini Aerae sunt in obscuro positi, profecto de universa annorum serie, quae illa Aera comprehenditur, actum est. Malim igitur verba: *Inter hoc tempus & initium Nini*, &c. *Cap. VII* de aetate, qua vixit ipse *Aemilius Sura*, interpretari, qua via & ratione simul duo eruerentur e tenebris, & *Aemilii* ipsius aetas, & caussa idonea, qua antiquissimi Codicis *Velleiani* possessor, vel ipse forsitan *Aemilius*, hanc ῥῆσιν adscripserit *Velleio*, nimirum quod uterque a *Nino* ad sua tempora duceret annos.

VI.

I. C. S.

OBSERVATIO DE VOCABVLORVM QVORVNDAM GERMANICORVM ORIGINIBVS.

I.

Quaeri solet, quid Germanicum nomen *Gespenste* sibi velit. Si originem nominis perspexeris, in promtu erit responsio: *Gespenst* est a *Gespan*, id est, aequali, sodali, familiari. *Gespan* est a *spannen*, unde vocabula nostra *Einspanninger*, *anspannen*, *vorspannen*, *Gespannschaft*, *abspanstig*, *wiederspanstig*, & alia, nata sunt. *Gespenste* igitur a *spannen* ita dudum fuit, uti

Digitized by Google

Gespinste a *spinnen*, *Gewinste* a *gewinnen*. Ergo per nomen istud Germanicum proprie signatur imago ista vel vivorum, vel mortuorum, quæ alibi atque alibi identidem conspici solet, quamvis vel cadaver in sepulcro iaceat, vel vivus homo re vera aut domi, aut peregre, versetur. Sensim autem idem vocabulum ad res plures, quas vel imaginatio, vel metus ac terror, vel natura & veritas, oculis subiicit, translatum esse, non negamus.

II. Sæpe etiam disputatum est, qui factum sit, ut *prunum* & *plumam* Germani eodem nomine *Pflaume* appellent. Sed hic rursus origo nominis ad cognitionem rei deducit. Tantummodo primum illud meminisse nos par est, *P* Latinorum Germanice in *Pf* converti solere, e. g. *Pondo* in *Pfund*, *Porta* in *Pforte*, *Pentecoste* in *Pfingsten*, *Persica* in *Pfersing*, *Pavo* in *Pfau*, *Pepones* in *Pfeben*, *Palus* in *Pfahl* & *Pful*, *Parochus* in *Pfarrer*, Πόδες, *Pedes*, in *Pfoten*, *Pilum* in *Pfeil*, *Papa* in *Pfaff*, *Pulvinus* in *Pfüllen*, *Palatium* in *Pfaltz*, *Pila* in *Pfeiler*, *Piper* in *Pfeffer*, *Planta* in *Pflantze*, *Postis* in *Pfoste*. *R* autem & *I* inter se commutari, valde notum est. Quamobrem exempla eius rei afferemus nulla. Deinde animadvertendum est, *u* Latinorum longum Germanice non raro in *au* mutari. Ita *mus* dedit nobis *Maus*, *murus Mauer*, *durare dauern*, *sus Sau*, *alumen Alaun*, *mulus Maul*, *glubere klauben*, *spuma Schaum*; nam Latinorum *Sp* mutatur in Germanicum *Sch*, quod docent *spongia Schwam*, *spoliare schelen*, *Spurcus*

mus Schurk, Scherg, a *dispergendis* tumultuantibus. Et nostrum *auer* Latinis dedit *urum*. Hæc tamen, quæ adhuc dixi, non ita velim accipi, tanquam verba nostra ex Latinis nata sint, & ex Italia ad nos inportata; sed quod linguæ utriusque ratio ita tulerit, ut pronuntiatio utrobique hunc in modum conformaretur. Nostra enim fortasse multo est antiquior Latina. Quæ res a *Praschio* & aliis copiosius est disputata. Prunorum autem genera pleraque ex Italia in Germaniam translata non esse, ex eo satis apparet, quod sponte sua & feliciter citra laborem & agricolarum curam nusquam non proveniunt. Atque prorsus est incredibile, Germanos ab ultima origine sua genus quoddam arborum habuisse, quod ante latinitatem cognitam nominare non potuerint. Sin autem quisquam tam credulus sit, eum nos sensu abundare suo tam diu patiemur, donec communitatem nominis *ceras* & antiquitatem in Græcia & Latio æque ac in Germania explicaverit, quæ arbor cum a *L. Lucullo* demum e Ponto in Italiam traiecta, a *Plinio Hist. Nat. XV Lib. Cap. 25*, & a *Theophrasto Histor. Plant. Lib. III cap. 13*, tam singulari cura descripta sit, & sine dubio nomen cum fructus iucunditate in Græciam & Italiam peregre deportarit, Germanis iam inde ab antiquissimis temporibus ignota esse non potuit, cum citra hominum curam nascatur ac propagetur tanquam indigena, non tanquam hospes & incola. Omnino Latini nihil habent, quod de tradita nobis vocabulorum copia glorientur; quando-

 qui-

quidem *Herm. Conringius* in libro *de antiquo corporum Germanorum habitu* dudum demonſtrarit, noſtrum butyrum linguæ Latinæ inſitum eſſe, quod *Plinius*, rem ipſam faſſus, de nomine ipſo demum diffiteri non poterit. Unus fortaſſe ſcrupulus de litera *m*, quæ ab *n* differat, ſupereſt. Sed ob hanc tam exiguam differentiam communitas originis, vel potius antiquitatis, diſſimulari nequit. Habemus enim alia item nomina communia, quæ eodem modo diſcrepent. Recordare, quæſo, nominum *ſpongia*, *Schwamm*, *panis*, *Bamme*, *ſonare*, *ſummen*. Iam ergo cauſa eiusdem nominis rebus tam diverſis inditi ſatis apparet. In Latina lingua ſunt itidem vocabula eodem ſono & diverſa poteſtate prædita, propterea quod diverſæ ſunt originis. *Ducere*, *davor halten*, eſt a *δοκέω*: *ducere*, *führen*, eſt a *δείκω* obſoleto.

VII.

VOCES ALIQVOT LATINÆ, QVÆ IN VVLGARIBVS LATINÆ LINGVÆ LEXICIS FRVSTRA QVÆRVNTVR, EX PRISCIS AVCTORIBVS COLLECTÆ

A

FRID. OTTONE MENCKENIO.

SECTIO II, QVINTVM CONTINVATA.

RURIGENA. Vox bona, & *Ovidio* uſurpata, ſed Lexico præter meritum exulare iuſſa.

Digitized by Google

iussa. Habes versum Poetæ *Met. VII, 765*:

- - - *exitio multi pecorumque suoque*
Rurigenæ *pavere feram.*

Forma vocis eadem est, quæ similium, *anguigena*, *aurigena*, & aliarum, apud *Ovidium* passim obviarum. Quod ad significatum, idem esse *rurigenam*, quod *ruricola*, *rusticus*, *agrestis*, vix, lectis Poetæ verbis, unus sit, qui dubitet.

SACERDOS, *Adiect.* Non satis recte mihi Adiectivorum numero in Lexico excludi vox *Sacerdos* videtur, ob illa *Velleji Hist. Rom. Lib. II Cap. 124: Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Cæsaris, proxime a nobilissimis ac* sacerdotibus viris, *destinari Prætoribus contigit.* Docet enim ipsa verborum collocatio, *sacerdotibus* hic non ut Substantivum, sed ut Adiectivum, accipiendum esse; nec opus erat, cum *sacerdotibus* coniungi illud *viris*, si iam per se naturam Substantivi vocabulum *sacerdos* habebat. Nolim vero, explicandum hoc aliquis per appositionem putet, cui facilius locum concederem, si ita posita verba essent: *A viris nobilissimis ac sacerdotibus*, quam nunc concedere licet, vocabulo *sacerdotibus* ante *viris* posito. Aliter se res habet in versu *Virgilii Aen. I, 277*:

- - - *donec* Regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem,

ubi ita collocata sunt verba, ut, sive naturam adiectivi, sive vim appositionis, vocabulo *sacerdos* tribuas, ab utraque parte satis firmis coniectandi rationibus utaris.

Digitized by Google

SATISDATO, *Adverb.* A *Fabro* Substantivum nobis *Satisdatum* venditatur, sed a se ipso, non a priscis Auctoribus, formatum. In duobus certe, quae ille profert, *Pomponii* & *Ciceronis* locis nihil minus, quam Substantivum *Satisdatum*, invenias. Invenire autem hic *Faber* poterat, si oculis acutis quaesivisset, Adverbium *satisdato*, cui immerenti ipse locum in Lexico negavit, & quod temere pro casu sexto nominis *satisdatum* accepit. Est enim eadem huius Adverbii ratio, quae similium, *falso*, *testato*, *optato*, quae originem habent a nomine, sed Adiectivo magis, quam Substantivo. Itaque deleri in Lexico Substantivum *Satisdatum*, in huius autem locum reponi, cuperem, Adverbium *satisdato*, quod ita explicari debet: *per satisdationem*, seu *ex satisdationis formula*. Huius usus partim ex his, quae *Faber* voci *Satisdatum* subiunxit, partim ex aliis, quae statim proferentur, locis patet. Et quidem, ex Iure Romano ut locum unum & alterum proferam, *Ulpiani* in *l. 4 §. 5 ff. Si quis cautionibus* &c. haec sunt: *Item quaeritur, si quis, cum iudicio sistendi causa satisdare non deberet,* satisdato *promiserit, an fideiussoribus eius exceptio detur. Puto, interesse, utrum per errorem* satisdato *promissum est, an ex conventione.* Idem *l. 4 §. 8 de Fideicommissariis libertatibus*: *Ergo cavendum est idonee. Quid est idonee?* Satisdato *utique, aut pignoribus datis.* Eodem modo *Papinianus* in *l. 2 ff. de Custodia & exhibit. reorum*: *Si servus capitali crimine postuletur, lege publi-*

Digitized by Google

publicorum cavetur, ut sistendum vel ab extero satisdato *promittatur.* Sed ipsius etiam *Tullii*, præter locum a *Fabro* adductum, hæc leguntur *Lib. XVI ad Attic. Ep. 6: Hoc, quod* satisdato *debeo, peto a te, ut ante provideas, planeque expedias, & solutum relinquas.* Ubi *satisdato debere Ausonio Popmæ* idem est, quod *datis fidejussoribus debere*; sed quo rectiora profert *Gravius*, eum *satisdato debere* docens, qui pro aliis cavit idonea cautione. Cum *Gravio* facit Cel. *Io. Aug. Ernesti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Satisdato*, Vir, cuius institutione in studiis humanitatis usum esse, neminem poeniteat.

SAXATILIS, *Subst.* In eleganti illo piscium indice, quem nobis carmine, *Halieuticon* inscripto, contexuit *Ovidius*, nominari videas *saxatilem*, squamis viridem, & parvo ore præditum. Est illius carminis versus *109*:

Tum viridis squamis, parvo saxatilis *ore,*
Et rarus Faber, & picta Mormyres, &c.

Ita verba hæc *Burmannus* & editores, quod sciam, omnes exhibent, nec ullus est in his dissensus Codicum, certe non ab Editoribus notatus. Est igitur, cur, supersedere potuisse coniectura sua, putemus, *Conr. Gesnerum*, in versu hoc *Ovidii* pro *squamis*, mira audacia, legentem *teragum*, & ad id probandum iis utentem rationibus, in quibus ego putem exiguam probandi vim inesse. Hunc, operæ pretium fuerit, audire, ita scribentem in *Historia animalium Lib. IV pag. 942: Teragus parvus a Plinio nominatur Lib. XXXII inter piscium nomina, ab*

Ovidio posita, quae apud neminem alium reperiuntur. Cum autem in Halieutico Ovidii teragi nomen nusquam legatur; alii autem pisces omnes, quorum ex Ovidio Plinius meminit, licet corruptis nominibus quidam, in eodem poematio inveniantur; conicio omnino, teragi nomen desiderari in hoc versu:

Tum viridis squamis, parvo saxatilis ore,

ut pro squamis *legatur* teragis. *Aliter enim nullum eius piscis nomen haberemus. Accedit, quod nullus etiam alius parvus* (*vel* parvo ore) *ab Ovidio cognominetur. Nec probo, si quis* saxatilis *nomen, ceu substantivum piscis, in hoc versu accipiat.* Non ita puto scripturum fuisse virum doctum, si ei in mentem venisset, ut poterat venire, suspicari, corruptam verborum *Plinii Lib. XXXII Cap. 11* lectionem esse. Nimirum ita habent antiquiores *Plinii* editiones: *His adiiciemus ab Ovidio posita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur; sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit: Bovem, cercyrum in scopulis viventem, orphum rubentem, rhacinumque bullum, pictas mormyras, aureique coloris chryson. Praeterea parvum teragum, & placentem cauda labrum, epodas lati generis.* Hic cui non suspectus videatur *teragus*, nec *Ovidio*, nec ulli alii Auctorum veterum, nominatus? Nihil igitur facilius, quam in eam venire coniecturam, pro *teragum* legendum *tragum*, aut nihil differre *teragum* a *trago*, hoc est, unum eundemque piscem duobus, & *teragi*, & *tragi*,

nomi-

nominibus vocari. Ita, inquam, ex similitudine vocum coniectare *Gesnerus*, etiam sine Codicum præsidio, poterat; nobis ne opus quidem est coniectura, qui bene scimus, in *Chifletiano*, eoque probatissimo, *Plinii* Codice legi *tragum*, recteque adeo ab *Harduino* & aliis *Plinii* editoribus hoc ipsum *tragum*, abiecta antiqua lectione, in contextum receptum iudicamus. Iam, si *tragum* hic pro *teragum* legendum, aut si *tragus* idem est, quod *teragus*, non habebat, cur vim inferret carmini *Nasoniano*, & ex *squamis*, inaudita licentia, *teragum* effingeret, bonus vir, *Gesnerus*; sed, ut inveniret apud Poetam hunc ipsum piscem, qui *tragus* vocatur, vel duos, aut tres, illius carminis legisse versus satis erat. Audi canentem Poetam:

Tum viridis squamis, parvo Saxatilis *ore,*
Et rarus Faber, & picta Mormyres, & auri
Chrysophrys imitata decus: tum corporis Umbra
Liventis, rapidique Lupi, Percaque, Tragi*que.*

Habes hic *tragum* piscem, quem eo in loco neglexisse præter rem dicendus est *Plinius*, quo voluit *Ovidiana* piscium genera commemorare, si, in his, quæ attuli, verbis aliud quidpiam esse *teragum*, quam *tragum*, contendas. Nusquam enim alibi *tragum* nominat, quem nominare eodem iure debebat, quo *mormyras*, *chryson*, *orphum*, & similes complures, nominavit. Quod vero *tragum* hunc, præter *Ovidii* mentem, *parvum* dixit *Plinius*, vix id mirum videri possit ei, qui meminerit, etiam *orphum* a *Plinio rubentem*

 dici,

Digitized by Google

dici, qui color ab *Ovidio v. 103 erythino* tribuitur:

> *Cantharus, ingratus succo; tum concolor illi*
> *Orphas, coeruleaque rubens Erythinus in unda.*

Non enim, ut recte notat ad hunc locum *Ianus Vlitius*, *rubet Orphus, si Canthari concolor, (qui Scarabaeum refert,) sed nigricat, maxime superius.* Non me fugit, quas coniecturas expromserint viri docti, id agentes, ut erroris suspicione liberetur *Plinius*; sed, si talibus remediis desperata ulcera sananda sint, non dubito, excogitari etiam tale quid posse, quod ad emendandum *parvum tragum* valeat. Huius generis emendatio foret, si dicamus, post *parvum* excidisse *saxatilem*, hocque verba legi ordine debere; *Praeterea parvum saxatilem, & tragum*, &c. Urere hoc & secare, non mederi, dicis? Recte tu quidem; modo violentum hoc medendi genus non mihi uni, sed iis omnibus, exprobres, qui, ut in descriptione *orphi* errorem, aut negligentiam, *Plinii* agnoscerent, nullo modo a se potuerunt impetrare. Nihil igitur causae relinquitur, cur, mendo carere versum *Ovidii*: *Tum viridis squamis*, &c. negemus; in quo omnia satis sibi recte constare apparet, si vocabulum *Saxatilis* accipiatur pro cognomine piscis cuiusdam, cuius cum nomen magis proprium fortasse ignoraret *Naso*, hoc posuit nomen, quod ei cum aliis eiusdem generis piscibus esse commune sciret. Vocari enim hoc nomine pisces uno plures, vel haec *Plinii* docent *H. N. Lib. IX Cap. 15*: Saxatilium *turdus & merula desunt*, & eiusdem alia

Lib.

Digitized by Google

Lib. eod. Cap. 16: Murena & orphus, conger, perca, & saxatiles *omnes;* quibus hæc addo ex eiusdem *Libri Cap. 51: Piscium lupus & tricbias bis anno parit, &* saxatiles *omnes.* Itaque in versu *Ovidii* idem est *saxatilis*, quod *unus ex genere saxatilium*, alio nomine non cognitus, sed qui hoc noscitur, quod viridis sit squamis, & parvo ore præditus. Quod vero *saxatilis* hic naturam Substantivi accepit, id, si mirum *Gesnero* videatur, non item videbitur aliis, quibus hujus generis sexcenta, ortu suo Adiectiva, sed usu Auctorum, inprimis Poetarum, Substantiva, ex horum Auctorum lectione sunt cognita. De nomine *Appius*, ut hoc utar, nemo dubitat, & origine, & usu, Adiectivum esse. At, Substantivis etiam aggregandum, aut aliquid Substantivi simile habere, dices, si hæc *Nasonis* legas *Lib. II ex Ponto El. VII v. 44*:

Nec magis est curvis Appia *trita rotis.*

Ubi si *Appia* pro *via Appia* dictum putas; nihil est causæ, cur non similiter *saxatilis* pro *piscis saxatilis* dictum putes.

SCITUS, *Subst.* Vulgare & omnibus notum vocabulum *scitum* est; paucis fortasse cognitum *scitus*, forma magis, quam significatione, ab altero diversum. Facturus igitur operæ pretium videor, si manifestum huius vocis usum ex *Livio* & *Cicerone*, nobilissimis omnium Scriptoribus, ostendero. Et *Livii* quidem hæc sunt *Lib. XXV Cap. 7: Comitia deinde a Prætore urbano de Senatus sententia, plebisque* scitu, *sunt habita.* Vetustiores editiones habent *scito*; pro quo, opti-

optimorum Codicum fidem testatus; primus legere nos *scitu* iussit *Io. Frid. Gronovius*, quem secuti sunt *Clericus*, *Hearnius*, & nuper doctissimus *Drackenborchius*, inventum sibi hoc *scitu* in Codicibus numero non paucis, iisque bonis & probatis, docens. Iam vero *Tullii* etiam locum accipe ex *Lib. IV ad Attic. Ep. 2*: *Cum Pontifices decressent, ita, si neque populi iussu, neque plebis* scitu, *is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset, neque populi iussu, aut plebis* scitu, *id facere iussus esset; videri, posse sine religione eam partem area mihi restitui.* Quo in loco pro vulgari *plebiscito*, quod antiquiores editiones exhibent, ex Codice *Decurtato* & *Tornasiano* hoc ipsum *plebis scitu* reposuit *Sim. Bosius*, quem deinde optimi quique Editores, *Gravius*, *Verburgius*, *Ernesti*, & ceteri, ni fallor, omnes, sunt secuti. Sed iam ante *Bosium*, in libris nonnullis legi *plebiscitu*, *Sebast. Corradus*, & in aliis inventum sibi *neque plebiscituis, qui* &c. *Leonb. Malaspina*, docuit. Bona igitur & incorrupta vox putari debet *Scitus*, nec alia eius est ratio, quam similium *Senatusconsultus*, *responsus*, *inceptus*, *mandatus*, *sponsus*, *conventus*, quarum passim apud *Livium*, *Ciceronem*, & alios Auctores, exempla inveniri, docte notatum est a *Sim. Bosio* ad *Ciceronis l. c. Gottlieb. Cortio* ad *Sallustii Catilin. Cap. 42* §. 3, *Torrenio* ad *Valerii Max. Lib. III Cap. 1 Ext.* §. 1, &, quem prae ceteris legendum commendo, *Arn. Drackenborchio* ad *Livii Lib. V Cap. 13* §. 5. Ex vulgari ratione vocabula haec secundae declinatio-

nationis, & genere neutra, sunt; sed, ut dixi, Auctorum quorundam usu, hæc genus masculum, & secundæ declinationis formam, acceperunt. Vicissim multa occurrere vocabula quartæ declinationis, quæ sæpe ad exemplum secundæ formentur, *Vossius Lib. IV Grammat. Cap. 17*, & Cel. *Drackenborchius* ad *Livii Lib. I Cap. 15* §. 7, docuerunt.

SCUTATUS, *Subst. Fabro* adiectivum nomen *Scutatus* est; nec ab eo facile dissenserim hoc nomine, etsi, dissentiendi causas mihi esse non omnino nullas, videam. Nam, quod loca is Auctorum tria, in quibus exstet *milites scutati*, indicat, non mihi hæc eius esse generis videntur, ut dubitationi nulli locum relinquant. Et in loco quidem *Tullii Orat. Phil. II Cap. 42*: *Agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites: scutorum lecticas portari videmus*, non me fugit, MStos aliquot libros habere: *Sequuntur scutati milites*, & ita a *Mureto* aliisque legi; sed in pluribus etiam, iisque optimæ notæ, libris exulat illud *milites*, nec in contextum receptum est a *Grævio*, aut si qui alii in edendo *Cicerone* non indiligenter sunt versati. In loco *Livii Lib. XXVIII Cap. 2* non *milites scutatos*, sed absolute *scutatos*, legi, postea videbimus. Nec apud *Cæsarem de Bel. Civ. Lib. I Cap. 39 milites scutatos* invenias; sed hic olim absolute legebatur *scutati*; nunc autem a *Davisio* & *Oudendorpio*, Codicum omnium consensum testantibus, restitutum est *scutata*; quæ si vera est lectio, uno hoc argumento suum vox *Scutatus*

inter

inter adiectivas tueri locum potest. Utaris etiam, per me licet, versu *Maronis Aen. IX, 370:*

Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, *Volscente magistro*;

etsi nec ineptire eum putem, si quis *scutati* hic magis per appositionem positum, quam cum *equites* coniunctum, putet. Sit ita, origine & natura sua nomen hoc adiectivum dicatur; modo, qui hoc urgent, vicissim sibi persuaderi a me patiantur, etiam in Substantivis vocem hanc recte meritoque numerari. Nam, quod supra de vocibus *Alarius, Legionarius, Oneraria,* dixi, idem de nomine *Scutatus* valet, ortu & nativa significatione Adiectivum esse, sed frequenti Auctorum usu ad Substantiva transiisse. Disci hoc ipsum ex eo potest, quod nomen hoc absolute poni soleat Auctoribus, & in horum locis intelligi facile sine addito *miles* possit. Exempla *Livius* & *Frontinus* dabunt; ille *Lib. XXVIII Cap. 2*: *Erant autem in Celtibero exercitu quatuor millia* scutatorum, *& ducenti equites*: &c. Quo modo legenda haec exhibet *Drackenborchius*, melius adeo hoc *scutatorum*, quam, quod libri nonnulli habent, *scuta*, aut, quod in aliis legitur, *scutata*, iudicans. *Gronovio*, patri, visum est legere: *Scutati, & ducenti equites*; quod mihi facile ferri potest, non id nunc disputanti, an *millia scutati*, quam *millia scutatorum*, concinnius dicatur. Eodem *Capite Livius*: *Et iam, ferme omnibus* scutatis Celtiberorum *interfectis, levis*

levis armatura, & Carthaginienses, . . . perculsi cædebantur. Superest, ut locum ex *Frontino* addam, qui est *Strateg. Lib. II Cap. 5 §. 31: Explorata enim locorum natura, in vicina silva nocte prædictas copias abscondunt, ita ut in prima parte leves Hispanos, aptissimos ad furta bellorum, ponerent; paullo interius* scutatos, *in remotissimo equites*, &c. Nec ita multo post: *Prius deinde, quam resisti his inciperet*, scutati *erumpunt e saltu, & redeuntes in ordinem consternunt, vertuntque.*

SEPTENARIUS, *Subst.* Aut in Substantivis numerari hanc vocem, aut hoc mihi dari, volo, Substantivi ei vim inesse in hisce *Tullii Tusc. Disp. Lib. I Cap. 44: Non intelligo, quid metuat, cum tam bonos* septenarios *fundat ad tibiam.* Ubi idem est *septenarius*, quod *versus septenarius*, sive per se ponendum hoc nomen in Substantivis dicas, sive ellipsin hic vocabuli *versus* agnoscas, quam a Poetis potius, quam a *Tullio*, exspectes. Emendandus hic certe *Faber* est, qui *Tullii* hoc loco utitur ad id, ut, *versus septenarios* bene & Latine dici, appareat. Nimirum *septenarios* vides, non *versus septenarios*, a *Tullio* proferri. Me si audiendum putes, nomen hoc & Adiectivum dices, & Substantivum.

SEPTENTRIO. Quantumvis ridiculus aut aliis, aut mihi ipsi, videar, si nomen hoc aggregandum Adiectivis dicam; nemo tamen mihi vitio vertat, si locum huc attulero *Tullii*, in quo ita videtur naturam Adiectivi habere hoc voca-

Digitized by Google

vocabulum, ut vix aliud magis. Est ille *Lib. IX* ad *Attic. Ep. 6*: *Conscendisse dicitur a. d. IV nonas Mart. Ex eo die fuere* septentriones *venti.* Ubi si *septentriones* Substantivum putes; quæ caussa *Ciceroni* fuit, cur adderet *venti*, quod ipsum in Substantivo *septentrio* inesse, ille bene noverat? Est enim *septentrio* idem, quod *ventus septentrionalis*, ut vel ex *Livio*, *Plinio*, *Seneca*, & *Vitruvio*, constare potest. Per appositionem interpretari me iubes illa *Tullii?* At ita collocata sunt verba, ut nullam *Tullius* appositionis videatur rationem habuisse. Lubentius, fateor, appositioni locum dederim in illis *Plinii Hist. nat. Lib. II Cap.* 47: - - *quod tempus austrinum est, huic* vento septentrione *contrario.*

SESQVILIBRA. Non huic vocabulo inter composita vocis *Libra* locum dedit *Faber*, etsi, a se datum, nos doceat, vocem hanc sub elemento *S* quærentes. Negligentiæ hoc peccatum est, cuius plura exempla passim indicavimus. Illa certe, uno plura, Auctorum loca, in quibus legitur vox *sesquilibra*, vix putem *Fabro* incognita fuisse. Habebat enim, quæ proferret, illa *Columella de Re rust. Lib. XII Cap. 36*: *Sat erit autem, rorismarini* sesquilibram *in duas urnas musti adiicere.* Habebat & alia *Plinii Hist. nat. Lib. XIV Cap. 20*: *Cato iubet, vina concinnari (hoc enim utitur verbo) cineris lixivii cum defruto cocti parte quadragesima, in culeum: vel salis* sesquilibra, *interim & tuso marmore.* Habebat denique hæc *Scribonii Largi Comp. med. Cap. 86 §. 224*: *Vini austeri veteris heminæ*

tres,

trer rosa sesquilibra, *olei acerbi selibra*. Significationem vocis non ignoras, si hoc noveris, *sesqui* idem, quod *integrum & semis*, esse.

SESQVIMODIVS. Eadem huius vocis, quæ alterius *Sesquilibra*, ratio est, & delusum te senties, si, quod iubet te *Faber* sub elemento *S*, hanc inter composita nominis *Modius* requires. Bene igitur feceris, si, quod deest Lexico, hoc ei supplementi loco adiunxeris, notaverisque hæc *Varronis de Re rust. Lib. I Cap. 42: In iugerum unum, si est natura temperata terra, scribunt opus esse Medica* sesquimodium; & alia *Columellæ Lib. II Cap. 13: Lentis* sesquimodius *totidem operas desiderat*, &c. denique *Ciceronis* hæc *Lib. III in Ver. Cap. 92: Quod nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset, & annona, non ex numero, neque ex summa, consideranda: nunquam tam grati hi* sesquimodii, *Q. Hortensi, fuissent; quos tu cum ad mensuræ tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti.*

SIMVLATORIE. Quod *simulate Tullio*, idem *simulatorie Cassiodoro*, felici talium vocularum architecto, dicitur. Loca huius ex libro *de Amicitia* duo dabo; alterum ex *Cap. 32: Cum veteris legis edicto præcipiamur amicum diligere non umbratice, non* simulatorie, *sed opere & veritate*; &c. alterum ex *Cap. 58: Deus equidem non superficialiter dilexit nos, non* simulatorie, *non mediocriter; sed plane, sed sincere, sed medullitus.*

Digitized by Google

SIMVLATORIVS. Etiam hac voce, unde ductum est *simulatorie*, aut primus, aut inter primos, usus est *Cassiodorus*, isque in libri *de Amicitia* Prooemio §. 42: *Illud autem sciendum est, quod in amicitia vera nihil est inhonestum, nihil* simulatorium, *nihil lucri temporalis, aut venalis gloriae, lucrativum.*

SPODIACVS, *a, um*. Sitne veteri Latio vindicandum hoc vocabulum, iam non disquiro. Hoc mihi satis sit notasse, in vulgatis *Scribonii Largi* editionibus, *Comp. med. Cap.* 3 §. 24 ista legi: *Collyrium* spodiacum *a quibusdam cinereum dicitur.* Quae ipsa cum lemmatis loco a recenti quadam manu adscripta, atque adeo dispungenda, iudicat *Io. Rhodius*, non mihi is male coniectare videtur, partim quod haec a *Marcello*, notissimo *Scribonii* expilatore, sint omissa, partim quod, eodem in loco rem eandem bis dixisse *Scribonium*, non sit verisimile. Sunt enim illis, quae modo adduximus, *Scribonii* verbis haec praemissa: *Hoc quidem etiam in initiis utuntur, cum ovi aequato liquore per se, vel cum collyrio, quod a cinereo colore* σποδιακὸν *appellatur.* Utcunque autem de hac voce existimes, si vere *Scriboniana* putari debeat, nihil ab hoc Scriptore praeter formam accepit, quippe ortu suo Graeca, & a Graeco σποδιακὸς, *cinereum* notante, in hoc uno diversa, quod sit ultima syllaba κὸς in Latinum *cus* mutata.

STACTON. Est Collyriorum unum, quod *Stacton* vocatur *Scribonio Largo*, eidemque sic descri-

describitur in *Compof. med. Cap.* 4 §. 34: *Stacton, quod vocant, ad eadem* (facit). *Fere autem mulieribus prodest. Habet hac*: &c. Cetera, si placet, in ipso Auctore lege. Vox & origine, & ipsa forma, Græca est, sed a *Scribonio*, ut vides, in Latium translata. Græcis σακτὸς idem est, quod *stillatitius*; neque adeo inepte hoc *Scribonii Stacton* accipias pro *Collyrio, quod instillatur.* Multa de Græca hac voce habet *Henr. Stephanus* in *Thesauro Graca lingua*, quibus ad illustrandum hoc *Scribonii* vocabulum optime utàris. Quod *Stacton Scribonio*, idem σακτικὸν *Aegineta Lib. VII Cap.* 16, & ἔνσακτον *Aetio Tetr. II Serm.* 2 *Cap.* 112, & *Galeno de Comp. med. sec. loca Lib. IV Cap.* 7, vocatur. *Io. Rhodii* in *Notis* ad hunc *Scribonii* locum conjectura est, in loco *Vegetii de Mulomedicina Lib. II Cap.* 45, ubi vulgo *stracta* legitur, hoc ipsum corrupte pro meliori *stacta* legi. Locus *Vegetii* hic est: *Ipse die postero* stracta *uteris, cuius hæc erit compositio: Simila sextarios duos,* - - *Quæ omnia manu subigis, & in armos inducis, & per dies multos armum aqua calida cum flore fœni fovebis diligenter, ut mollescat,* stractam *quotidie imponito*, &c. Sed duo sunt, quæ *Rhodio* reponi possint. Primum enim, si *stacta* legendum sit in loco *Apuleii*, casus rectus vocis non erit *stacton*, ut in *Scribonio* legitur, sed *stacta*, aut *stacte*, quæ satis Latina vox est, sed significationem, ut vel ex Lexicis notum est, longe aliam habens, quam ei *Apuleius* tribuit. Prius igitur, quam emendaret locum

Rhodius, ostendendum ei fuerat, *stacten* Scriptoribus antiquis tale collyrii genus vocari, quod nominatum descriptumque in illo loco *Apuleii* vides. Deinde emendandi huius loci causa mihi ideo videtur nulla esse, quod *stracta* illud ductum esse possit a Græco στράγξ, *guttam, stillam*, notante, unde στραγγουρία, *urinæ stillicidium*, & voces aliæ complures, ortum habent. Eadem igitur *Apuleiani Stracta*, quæ *Scriboniani Stacton*, esse potest, aut esse potius debet, significatio; nec sane maiorem vim in loco *Apuleii* haberet *stacta*, quod & ipsum significatione ab altero *stacton* valde differt, quam habere potest *stracta*, cuius, si qua est, hæc certe est significatio, ut *collyrium stillatitium*, quod *Scribonio* vocatur *stacton*, notet.

STIPENDIARIVS, *Subst.* Tria sunt loca *Ciceronis*, in quibus vim & naturam Substantivi habere hoc vocabulum, quilibet Lectorum, etiam ea de re non monitus, intelligit. Horum primum habes in *Divin. in Cæcil. Cap. 3: Populata, vexata, funditus eversa, provincia; socii*, stipendiarii*que populi Romani afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed exitii solatium, quærunt.* Alter est *Lib. III de Leg. Cap. 18: Idque late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios respublica habeat, quos amicos, quos* stipendiarios, *qua quisque sit lege, conditione, fœdere.* Tertium huc proferam ex *Orat. pro Cornel. Balbo Cap. 9: - - iniuriosum & contumeliosum est, his præmiis & his honoribus*

Digitized by Google

bus exclusos esse fidelissimos & coniunctissimos socios, quae pateant stipendiariis, *pateant hostibus, pateant saepe servis.* Quibus in locis, si neges, nomen *stipendiarius* accipi debere Substantivum; iam demum, quid inesse debeat in nomine, ut dici Substantivum possit, prorsus fateor me ignorare.

SVAVIFICO. Vocabulum, in *Cassiodori* natum officina, aut certe huic Scriptori usurpatum, damus. Huic enim *suavificare* idem est, quod *suavem reddere,* in libri *de Amicitia Cap.* 16, ubi ita: *Caritas non solum mortis & suppliciorum amaritudinem* suavificat, *sed etiam ipsam mortem potentissima virtute mortificat.*

SVBSIDIARIVS, *Subst.* Quod de vocabulis, *Alarius, Legionarius,* & *Stipendiarius,* a me notatum est, origine adiectiva, sed usu Auctorum Substantiva, esse, idem iam de voce *Subsidiarius* dictum volo; qua cum absolute utatur loco non uno *Livius,* hoc ipso ei vim & formam dedisse Substantivi videtur, Sunt illa loca *Lib. V Cap. 38: Paullum erat ab dextera editi loci, quem* subsidiariis *repleri placuit;* - - - *ad* subsidiarios *signa convertit;* - - - *Parumper* subsidiarios *tutatus est locus;* & *Lib. VI Cap. 8: Ibi primum pulsum Antiatem, terroremque non in primam tantum aciem, sed etiam ad* subsidiarios, *perlatum.*

SVMMOTO. Non excludi Lexico debebat hoc Adverbium, cuius eadem, quae tot alio-

rum,

Digitized by Google

rum, *falso, optato, satisdato*, forma est. Usum eius ostendunt formulae, *summoto adscendere, summoto incedere*, in priscis aut Scriptoribus, aut monumentis, obviae. Alteram harum formularum, *summoto adscendere*, servavit nobis lapis antiquus apud *Gruterum pag. CXXIV*, & *Gutherium de Iure Manium Lib. I Cap. 5*, in quo haec legas: LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ADSCENDERVNT. Ad quae recte *Gutherius l. c.*: Summoto *adverbialiter positum, ut* optato. *Summoto adscenderunt cum lictoribus, qui apparerent, turbamque summoverent, ut in sacris fieri consuetum*. Non haec *Gutherii* verba satis recte cepisse videtur *Marqu. Gudius*, in *Notis ad Phaedri Lib. I Fab. 25* ita scribens: *Guther. de Iur. Man. I Cap. 5 explicat, summoto adscenderunt, id est, qui apparerent, turbamque summoverent, ut in sacris fieri consuetum.* Quasi vero *Gutherio summoto adscendere* esset *apparere, turbamque summovere*. Nunquam hoc dixit vir doctissimus, sed, *summoto adscendere* esse *adscendere cum lictoribus, qui apparerent, populumque summoverent*, dixit. Et multo rectior feliciorque haec *Gutherii* explicatio est, quam quae data est ab ipso *Gudio*, ingenii quippe, quam doctrinae, laude commendatior. Is nempe, in lapide fuisse, putat, *summotio*, sive, per compendium scripturae, in aliis Inscriptionibus usitatum, *summo+o*; hocque *summotio* adverbialiter positum pro *summo otio*, ut *summopere, maximopere*, pro *summo opere & maximo opere*; atque adeo *summotio adscendere* idem esse, quod in veteribus col-

colloquiis *otio adſcendere*, *ἀτρέμα ἀναβαίνειν*, *leniter*, *non properanter*, *graui & ſuſpenſo gradu*, *ut Sacerdotes decebat*, *adſcendere.* Quam in coniecturam, vel ideo parum probabilem, quod cauſa nulla appareat, cur, leni & ſuſpenſo gradu factum eſſe adſcenſum illum, is, qui compoſuit Inſcriptionem, notatu dignum duxerit, non incidiſſet forte *Gudius*, ſi, quæ ſtatim proferentur, *Livii Pliniique* loca, in quibus *ſummoto incedere* nihil eſt aliud, quam *ſummoto a lictoribus populo incedere*, ſatis, ut debebat, habuiſſet cognita. Recte igitur hæc *Gudii*, alioqui non indocti hominis, coniectura reiecta eſt a *Petro Burmanno* in *Notis ad Petronii Satyr. Cap. 51*, & a Clariſſ. *Drakenborchio* in *Notis ad Livii Lib. XXVIII Cap. 27.* Iam vero, ut, quæ alterius formulæ, *ſummoto incedere*, vis ſit, intelligas, duo loca *Livii* & *Plinii*, iam ante me notata ab aliis, expromam. Et *Livii* quidem hæc notanda ſunt *Lib. XXVIII Cap. 27*: *In prætorio tetenderunt Albius & Atrius*; *claſſicum apud eos cecinit*; *ſignum ab iis petitum eſt*; *ſederunt in tribunali P. Scipionis*; *lictor apparuit*; ſummoto inceſſerunt; *faſces cum ſecuribus prælati ſunt.* In editione *Livii Aſcenſiana* anni 1513, &, quæ hanc ſecutæ ſunt, nonnullis, pro *ſummoto* legitur *ſummovente eo*, quod debetur ſine dubio ignorantiæ Editorum, hæſitantium in vocula *ſummoto*, cuius minime perſpectam habuiſſe vim videntur. Certe, *ſummovente eo* in Codice ne uno quidem inveniri, *Drakenborchius* teſtatur, idoneus hac in re & fide di-

num multitudinem. Mirum, tale quid exprobrari *Salmasio*, viro in his literis vere magno, ab homine tantulo, *Harduino*, potuisse. Is mihi credat velim, non hoc solum vidisse *Salmasium*, quod vidisse eum negat ipse, sed hoc vidisse longe plura, quæ si ipse vidisset *Harduinus*, *Salmasianam* verborum *Plinii* lectionem præferendam sine dubio illi alteri duxisset. Audiamus *Salmasium*, scribentem docte & acute: *Absurde etiam editur*: summotu lictorum. *Quasi lictores haberet Apis ad summovendam turbam, cum in coetus se proripiebat. Populi conferti sponte se dimovebant, religione ac veneratione ducti, & venienti via decedebant. Sic incedebat summoto sine lictoribus, cum religio pro lictore esset.* Itaque, *summovere* proprie de *lictoribus* dici, bene noverat *Salmasius*, qui & paulo ante dixerat: Summovere *verbum lictorum, qui magistratui eunti turbam summovebant, viamque faciebant*; sed hoc etiam noverat, lictores esse Consulum, aut magistratuum, non *Apidis*, aliquando populo se ostendentis, & a grege puerorum duci soliti. Sed eundem *Salmasium* memoria fefellit tum, cum, quo sensu apud *Plinium summoto incedere*, eodem apud *Lactantium* legi *incedere dimoto*, dixit. Nusquam ita *Lactantius*, sed huius fuit formula, *per dimotum populum incedere.* Hac nempe usus est *Lib. VI Instit. Cap. 1*: *Nihil denique moderati, aut pensi, habent, dummodo auro coruscent, argento, gemmis, vestibus, fulgeant, avidissimo ventri opes ingerant, stipati familiarum gregibus*, per dimotum populum *semper* incedant;

cedant; ubi pro *dimotum* vetustiores nonnullæ editiones habent *domitum*, reclamantibus & multis, & vetustissimis, Codicibus, nominatis ex parte a *Io. Ludolpho Bunemanno*, eruditissimo *Lactantii* editore. Ceterum hunc memoriæ lapsum in *Salmasio* iam ante me notavit *Christoph. Cellarius* in *Notis ad Lactantii* hunc locum. Ex *Livii* igitur *Plinii*que locis, iam a me adductis, patet, suum in veteri Latio locum tueri formulam *incedere summoto*, & in *summoto* intelligi *populo*, quo abiecto, factum est, ut *summoto* acceperit naturam Adverbii, quam non habuisse antea videtur. Nec cuiquam, recte inspectis illis Auctorum locis, in mentem veniat dubitare, *summoto incedere* dici viros munere & dignitate illustres, qui, populo a lictoribus summoto, graves & spectabiles incedunt. Nam, proprium lictorum esse verbum *summovere*, ignorare non possunt, qui satis sunt versati in lectione veterum Auctorum, quorum loca nonnulla, cum ad illustrandam hanc, quam dixi, formulam non parum faciant, non inutile, huc attulisse, fuerit. Itaque *Livius Lib. III Cap. 48*: *I, lictor*, summove *turbam, & da viam domino*; *Lib. VIII Cap. 18*: *Cum*, summoto populo, *in conspectu omnium rem ad ceteras retulissent*; & *Lib. XXVI Cap. 38*: *Starentque*, summoto populo, *accusator & reus.* Addo *Horatium Lib. II Od. 16*: *Consularis* summovet lictor *miseros tumultus mentis.* *Seneca* etiam in *Controversia, Sacerdos prostituta*: *Procedente hac* lictor summovere *videbitur*; ubi legendum *iubebitur*.

statuit

ſtatuit *Lipſius Elect. Lib. I Cap.* 23, ſed eo nomine notatus a *I. F. Gronovio*, non hic virginis, ſed Prætoris, aut Conſulis, lictorem intelligente, ſcribendumque adeo ſuſpicante *vetabitur*, in *Notis ad Livii Lib. XXVIII Cap.* 27. Idem *Seneca* in *Epiſt.* 94: *Non eſt, quod feliciorem iudices, cui* ſummovetur, *quam quem* lictor *ſemita deiicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave, imperium, vitia* ſummove. Etiam *Gellius Lib. XIII Cap.* 13: *Nunc ſtipati ſervis publicis* ... *ultro* ſummovent populum. Ex *Feſto* autem Voc. *Matrona* diſcas, *matronas a magiſtratibus non ſummoveri.* Cui ne repugnare putes *Hieronymum*, in *Epiſtola ad Gerontiam de Monogamia fol.* 89 ſcribentem, *apud Aquas Sextias ſub Mario a lictore matronas ſummotas*, memineris, has matronas fuiſſe captivas, ut recte notatum eſt a *Io. Lud. Bunemanno*, Viro doctiſſimo, ad *Lactantii Lib. VI Cap.* 1, a quo mihi eſſe eorum locorum, quæ modo allata ſunt, unum & alterum mutuo acceptum, lubens profiteor. Ceterum de munere lictorum, ſummovendi populum in viis publicis, docte diligenterque actum eſt a *Lipſio* in *Electorum Lib. I Cap.* 23.

SVPERFICIALITER. Cave tibi, Lector, a peſſimæ notæ vocula, in ſtercore *Caſſiodoriano* nata. Huic, eiusmodi elegentiarum, ut noſti, amantiſſimo Scriptori *ſuperficialiter diligere* idem eſt, quod *remiſſe, negligenter, diligere*, in libri *de Amicitia Cap.* 58 §. 2: *Deus equidem non* ſuperficialiter dilexit *nos, non ſimulatorie,*

non

non mediocriter; sed plane, sed sincere, sed medullitus. Est hoc Adverbium a *Superficialis*, illius ætatis, qua vixit *Cassiodorus*, Scriptoribus, ut vel ex Lexico constat, non inusitata voce.

SVPERINSTREPO. Mireris, vocem vere Latinam, & in Scriptore, quem omnes legunt, obviam, prorsus incognitam *Fabro* fuisse. In *Silii Italici Lib. II v. 186* hæc legas:

- - - - Superinstrepit *ater,*
Et servat cursum perfractis ossibus, axis.

Ita legitur in omnibus editionibus, nec, quod sciam, libri MSti hic dissentiunt. Unum est, quod reponi nobis a *Fabro* potest, divise *super instrepit*, non coniuncte *superinstrepit*, legendum. Sed, meminerit, velim, locum a se datum in *Thesauro* vocibus *superimpono, superiniicio, superincumbo*, quas si divise legendas non putavit, non erat, cur non eodem iure uti vocem *superinstrepo* pateretur.

SVPERSPERO. Voce hac pro *valde sperare* usus est *Cassiodorus* in libri *de Amicitia Cap. 24 §. 7: Sub hac exspectatione Propheta dicebat: Domine, in iudiciis tuis* supersperavi. Ita verba edidit *Bernh. Zinzerlingus*, qui, sic etiam legi apud veterum Bibliorum Interpretem, sed editionem *Cassiodori* Genevensem habere; *Semper speravi*, in *Notis* docet.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONVM, QVAE VOLVMINIS TERTII PARTE TERTIA CONTINENTVR:

I. I. C. HARENBERGII Expositio critica Epistolae catholicae, a *Iuda*, cui cognomen fuit Thaddaei atque Lebbaei, quondam conscriptae, ac impuritatum affectatoribus oppositae. Pag. 373 - 461.

II. PETRI ZORNII Dissertatio de Sigillo Dei in frontibus fidelium, ad *Apoc. VII, 3, IX, 4*, coll. *Ezech. IX, 4*. Pag. 461 - 468.

III. MATTHIAE BELII, V. D. M. Pisoniensis, Historici patrii, Acad. Scient. Lond. & Berolinens. Socii, Observatio historico-physica de Aquis Neosoliensium aeratis, vulgo *Cement-Wasser* dictis, ferrum aere permutantibus. Pag. 469 - 480.

IV. IANI GRVTERI Suspicionum criticarum Liber decimus, nunc primum editus a I. G. R. Pag. 480 - 521.

V. IO. GEORGII WALTHERI, Sereniss. Ducis Saxon. Weissenfels. Consiliarii, Prof. Histor. Liter. Human. Philos. Moral. Poës. ac Rectoris adi. illustris Augustei, Emendatio loci *Velleiani Cap. 6* §. *1*, atque huius & consequentis *Capitis* explicatio. Pag. 521 - 533.

VI. I. C. S. Observatio de Vocabulorum quorundam Germanicorum originibus. Pag. 533 - 536.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinae, quae in vulgaribus Latinae linguae Lexicis frustra quaeruntur, ex priscis Auctoribus collectae. *Sectio II, quintum* continuata. Pag. 536 - 561.

Digitized by Google

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS TERTII PARS QVARTA,

QVAE EST VLTIMA.

LIPSIÆ,

APVD IO. FRID. GLEDITSCHII HAEREDES.

MDCCXLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

GOTTLOB FRIDERICI GVDII
DE
CHRISTO, ET DISCIPVLIS EIVS, DECORI STVDIOSIS, COMMENTATIO PHILOSOPHICO-HISTORICA.

I.

Decori curam sibi commendatam habent omnes, quotquot defæcatam rationem sequuntur. Neque enim Cynicos, a) &, qui hodie illorum causam perorant, Quackeros, audiendos esse putant, qui ad sua sensa, quam ad aliorum

a) Cum enim ad solam naturæ & virtutis regulam agere, aliorum vero opiniones, mores, institutaque, spernere, iis constitutum esset; eo proruebant, ut omne decorum negligerent, &, mancipiorum esse, putarent, in his, quæ naturæ lege de moribus neque præciperentur, neque vetarentur, aliorum voluntatibus & usui obsecundare; docente Cel. *Iœchero* in Program. *de Cynicis nulla re teneri volentibus*, Lipf. 1743.

rum hominum placita, mores suos componere malunt b). Quandoquidem, quantum a seculi sui moribus recedunt, tantum a rationis praeceptis alieni sunt decori adversarii. Commiseratione digniores, quam castigatione; nisi quando fastu suo aliis molesti existunt, qui consortium ipsorum evitare nequeunt. Tanto enim sibi placendi studio abreptos esse eos videas, ut, sibi quandam decori formam fingere, quam ab aliis effictam exscribere, satius esse, sibi persuadeant. Rebus certe suis optime consulerent, si solitudinem petentes sibi viverent, moresque suos ad ingenii sui deliria formarent.

II. At vero in *definiendo* decoro nondum conspirant eiusdem defensores & cultores. Licet fateantur omnes, illud ab eo, quod honestum dicitur, longe diversum esse; tantum tamen abest, ut honestati adversari debeat, ut potius laude prorsus sit indignum, nisi divinae, tam *naturali*, quam *positiva*, legi respondeat. *Hominum arbitrium*, & *usus*, obstetricante tacito saltem eorum consensu, decorum peperit. Quam ob rem tot fere in eo diiudicando dissensus, quot regiones, & quot urbes, numeraveris. c) Sensum plane peregrinum decori vocabulo una cum Stoicis imposuit *Cicero*, quando *illud*, gene-

b) Vid. *Gottlieb Stollii* Dissertat. *de Decoro politico, contra Cynicos & Quackeros, tanquam praecipuos eiusdem hostes, defensò*, Jenae, 1725.

c) Confer. *Martini Hassen* Dissertat. historico-philosophica, *varia doctorum placita & scripta de decoro exponens*, Viteub. 1740.

Digitized by Google

generali usu acceptum, *id, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat*, denotare docet. d) Hac enim ratione ab eo, quod alias iustum laudatur, ac honestum, vix ac ne vix quidem separari potest decorum; & magis *grammatice*, quam *politice*, explicatur. Quo sensu decori vocabulum etiam usurpatur, quando ipsi adeo summo Numini in nonnullis *Codicis sacri* locis tribuitur. e) Ad nostras potius partes accedere videtur *Cicero, speciale*, quod dicit, *decorum appellando illud, quod ita naturæ consentaneum sit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum specie quadam liberali.* f) Quamvis, definitionem illam obscuritate obsitam esse, diffiteri possit nemo.

III. Nobis quidem Decorum dicitur *externarum actionum indifferentium forma, ad aliorum*

d) *Officiorum Lib. I Cap.* 27. Verbis quidem, non tamen re ipsa, cum *Cicerone* facere videntur, qui Cel. *Wolffii* præcepta sequuntur, & Decorum definiunt, quod sit *actio, quatenus per ea, quæ homini vel natura insunt, vel vi legis naturalis inesse debent, & huic convenientem eiusdem statum, demonstrari potest, quod sit decora.* Videatur *Spitzneri* Dissertat. *de Notione Decori distincta & completa*, §. 25, Vitemb. 1740.

e) Id quod divinum Decorum explicuere *Io. Ioach. Zentgraff* in Dissertat. *de eo, quod Deum decet*, Argentor. 1677, *Michael Foertschius* in Dissertat. *de Decoro divino*, Jenæ, 1719, *Christ. Aug. Crusius* in Dissertat. *de Decoro divino*, Lips. 1739.

f) Quam præceptionem solertissime prosequitur *Officiorum Lib. I Cap.* 35.

Digitized by Google

rum exempla prudenter composita, ut aliis placentes, felicitatem nostram secundum divinam voluntatem promoveamus.

IV. Dantur enim quamplures actiones *externa*, eæque *libera*, quarum forma nec diviná, nec civili lege definita, est. g) *Alios* quippe *externo honoris cultu afficiendi, & salutandi; corpus suum alendi, movendi, & convestiendi; tristitiam & lætitiam aliis significandi; nuptias & funera celebrandi; imo externum divinum cultum Novi Foederis tempore peragendi modum*, divina saltem lege præscriptum esse, ignorant omnes. *Usus* autem vocabulorum pariter ac horum rituum *est tyrannus.* Cui gentes adeo liberæ & summi magistratus tantum non semper morem gerunt, & decori studium persona sua haud indignum existimant h).

V. Aliorum igitur, *indifferentibus actionibus* operam dantium, exempla, cum legis instar sint decori cultoribus; in eligendis, quos imiteris, hominibus *prudentia* opus est, ut tibi sint pares, & in pari, quod subis, negotio occupati.

i) Per-

g) Confer. *Io. Ge. Mülleri* Dissertat. *de Indifferentibus in genere morum*, Jenæ, 1686. Absit vero quam longissime, ut, sublatis *honesti* & *iusti* regulis, hominum actiones omnes *indifferentes* esse, affirmemus. Cuius detestandæ sententiæ patronis diem dixit S. V. *Io. Cyprianus* in Dissertat. *de Indifferentissimo morali*, Lips. 1668.

h) Vid. *Io. Franc. Buddei* Dissertat. *de eo, quod decet circa solennia Principum*, Halæ, 1701, nec non *Gottlieb Sam. Treueri* Dissertat. *de Decoro gentium circa belli initia*, Helmst. 1727.

Digitized by Google

i) Perversa enim aliorum imitatione aut aliorum risui te exponere, aut fastus & vanitatis notam tibi contrahere, facile potes. k) Quapropter e re sibi subditorum duxit esse magistratus, ut circa nonnullas actiones decorum certis regulis circumscriberet, alias civium suorum arbitrio relinquens. l) Ex quo duas decori species enasci videas, quarum alteram decorum *publicum*, alteram decorum *privatum*, dixeris. Sicut etiam *obiectorum* causa, in quibus versantur, decorum in *sacrum* & *civile* merito diviseris. Quæ de *communi*, eoque *naturali*, decoro tradunt, & quæ decoro *positivo* opponunt, m) ex principiis iusti & honesti maiori iure deducenda esse mihi quidem videntur. Illud enim qui migrat, contra *fines divinos* agit. Quorum lineas nemo transilit, nisi iusti & honesti regulis adversetur.

VI. Sive autem *magistratus auctoritate* decorum sit suffultum; sive *hominum* non nisi *arbitrio* natales suos debeat; utrumque tamen iure suo *loci*, in quo illud solenne est, *incolas*

 obstrin-

i) Confer. *Lud. Martini Kahlii* Dissertat. *de Decoro*, §. 8 *seq*. Halæ, 1735.
k) Vid. *Ern. Flor. Rivini* Dissertat. *de Perversa aliorum imitatione*, Lipf. 1728.
l) Confer. *Christ. Frid. Baumgarten de Cura Principis circa vestes*, Regiom. 1704, nec non *Christ. Schuberti* Dissertat. *de eo, quod iustum est circa luxum*, Lipf. 1720.
m) Id quod fusius edisseruit Cel. *Io. Burchardus Menckenius* in Dissertat. *de eo, quod decorum est*, §. 6 *seq*. Lipf. 1695, inserta eiusdem *Dissertationibus Academicis pag*. 42.

Digitized by Google

obstringit. n) Decorum enim æque ac sermo medium est animi sui sensa cum aliis communicandi. Id quod igitur cum communi societatis consensu sit electum, & a magistratu nonnunquam imperatum; in socios suos est iniurius, imo magistratus contemtor, qui in decoro ab aliis secessionem facit, & sibi unus sapere videtur, ut mores suos sibimet ipse formare, quam ad aliorum exempla illos conformare, malit. Aliis itaque molestus, suam ipsius pertinaciam, & *αὐθάδειαν* accuset, si ab iis deseratur; adversoque casus sibi tribuat, qui ipsi aliorum opem desideranti obveniunt. Summi Numinis mandato se opponens, quo, ut mutuum auxilium alter alteri ferat, & ab altero sibi expetat, sapientissime singulis fuit iniunctum. Quamvis vero decori negligens coram foro *soli* in ius non semper vocari queat, nisi decorum magistratus lege munitum læserit; in *foro poli* tamen negligentiæ suæ rationem reddere debebit.

VII. Cui iuris naturæ præceptioni de observando decoro haud leve pondus addidit summum Numen, quando in *Levitica* & *politica* lege, quam *Iudæis* promulgaverat, decori rationem haberi sæpissime iussit. Sed vero illam quoque Christus exemplo suo illustravit, & confirmavit. Humana enim forma indutus, & in Iudæa commoratus, non modo ad divinam legem se composuit totum; sed Iudaico etiam deco-

n) Vid. *Io. Krugii*, Dissertat. *de Obligatione decori*, Lips. 1711.

Digitized by Google

decoro *civili* non minus, quam *ſacro*, *publico* pariter ac *privato*, ſtudere dubitavit nullus. Neque legatis & diſcipulis ſuis auctor fuit & princeps, ut a locorum & gentium, in quibus degerent, decoro abſtinerent. E contrario mores illorum, communi decoro conformes, perſuadent nobis, illos *divini* ſui *magiſtri* præceptis obtemperaſſe, quando in externis moribus, ſacrorum ſuorum caſtitati haud contrariis, alios ſectati fuerunt.

VIII. Et, ut a *ſacris* dicendi initium faciamus, illa quidem, maximam partem, ex *divina formula* peragebantur; eo tamen ævo, quo in *Iudæa* verſabatur Chriſtus, divinis externi cultus inſtitutis *novos quosdam ritus* adiecerant ſacrorum antiſtites. Quos, tantum abeſt, ut damnaverit Chriſtus *omnes*, ut potius ipſe aliquot illorum ſancte ſervaverit. *Encania*, quæ ætate illa celebrabant Iudæi, divina inſtitutione carebant; iis tamen interfuiſſe Chtiſtum, recenſet *Ioannes Cap. X v. 22* o). Et, quamvis nec *ſolennis aquæ effuſio*, quam ſub *tabernaculorum feſti finem* maximo cum tripudio facere conſueverant *Iudæi*, a Deo mandata fuerit, illam tamen non abhorruit Chriſtus, ſed conſuetudini illi præſens, ab illa auditores ſuos docendi anſam arripuit, *Io. VII, 37 ſeq.* p).

o) Vid. *Goodwini Moſes & Aaron pag.* 340 (edit. *Reitzii*), & *Relandi Antiquitates veterum Hebræorum pag.* 466 (edit. *Buddei*), nec non *Lampii Commentarius in Ioannem ad h. l.*

p) Vid. modo laudati *Relandi Antiquitates pag.* 418 & *Lampius ad h. l.*

Digitized by Google

IX. Ad *vestitum* Christi quod attinet, *Iudaeorum* moribus procul dubio is respondit. Vitam eius qui recensuerunt, nil quidquam commemorant, quod in eo aliquid singulare affectaverit Christus. Licet parsimoniae, cui sponte se dederat, in eo quoque studuerit. Milites tamen, qui Christum in crucem, & sub illa excubias, agebant, tanti pretii Christi vestes ducebant; ut eas inter se dividerent q). Ad probabilitatem quoque fere accedit eorum sententia, qui, Christum *phylacteria* gestasse, sibi persuadent r).

X. Praeterea *civiles ritus*, quibus alter alterum in *Iudaea* honorabat, non aspernabatur Christus. Locum dabat eorum precibus, qui ad *coenam* ipsum invitabant. Permittebat, *osculum* sibi figi; neque *unctionis*, & *pedilavii*, pro suae gentis more impatiens erat s). *Alios etiam*, ut observantes sint decori, strenue *hortabatur*, referente *Luca Cap. XIV v. 7 - 10. Hospitem suum* aliquando *leniori castigatione petebat*, quod ab eo consuetis ritibus non fuerit exceptus, teste *Luca VII, 43 seq.* Nec inique ferebat, ut corpus suum exstinctum *solenniori modo terrae man-*

q) Modum, *inconsutiles vestes*, quali Christus usus fuisse dicitur, conficiendi, edocet *Braunius* in Commentario *de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum Lib. I pag.* 360.

r) Digna est, quae legatur, *Martini Adelti* Dissertatio *de Phylacteriis Christi*, in *Miscellaneis Lipsiensibus Tom. VIII pag.* 22.

s) *Ubi*, & *quando*, *Christus* fuerit unctus, ordine recenset *Io. Caspar Merckenius* in *Bibliotheca Bremensi Classe IV Fasc. V pag.* 888.

Digitized by Google

mandaretur. Semet ipso sepulturæ suæ vate & vindice. Enarrante *Matthæo XXVI, 12.*

XI. Fumum ergo vendit *Stryckius*, quando, Christum decoro *operam dedisse*, it negatum t). De verbis, non de re ipsa, rixatus esse videtur Auctor, Christi cultoribus decori studium dissuadens. Cum per decorum, quod nos commendamus, *eiusmodi mores* intellexerit, *ad quos vanitas & superbia hominum animos allicit* u). Quos tamen culpandos mores decori nomine nequaquam afficiunt saniores moralis doctrinæ magistri. Enimvero ad decori studium *rationem* nullatenus retulerim, *qua in docendo* usus fuisse dicitur Christus; multo minus *morem, quem in solvendo vectigali magistratui gessit* x). Illa enim non ad decorum, sed ad docendi prudentiam, hic autem ad obsequium divinæ legi præstandum, pertinebat.

XII. En exemplum, quo discipulis suis præibat Christus! cui eiusdem *doctrina* ex asse respondit. Quippe in qua discipulis suis externos mores constanter servandos nunquam commendavit; prudentiæ ipsorum, & pietati in Deum, formam eorum relinquens. A vero aberrant, qui, Christum *vestitus*, & *externi habitus*, formam ab

t) In Tractatione Academica *de Iure liciti, sed non honesti, Cap. I* §. 92, Christus, ait, decori *nullam rationem habuit, sed contumeliam aliorum promtissime suscepit*, αἰσχύνης καταφρονήσας, *Hebr. XII, 12.*

u) Videatur idem *l. c. Cap. I* §. 67 *seq.*

x) Qua in sententia fuit Cel. *Stollius l. c. pag.* 32.

Digitized by Google

ab omnibus doctrinæ ſuæ addictis nunquam non obſervandam ipſis præſcripſiſſe, audacter affirmant, quando is legatos ſuos ad fiduciam in Deum, iuſſaque ſua quam celerrime éxequenda, hortatus fuit, *Matth.* X, 9, 10, *Marci* VI, 8, 9. y)

XIII. Magiſtri ſui dictis & exemplo audientes fuerunt eiusdem *legati*. Peculiarem igitur veſtitum ſibi aſſeruiſſe ii nullo loco leguntur. Quæ de *aurea Ioannis lamina*, frontis ſuæ ornamento, traduntur, & a *Lamio* denuo affirmantur z), fabulis merito annumerarunt viri perſpicacioris ingenii a). Neque in aliis rebus commune decorum præterierunt, ſive inter Iudæos, ſive inter gentes ab illorum ſacris alienas, fuerint verſati. Omnibus ut placeret, ſtudebat *Paulus*, quoad cultus, quem Chriſto debebat, ſtudium illud permittebat b). Nulli etiam religioni ſibi duxit, ſummos magiſtratus *conſueto honoris titulo* compellare, *Act.* XXVI, 2, 3, 25, & *ſummo Iudæorum pontifici*, iniquam licet ſententiam ferenti, debitum honorem aſſerere, *Act.* XXIII,

y) Vindicavit hæc Chriſti dicta a perverſorum hominum ſtrophis Cel. *Wincklerus*, fautor meus cum cura dicendus, in *Diſquiſitionibus ſuis philologicis pag.* 73 *ſeq.*

z) In libro *de Apoſtolorum eruditione pag.* 58.

a) Vide Cel. *Lampii Prolegomena in Ioannem Lib.* I *Cap.* 3 §. 6.

b) 1 *Cor.* IX, 22. Quem locum *Io. Andreas Schmidius* in Diſſertat. *de Miniſtro eccleſiæ, omnibus omnia*, Helmſt. 1701, recuſa A. 1724, illuſtravit, in qua præſertim, quæ §. 20 - 24 docuit, huc pertinent.

Digitized by Google

XXIII, 5. c) Quemadmodum neque *Lucas Theophilum*, virum dignitate civili conspicuum, Κράτιστον consueto more salutare dubitabat d).

XIV. Hanc ad formam suos deinceps auditores instruxerunt Christi legati. Externos mores prudentiæ ipsorum permiserunt; de præcipienda & formanda interna animorum castitate non nisi soliciti. Iussit *episcopum κόσμιον* esse *Paulus* 1 *Tim.* III, 2, e) Mulieres ut sacris concioni-

c) Absolvunt *Paulum* criminationis in *Ananiam* pontificem destinato coniectæ *Brunsmannus* in *Hendecade Dissertationum miscellanearum pag.* 51, *Petrus Zornius* in Dissertat. *de Pauli singularibus fatis in carcere castrensi arcis Antoniæ*, inserta *Museo Bremensi Vol. II P.* 3 *pag.* 388. Uterque, *Paulum* vere ignorasse, affirmat, *Ananiam* Pontificis vices gessisse; quia forte ipso absente ad hoc dignitatis fastigium fuerat evectus, neque iam Pontificis insignibus indutus. Novam viam, *Pauli* veracitatem vindicandi, stravit *Io. Frid. Cramerus* in Dissertat. *de Paulo in Synedrio verba faciente*, Ienæ, 1735, particulam οὐκ per interpunctionem a verbo ᾔδειν distinguendo, & verba *Pauli* hunc in modum vertendo; *Non!* (scil. maledixi, absit a me quam longissime, ut *Ananiæ* maledicere ausus fuerim.) *Noveram enim quam optime, quod is pontificatus dignitate fungeretur, maledicis verbis haud impune pungendus. Quæcunque ergo*, inquit, *duriora verba in* Ananiam *dixi, non maledicendi, sed vaticinandi, animo protuli.*

d) Confer. *Christ. Mündenii* Dissertat. *de Dedicatione Evangelii S. Lucæ*, Helmst. 1728.

e) Hoc est, *externi* decori *studiosum*, interprete Cel. *Heumanno* in Dissertat. *de externis Candidati sacri*, §. 2, inserta *Poeciles P. I Lib.* 2 *pag.* 302.

Digitized by Google

cionibus *velata* intersint, praecepit *1 Cor. XI, 5 - 15.* Hac de caussa evenit, ut *pallium* retinuerint Philosophi, qui ab idolorum cultu ad Christi sacra transierunt. f) Licet vero *iuramenta per Imperatorum genium, spectacula, & vestitus pompam,* reformidaverint; nullo tamen in civile decorum hostili animo abrepti erant, sed tantum idololatriae consortium, adulandi suspicionem, & animos suos vitiandi occasionem, qua fieri poterat opera, evitabant. g)

XV. Quae cum ita sint, assensum iis merito denegamus, qui vel externo decoro valedicere satagunt, ne *mundi mores induisse speciem prae se ferant, Paulina* dehortatione abusi, *Rom. XII, 2*; vel in externo decoro Christi, &, qui ipsi nomen olim dederant, vestigiis inhaerere malunt. Illi enim vanos inter, & vanitatis culpa vacuos, mores discrimen ignorant; hi autem, Christum, eiusque cultores, ad externos hominum, quibuscum versati fuerunt, mores se accommodasse, haud perpendunt. Qua ex intempestiva aemulatione factum est, ut in nostris etiam regionibus hodie quidam, *Orientis* mores revocaturi, *barbam aluerint, promissas vestes gestarint, se invicem in persona secunda allocuti,* & *osculati fuerint;*

f) Referente *Lamio, l. c. p. 56* ad *Iustinum* & *Aristidem* provocante.

g) Vid. *Io. Franc. Buddei* laudata Dissertat. *de eo, quod decet circa solennia Principum, §. 36,* & *Sebastiani Kortholti Paganus obtrectator Lib. III Cap. 12.*

Digitized by Google

fuerint; pedes aliorum mundarint. h) Deserunt hi tememarii morum censores Christi, & qui doctrinam eius prima ætate professi fuerunt, exempla. Pietatis tamen studium præ se ferre, pluresque alios in pietatis stadio multis parasangis post se relinquere, gestiunt. Dici autem non potest, quantopere hæc morum affectatio, pietatis formam mentita, animos corrumpat, & eo usque facile abripiat, ut ad iudicandum alios, & damnandum eos, quam ad invigilandum sibimet ipsis, i) proniores existant. Quin imo eo tandem prolabuntur, ut maiorem externi cultus divini curam habeant, quam interni. Immemores *Paulini* moniti: Οὐκ ἔστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις, καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη, καὶ εἰρήνη, καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Rom. XIV*, 17.

h) Confer. *Io. Schmidii* Dissertat. *de perverso Christum imitandi studio*, Lips. 1710, *eiusdem* Dissertat. *de perverse Apostolos imitandi studio*, ibid. 1720, *Caroli Gottlob Hofmanni* Dissertat. *de vera & falsa pedilavii Christi imitatione*, Vitemb. 1740, *Herm. Christoph. Engelken* Dissertat. *de Compellationis modo in secunda singulari, Sect. III pag.* 33 *seq.* Rostochii, 1720.

i) Castigavit hosce iniquos aliorum censores *Christoph. Frid. Tresenreuter* in Dissertat. *de iniusta* ἁμαρτωλοποιΐᾳ, Altorf. 1738.

II.

CAROLI HENRICI ZEIBICHII,

ARTIVM MAG. S. S. THEOL. CANDID. ORD.
PHILOS. VITEMB. ASSESSORIS,

DE

PORTICV SALOMONIS,

AD

IOAN. X, 23, ACT. III, 11, V, 12,

DISSERTATIO

HISTORICO-PHILOLOGICA.

ARGVMENTVM.

I. *Vox textus Graeci* Στοὰ *expenditur, & cum Lutheri ac Syriaca versione confertur.* II. *Nonnulla, ad Porticus naturam spectantia, afferuntur.* III. *De quinque* στοαῖς *piscinae Hierosolymitanae.* IV. *Porticum Salomonis in Templo II ab operis Salomonei vestigiis dici, ostenditur.* V. *Sententia haec confirmatur.* VI. *Structura Templi Hierosolymitani posterioris accuratior suppeditatur.* VII. *Exinde declaratur situs Porticus Salomoneae.* VIII. *Ubinam Porticus in Templo primo collocanda.* IX. *Porticum Salomonis locum fuisse tectum, ostenditur. Explicatur locus* Ioann. X, 23. X. *De firmitate Porticus huius.* XI. *De pulchritudine illius.* XII. *Confirmatur ea ex locis N. T.* XIII. *De amplitudine Porticus Salomonis ex eodem Ioannis loco, cum quo coniungitur alius* Lucae Act. V, 12. XIV. *De tabernis Seniorum, in Porticu illa conspicuis.* XV. *De negotiatione, ibidem instituta.* XVI. *Quaenam porta Porticui Salomonis assignanda sit, significatur, & Celeb. Alberti sententia quaedam uberius expenditur.*

Digitized by Google

ditur. XVII. *Prius disputata explicatione loci* Act. III, 1 seq. *corroborantur.*

I.

Obversatur oculis nostris pars quaedam Templi Hierosolymitani insignis, cuius mentionem faciunt, tribus in locis, Codicis N. T. Scriptores, quaeque, cum difficultatibus omnibus destituta non sit, digna videtur, in qua investiganda vires periclitemur. Vocant eam Viri sancti Στοὰν τοῦ Σολομῶντος. Quid sit Στοὰ, unde descendat, quomodo in veterum monumentis usurpetur, non operose inquiremus. Adeat, qui potest, & cui volupe est, quae annotant *Hesychius*, *Suidas*, Auctor *Etymologici Magni*, *Phavorinus*, *Pollux*, Glossae *Cyrilli*, *Philoxeni*, cum iisque contendat Lexicographos nostros, eorumque inprimis principem, *Henr. Stephanum.* Στοὰν a Scriptoribus Latii in *Porticum* recte transfundi, nemo fere eruditorum inficias ivit. Vident enim, insigniri eo nomine illustres veterum Porticus, magnamque nominis famam consecutas, quarum in numerum Στοὰν μακρὰν apud *Demosthenem*, Στοὰν τῶν Ερμῶν apud *Aeschinem*, Στοὰν βασιλικὴν Atheniensium, in dextra Ceramici parte, recte referunt. Conf. *Henr. Stephani Thes. Gr. L. T. V P. II pag. 63.* Ex his omnibus maxima celebritate floret Porticus illa insignis, in qua docuit *Zeno* Cittiensis, Philosophorum Stoicorum antesignanus, quaeque, in urbe Atheniensium exstructa, primum *Pisianactia* dicta est, postea tamen consuetiori

ſuetiori vocabulo Ποικίλη, ſeu *Varia*, a multis elegantibusque picturis, a *Polygnoto* pictore in ea affabre factis. De qua Porticu a *Diogene Laertio Lib. VII pag. 165*, *Pauſania Lib. I Cap. 3*, *Suida* ſub Voc. Στοὰ, inprimis tamen a *Meurſio Lib. I Athen. Attic. Cap. 5*, plura expoſita ſunt, cum quibus & eruditi *Laertii* explanatores, *Thomas Aldobrandinus* & *Aegidius Menagius*, conferri merentur. Exinde cum appareat, quæ vera τῆς Στοᾶς vis & ſignificatio ſit, laude digna videtur aurea *Lutheri* noſtri verſio, quæ Στοὰν conſtanter per vernaculum *Halle* transfert, quod tamen, cur, *ſe intactum relinquere nolle*, velut aliquid obelo notandum, *Io. Nicolai ad Cunæum de Republ. Hebr. pag. 288* ſcripſerit, & cur de hac voce ex linguis Occidentalibus, advocatis in ſubſidium *Reineſio*, *Rudbeckio*, *Scheffero*, diſputet, non capio. Cum enim *Lutherus* Græcorum Στοὰν, ideoque non *Atrium*, ſed *Porticum*, interpretetur, qua, cedo, ratione fungi melius potuiſſet Metaphraſtæ officio? Interpres N. T. *Syrus* dictione ܐܣܛܘܐ uſus eſt, quæ Græcæ apprime reſpondet, ab eaque originem trahit. Nam, cum ex *Iuſtini* & *Ioſephi* libris conſtet, Syros ab *Alexandro M.* bello fuiſſe devictos, ſub eiusque poteſtatem redactos, ut Regum originis Macedonicæ, qui *Seleucidæ* dicebantur, imperio parere cogerentur, factum inde eſt, ut non tantum ſuos ad victoris, *Alexandri*, mores, ſed & linguam ſuam ad Græcam, qua loquebatur *Alexander*, conformarent. Accede-

bat

bat præcipue, quod, sub illo Græcorum in Syria imperio, multæ ac palmariæ Syrorum civitates Græcorum coloniæ fierent, unde arctissima Syrorum cum Græcis coniunctio, horumque linguam adsciscendi occasio, est enata. Exinde Græcorum Reges nonnunquam confunduntur a scriptoribus Iudæorum cum Syris Regibus, ut recte l'*Empereur ad Cod. Middoth II, 3, T. V Mischn. Surenhus.* docuit. Ipsique nummi plerique, sub Regum Syrorum imperio cusi, Græcam inscriptionem præferunt, teste *Adr. Relando Dissert. I de Numis Samarit. pag. 28, 29.*

II. Quæ ad Porticum requirantur, & quot partibus ea constituatur, operose exponunt scriptores architectonici, quorum præcepta huc ut transscribamus, nulla necessitatis lege compellimur. Pauca attingimus duntaxat, cognoscendæ illius naturæ, nemini prorsus incognitæ, inservientia. Porticus esse loca, ad *deambulandum* accommodata, eamque ob causam spatia exhibere, tum amplissima, tum longissima, conficitur ex scriptoribus, qui porticus *longas*, *celsas*, *amplas*, *spatiosas*, producunt. Huc *Isidorus* respicit *Lib. XV cap. 7*, ubi Porticum *locum* dicit *apertum*, ad *transitum* potius factum, quam ad standum aptum, cuique vel *portæ* nomen, quæ viam transituris patefacit, conveniat. Porticum *columnis* fulciri atque exornari, pariter ex veterum monumentis discimus. Inde quasdam porticuum duplices, alias triplices, a duplici columnarum, vel triplici, ordine dictas accepimus.

Digitized by Google

Et Græcis *tetrastiche* notat Porticum quadruplici, *pentastiche* quintuplici, columnarum serie condecoratam. Inprimis vero transeundum non est, *tecta loca* Porticus esse, ac fornice clausa, usumque præcipuum in eo spectari, ut adversus tempestates omnis fere generis præsidium afferant, ac valetudinem tueantur. Recte ideo, ædibus sacris, illustrium virorum domibus, ædificiis publicis, additas eas, *Guil. Philander* ad *Vitruvium* docet, non solum ornamenti animique, sed & *necessitatis*, causa, ad vitandas repentinas pluvias, umbrasque captandas. Constat hoc ex *Plinio*, qui, ubi villam Laurentinam, delicias suas, *Lib. II Epist. 17* describit, de porticibus loquitur rotundis, *in literæ O similitudinem circumactis*, easque *egregium adversus tempestates propugnaculum* dicit. Interdum etiam orbibus vitreis munitas, eodem auctore legimus, qui primum *imminentium tectorum*, postea & *specularium*, in porticuum illarum descriptione meminit. Et *Vitruvius Pollio*, ubi *de Porticibus post scenam* Capite integro disputat, confectas eas dicit, ut se recipiat populus eo ex theatro, *cum imbres repente ludos interpellaverint*. Latissime igitur patet hic campus, quem tamen ingredi propositi ratio vetat. Quæ vera sit veterum Porticuum natura, cognosci pluribus poterit, si celeberrimæ illæ Porticus Græcorum, de quibus pauca diximus, præterea & Romanorum, quales Apollinis Palatini, Augusti, Iovis Ultoris, Panthei, Antonini Pii, Balbi, Capitolii, Lucii & Caii, Liviæ & Octaviæ, Porticus

Digitized by Google

cus sunt, fide monumentorum antiquorum excutiantur. Ex Architectis veteribus ceteris omnibus anteferendus *Vitruvius Pollio* in libro *de Architectura*, qui *Lib. V Cap. 9* fuse non minus, quam accurate, de iis disserit, cum eoque coniungendus explanator eius perpetuus, *Guil. Philander*. Hæc enim, quæ copiosius diludicari potuissent, si ad normam architecturæ *Vitruvianæ* componenda in negotio nostro omnia forent, ratione compendiaria præmittere voluimus, ut plus spatii Porticui *Salomonis* accurate investigandæ relinqui possit.

III. Unum est, quod prætereundum non ducimus, antequam ad rem accedamus, propterea, quod ad significationem vocabuli Στοὰ investigandam aliquid conferat. Hoc enim cum, exceptis tribus de Porticu *Solomonea* oraculis, non occurrat, nisi de *piscina* Hierosolymitanorum *pecuaria*, quid sibi velit illud, recte quæritur. Locus est apud *Ioannem V*, 2, ubi *piscina Bethesda* dicitur πέντε Στοὰς ἔχουσα. Constat, esse, qui has Porticus non velint dictas de piscina, sed de domo potius quadam, piscinæ proxima. Est enim ea piscina ἐπὶ τῇ προβατικῇ, ubi supplent nonnulli οἰκίᾳ, domum existimantes intelligi pecuariam, oves, sacrificiis destinatas, comprehendentem, eamque ellipsin ex adiectis domui illi Porticibus tueri annituntur. Verum adversatur contextus loci. Adiacet piscina ἐπὶ τῇ προβατικῇ, sub qua voce nihil aptius subaudiri potest, quam πύλῃ, ideo

inprimis, quod שער הצאן *porta ovium* Hierosolymitanæ mentio fit *Nehem. III, 1*, ubi LXX Senes per *πύλην προβατικὴν* Hebraea transferunt. *Στοὰς* autem illas in textu ſacro non ad vocem *προβατικῇ*, ſed potius ad *κολυμβήθραν*, reſpicere, clariſſimum eſt. Quid igitur erunt illæ Porticus? Non perſequemur ea, quæ, magna opinionum varietate, ab eruditis diſputari ad hunc locum ſolent. Putamus tamen, intelligenda eſſe loca quædam, piſcinæ proxima, numero quinque, quæ formam habuerint porticuum, quæque fornicibus fuerint, ſive arcubus, tecta, ut infirmi illi & languidi, ſedentes & exſpectantes piſcinæ commotionem, ab omni tempeſtatis aeriſque iniuria defenderentur. Ita enim, ſimul ac fieret divina aquæ commotio, ſubſilire poterant ex iis porticibus in piſcinam. Qua in explicatione, non videmus, quid incommodi inſit. Et lætati ſumus, cum, eam in ſententiam ingreſſum eſſe, intelligeremus, eruditiſſimum *Trillerum*, Virum, rei medicæ non minus, quam Philologiæ, apprime gnarum, cui non diſplicent, qui de piſcina hac, veluti de domo, porticibus munita, ſentiunt. Videt enim, iam in balneis Romanorum tres cellulas, frigidariam, tepidariam, caldariam, occurrere, in quas aquæ ex lavacro, ſive ex maiori, ut dicebatur, *κολυμβήθρᾳ*, defluxerint, per canales deductæ, quas cellas *οἴκους*, *ædiculas*, dictas, ex *Galeno* & *Luciano* probat. Ait igitur, quinque *ςοὰς* conſiderari poſſe velut *οἴκους*, ſive Porticus, ægros recipientes.

Digitized by Google

cipientes. Quam etiam *Trilleri* interpretationem, e notis MStis excerptam, producit non solum, sed etiam approbat, *Io. Christ. Wolfius* in *Cur. Phil. ad h. l. pag.* 834, 835, adiecta ἐπικρίσει: *Erudite & sapienter hac ita dici, arbitror.*

IV. His præmissis, aditus patefactus est ad ipsam Στοὰν τῦ Σολομῶντος. Quæ iam ordine consideranda. Ordiamur a nomine. Namque a *Salomone* Rege Porticum illam compellant ipsi viri sacri, ubi illius meminerunt. Duobus in locis Στοὰν τῦ Σολομῶντος dicunt, in tertio Στοὰν καλυμένην Σολομῶντος. Evolvantur etiam *Nonnus*, antiquus Evangelii *Ioannei* Paraphrasta, multaque laude dignus, qui, circumscribens verba *Ioannis*, Porticum hanc ἀρχεγόνυ Σολομῶντος ἐπώνυμον, *locum antiqui Salomonis nomine dictum*, vocat. Ac *Iosephus*, cuius locum insignem postea accurate, sed per partes, persequemur, in ea describenda Porticu Σολομῶντος, τῦ βασιλέως, verbis clarissimis meminit. Quænam igitur erit ratio, ob quam *Salomonis* nomen illustre Porticus illa præferat? Hanc non sine aliqua difficultate indagari, verissimum est. Videtur enim ad *Salomonem* non tantum in hac Porticu, sed & in universa illius Templi compage, nihil plane referendum esse, propterea, quod obstet ratio temporis, quo Christus atque Apostoli ea in Porticu commorati dicuntur, quodque ab ævo *Salomonis* longissime est remotum. Eo enim tempore non supererat prius illud *Salomonis* templum, lon-

Digitized by Google

ge splendididissimum, sed posterius, a *Serubabele* exstructum, atque ante Christi tempora ab *Herode* refectum, quod *Salomo* non vidit, non exstruxit, non frequentavit. Facili quidem negotio res expediri omnis posset, si aliorum statim assentiri vellemus placitis, neque ea curare, quæ iis, vel leviter examinatis, obstant. Sic enim pluribus, intelligimus, porticum hanc vocari *Salomonis*, eam ob causam, quod *ad modum, formam, structuram*, Porticus *Salomonea* fuerit confecta, aliis, quod in templi *Salomonis vera sede* ac *vestigiis* exstructa, aliis, quod illius *in memoriam* ædificata. Verum, in his acquiescere nos haudquaquam posse, facile perspicitur. Nam, cum partes etiam aliæ, Altare puta, Sanctum, Adytum, Atria, atque universum Templum, non solum *ad modum* prioris, verum etiam *eodem in loco*, eodemque in monte, fuerit exstructum, cum præterea Templum posterius prius illud *Salomonis* opus *in memoriam* revocaverit, quæ ratio nos movet, ut universum Templum, non prius, sed posterius, non *Salomoneum*, sed *Serubabelicum*, nuncupemus, & quæ causa est, cur in sacris ἱερὸν Σολομῶντος, θυσιαστήριον Σολομῶντος, nunquam producatur? Nam eadem erit ratio ceterarum Templi partium, quæ huius porticus. Et, quare *Salomonis* memoria in hac duntaxat Porticu, non in aliis Templi, iisque insignioribus, partibus, ac sanctioribus, conservari debuerit, causam ignoramus. Ratio igitur longe alia subest. Nam, si vel universum illud Templum, in cuius Porticu Christus

ftus atque Apostoli versantur, fuisset prius illud *Salomonis*, causa non foret, cur pars duntaxat quædam, videlicet Porticus illa, nec partes reliquæ, a conditore *Salomone* compellentur, quanto magis, cum hoc fuerit *Serubabelicum*, & ab eo ædificatum, existimandum erit, non tantum omne Templum, sed singulas etiam Templi partes, nemini nisi huic adscribendas esse. Cum igitur in structura Templi *Serubabelici* videamus aliquid, quod non Templi posterioris totius auctori, sed alii, hoc est, *Salomoni*, vindicetur; relinquitur, ut dicamus, cum reliquis Templi partibus hanc non fuisse a *Serubabele* ædificatam, sed superstitem mansisse ex deflagratione Templi primi, ideoque ipsi *Salomoni*, tanquam auctori & conditori, esse vindicandam. Neque vero mirum dictu videri debet, ætate Templi secundi ex deflagratione prioris aliquid adhuc fuisse relictum. Ut enim, urbis Hierosolymæ, a *Vespasiano* ac *Tito* dirutæ, excisæ, rudera nonnulla ac vestigia ab *Hadriano* fuisse inventa, ex *Syncello*, *Chronico Alexandrino*, *Abulpharagio*, *Cedreno*, *Nicephoro*, & aliis, apparet; sic facili negotio assequimur, nil incongrui admitti, si, Porticus prioris vestigia superesse in Templo secundo, liberius paulo dictum iam a nobis fuerit.

V. Verum, ut pateat, non nostro forsitan ingenio nimium nos fidere, non solum viri docti, qui idem sentiunt, producendi sunt, sed & ex loco inprimis *Iosephi*, cui innitimur, disputandum. Quod de superstite, ætate Templi se-

Digitized by Google

cundi, *Salomonis* Porticu diximus, hoc iam assecutus est *Lundius*, vir in quibusdam quidem, præsertim ubi Rabbinorum opus erat examine, lapsus, in plerisque tamen laude sua haud defraudandus. Illi enim dici videtur porticus a *Salomone*, propterea, quod fuerit ex omnibus illius operibus post devastationem Babylonicam in ipso Templo secundo superstes, *Iüd. Heiligth. pag. 367.* Et doctissimus, atque antiquitatum Hebraicarum valde sciens, *Constantinus l' Empereur*, in *Middoth pag. 338,* ubi videt, nihil causæ subesse, ob quam una duntaxat præ reliquis Porticibus omnibus *Salomonis* insigniatur nomine, *Iosephum* sequitur, cuius locum producam, indeque doceri, perspicit, *Salomonis* dici hanc Porticum, *quod, reliquis porticibus eversis, hac sola ex illius operibus, ideoque & Porticibus,* supple, superstes fuerit. Etiam *Frid. Adolph. Lampius*, quem supra nominavimus, ubi, ea de re a *Pineda*, animadvertit, sententiam haud constantem proferri, *illud maxime* putat *verisimile*, *quod Porticus illa, aut saltem magna eius pars, forte non penitus a Chaldæis fuerit destructa,* Comm. in Ioh. *Tom. II pag. 658. Solam* illam *Porticum ex omnibus ædificiis Templi, a Salomone constructi, mansisse captivitatem Babylonicam,* annotat etiam *Medus* in *Fragmentis sacris*, atque, ut non obscure intelligi potest, ipse, qui ad illum provocat, *Wolfius* in *Cur. Phil. in Marcum pag. 514 seq.* Sic nostra ætate *Conr. Ikenius* scribit: *Quarum* (Porticuum) *quæ ad orientem a Salomone iam structa, eius nomen servavit,* Antiq. Ebr.

Digitized by Google

Ebr. *pag.* 70, 71. Transeundum ad alios, & huc præcipue locus ex *Theophylacto* referendus; quem excerpit *Erasm. Schmidius* in *Annot. in N. T. pag.* 793: Αὐτὴ μόνη σοὰ ἵςατο ἀπὸ τῆς κατασκευῆς τῦ Σολομῶντος. ἐνέπρισε γὰρ τὸ ἱερὸν Ναβυχδονόσορ καὶ ᾠκοδόμησε Κῦρος ὁ Πέρσης. *Illa sola Porticus stabat adhuc de fabrica Salomonis. Incendit enim Templum Nebucadnezar, & ædificavit illud Cyrus Persa.* Atque huius loci auctori totus accedit ipse *Schmidius*, Vir longe eruditissimus, magnæque sagacitatis interpres, qui, ubi videt, *Camerarium* a Porticus huius situ nominis *Salomonis* rationem repetere, non solum, *lubricum* illud *videri*, pronuntiat, sed addit etiam: *Retinuit ergo illa Porticus, quæ superstes mansit, nomen a conditore ad differentiam ceterarum Porticus partium, quas Cyrus reparavit.* Observat idem de infirmitate asserti *Camerarii*, quod argumentari exinde quis possit ad totum Templum, *Salomonis* nomine cohonestandum. *Existimo enim*, inquit, *totum Templum, non tantum partem banc, in locum pristinum repositum fuisse.* Sed conferatur præcipue locus *Flavii*, cuius ut auctori non fides, ita nec verbis claritas, deest. Hic, ubi paucis, sed eleganter, illam descripserat Porticum, quam descriptionem persequemur postea, prægnanter loqui ita pergit: ἔργον Σολομῶνος τῦ βασιλέως, πρώτυ δειμαμένυ τὸ σύμπαν ἱερόν. *Opus Salomonis Regis, qui primus integrum Templum exstruxit.* Quid hoc

testimonio insignius esse possit, haud assequor. Vocat *Salomonis* Regis ἔργον, ea ratione, qua ipse *Salomo* domos suas, vineas, hortos, paradisos, piscinas, nemora, præmissis verbis, הגדלתי מעשי, *opera sua*, vocat, quæ *amplificaverit*, *Cohel. II*, 4, 5, 6, ἔργον, inquam, quod Rex, quanta sapientia & prudentia, tanto labore ac sumtu, non suis quidem manibus, sua tamen auctoritate, consilio, cura, perfecit, eaque re commendat *Flavius* tam soliditatem, artificium, ac pretium, Porticus, quam antiquitatem, atque adversus varias temporum iniurias, cladem etiam Chaldæorum, constantem durationem. Eam ob caussam *Nonnus* supra *antiqui Regis* meminerat; nam multa temporum spatia inter *Salomonis* & Christi ætatem interiecta sunt. Sed, quale, cedo, foret *Salomonis* opus, si cum reliqua Templi posterioris compage *Serubabelem* auctorem suum & conditorem agnosceret? Ait ergo *Flavius*, esse hanc Porticum illius opus, qui πρῶτος Templum struxerit, quæ gloria Regi *Salomoni* propria est, & neque *Davidi*, ante eum, neque *Serubabeli*, post eum, vindicanda. Sic Vates divini בית הראשון & האחרון ita distinguunt, ut illa *Salomoneum* Templum, hac *Serubabelicum*, indicent, *Hagg. II*, 9. Ideoque sententiæ *Flaviana* nervus erit, in conditoris posterioris opere aliquod prioris vestigium fuisse relictum. Denique & hæc Porticus a *Salomone cum toto Templo* confecta dicitur, quod non intelligendum de Templo præsente, nec *Salomonis* ætate, nec iussu illius & cura, confecto, sed de priori illo,

Digitized by Google

illo, eiusque insigniori quadam & nobiliori parte, in posteriori Templo relicta.

VI. Quando iam de *Situ*, qui in Templo secundo huic *Salomonis* Porticui assignari debeat, exoritur quæstio, ratio habenda est structuræ totius Templi Hierosolymitani. Hoc enim cum plures una partes ambitu suo comprehenderit, qua tandem in parte Porticus illa fuerit collocanda, definiendum est. De duabus quidem præcipuis atque intimis Templi partibus nemo movet controversiam. Earum enim sanctissima, quæ *Adytum* & *Sanctum Sanctorum* dictitatur, solum Pontificem Maximum, solo per universum annum expiationis die, admittit. Huic proxima est altera, *Sanctum* dicta & presse *ναὸς*, quam soli ingrediuntur sacerdotes, quotidiano ministerio fungentes. Verum de partibus reliquis, præter *Adytum* & *Sanctum* ad Templum pertinentibus, quæstio est, iamiam expedienda. Itaque, si sequamur *Iudæos*, quibus hic fidere viri doctissimi non dubitant, tertia Templi pars, vel quicquid, præter *Adytum* & *Sanctum*, ad Templum refertur, tria complectitur. Sancto enim, mediæ Templi parti, adiacent *Atria*. Quorum quanquam vulgo quatuor constituuntur, Sacerdotum, Israelitarum, Mulierum, Gentium, commode tamen in duo contrahuntur, *Atrium* enim *Gentium* omnem ignorare antiquitatem Iudaicam, verissimum est. Supersunt tria, quæ sub duobus comprehenduntur. Unum est interius, illudque *Sacerdotum*, quod præter eos nemini

nemini licet ingredi, rarius tamen Israelitis, sicubi impositione manuum, mactatione, atque agitatione, opus esset. Alterum exterius, illudque bipartitum, ut viri a mulieribus segregentur, duo in spatia distinctum, quorum alterum *Virorum*, seu *Israelitarum*, alterum *Mulierum*, *Atrium* nuncupatur. Hunc atriorum complexum attingit proxime spatium illud, quod חיל, sive *Antemurale*, vocant Hebræi, quodque sanctitate quadam omnino gaudet, dum in illud neque gentes, neque Iudæi, tactu cadaveris mortui immundi, intromittuntur. Hoc antemurale cingit *septum* quoddam *cancellatum*, סורג Iudæis dictum. Denique consideranda est pars Templi omnium extrema, quam dicunt הבית הר, *Montem Templi*, quæque cingit Antemurale, & locus est; reliquis quidem Templi partibus sanctitate inferior, urbe tamen sancta sanctior, cum ab hoc excludatur omnis, baculo & marsupio instructus, pedibus pulverulentis sordidus, aut, qui viæ compendium, exeundo per portam Montis aliam, facere voluerit. Ex Iudæis etiam arcentur, præter seminis fluxu pollutos, puerperæ, & fœminæ, languore laborantes. Sanctitas horum locorum gradu differebat, ita, ut, quemadmodum interiori atrio exteriora, atque inter hæc Atrium Mulierum Atrio Israelitarum, sic Antemurale Atriis omnibus, ac Mons Templi denique Antemurali, sanctitate cederet. Qua de re legantur Codices *Keritbuth* & *Sebachim*, quorum meminit *Relandus* in *Ant. Sacr. Hebr. pag.* 16. Integram etiam hanc Templi posterioris structuram

Digitized by Google

ſturam debemus iis, quæ tradunt Iudæi Cod. *Kelim Cap. I* §. *8*, & Cod. *Middoth*, in locis variis, quorum veſtigiis inſiſtere *Relandus*, *Ikenius*, alii, non dubitant. Iuvat nihilo minus eam quoque, qua templum deſcripſit *Fl. Ioſephus*, rationem cognoſcere. Huic enim magnam deberi laudem in antiquitatibus Hebræorum inveſtigandis, nec fidem negandam ubique, copioſe ab eruditis demonſtratum eſt. Hic igitur *Flavius* in Adyto & Sancto cum Hebræis conſentit. Sed in exterioribus Templi partibus videtur diſſentire. Ibi enim *duplex* circa Templum *Septum* ponit, utrumque quadratum, alterum maius & exterius, minus alterum & interius, quorum poſterius ambitu prioris contineatur. His ſeptis quadratis quædam interſerit. Sancto enim, parti Templi mediæ, adiacent *Atria*. Hæc Atria cingit *ſeptum*, *interius* illud. Ante ſeptum Templum ambiunt a quatuor lateribus quatuor *hypæthra*, ſpatia ſub æthere libero, ſubdialia, nullo fornice tecta. Ante hæc hypæthra & circa ea viſuntur *quatuor Porticus* longiſſimæ, itidem ad quatuor mundi partes, ſeu latera Templi. Denique *ſeptum exterius* circumit omnem Templi ambitum, in quo omnia, quæ ad illud referri ſolent, comprehenduntur. Quo maior igitur *Flavii* eſt auctoritas in enarratione hiſtoriæ patriæ, hoc minus Templi hæc deſcriptio videtur aſpernanda, ſed concilianda potius cum priori, ex mente Hebræorum concinnata. *Atria* utrobique conveniunt. Sed, quod ante Atria collocant Hebræi חיל, vel *Antemurale*, *Ioſepho* ſunt

ſunt quatuor *hypaethra*. Antemurale tangit Hebræorum *Mons Templi*. Habes hoc in loco *Ioſephi Porticus*. *Murus* Montem Templi ſecundum Hebræos cingit. Habes *Septum Ioſephi exterius*. Quid ergo deſiderandum putes ex deſcriptione Hebræorum, quod non a *Flavio*, aliis duntaxat nominibus, fuerit expreſſum?

VII. Verus igitur *Situs* Porticus *Salomoneæ* ut ex hactenus dictis rectius indagetur, hæc primum de *Porticibus* generatim accipe. Videlicet collocantur illæ Porticus in extremo loco ambitus illius, qui Templum comprehendit, & *Mons Domus*, vel *Templi*, Hebræis nuncupatur, a *Flavio* vero diſertis verbis *Porticuum* nomine inſignitur. Hæ igitur Porticus Templum ab omnibus lateribus cingunt, &, quia quadratis includuntur ſeptis, quatuor numerantur, quarum ſingulæ ſingulas mundi plagas adverſas habent. Ambiuntur igitur Porticus illæ omnes muro extremo, ſive ſepto *Ioſephi* exteriore; adiacent autem proxime ſpatio antemurali, ſeu quatuor *Ioſephi* hypæthris, ab iiſque tantum per ſeptum clathratum diſcernuntur. Ex quo ſitu cognoſcitur, non poſſe Porticus accenſeri Atriis, a quibus, toto interiecto ſpatio antemurali, ſeparantur, neque eſſe eiusdem cum iis ſanctitatis, cum interiacens antemurale Porticus ſanctitate ſuperet, ſed Atriis ea cedat; neque etiam Porticus arcere eos, qui excluduntur ab Atriis, ſed eſſe *ſpatium* Templi *extremum*, quod quis occupet, ſimul ac conſcenderit Montem, murumque Templi

Digitized by Google

Templi fuerit ingressus. Iam intelligimus, quomodo Porticus distent a reliquis Templi partibus. Sed videamus etiam, quomodo Porticus *Salomonis* a ceteris differat. Hic igitur laterum habenda ratio erit. Namque, cum cuilibet Templi lateri adiuncta sit in Monte Templi Porticus quædam, hæc, quam *Salomonis* dicimus, ceteris eo præstantior est, quod claudit *latus* Templi *præcipuum*, quo aditus ad Templum aperitur, videlicet *Orientale*. E regione huius Porticus constitutum summum sacerdotem, in comburenda vitula in Monte olivifero occupatum, accepimus. Montem illum *solem orientem* spectare, nemo est, qui dubitet. Sacerdos igitur, cum ante combustionem sanguis vitulæ spargendus esset, non solum facies suas convertebat ipse versus Templum, illiusque latus *orientale*, quod ipsi, in monte constituto, adversum erat, una cum ceteris suis partibus, Atriis, *Orientem* versus exstructis, hypæthro *orientali*, ipsaque *Salomonis* Porticu, parte etiam muri *orientali*, cum Porta *Orientis*. Hæc spectabat ille in monte. Sed præterea oculos tollebat supra hanc porticum, cum Templum pedetentim assurgeret, in partes interiores ac celsiores, eoque sanctius suo fungebatur ministerio, quo illustrior erat locus, stanti in Olivifero obiectus. Eodem in monte constitutus & prostratus, Servator, sanguineum effundit sudorem, & oculos coniicit in Templum, nocturna Lychnuchi sacri luce collustratum, eumque in locum, in quo ipsius sanguis in tot hostiis effusus, indeque per canales

Digitized by Google

les in vicinas montis huius partes derivatus fuit, in quo etiam ipsius nomine a Pontifice M. deprecatore sacro piaculari, tot preces fusæ. Sed sunt alia, quæ eundem *orientalem* Porticus nostræ *situm* confirmant. Quo refero id, quod de Porticu *orientali*, in primo Templo a *Salomone* structa, mox dicitur. Portam etiam *ὡραίαν Orientem* versus sitam esse, infra declarandum erit. Denique & locus *Iosephi* evidentissimus est, quo στοὰν ἀνατολικὴν, situs ratione habita, eandem Porticum vocat, quam ob antiquitatem & præstantiam dicit ἔργον Σολομῶντος. Quem locum tanti facit *Lud. de Dieu*, ut in *Annot. ad N. T. pag. 39* scripserit, *Porticum Salomonis nescire nos*, nisi docuisset *Iosephus*. Neque hæc lacessere potest id, quod *Iosephus de B. I. Lib. VI Cap. 8* de quadam στοᾶ βασιλικῆ commemorat, in latere *australi* sita. Ibi enim de Porticu quidem regia loquitur *Flavius*, non vero de nostra *Salomonea*, sed de alia, quæ ab *Herode*, regia dignitate fulgente, ad Austrum facta est, multoque splendidius exornata. Hæc de *Situ* Porticus nostræ *orientali*.

VIII. In *primo* autem *Templo*, a *Salomone* structo, Porticum illam, quæ nostræ respondeat, investigemus, necesse est. Eam enim vel ideo non abfuisse ibidem, existimandum est, quod, hac negata, ne umbra quidem rationis adest, ob quam Porticus hæc Templi secundi dicta fuerit *Salomonea*. Non videmus, quid obstet, quo minus Porticum illam *1 Reg. VI, 3*, quæramus. In

Capite

Capite enim integro, quod cum *2 Chron. III* & *IV* comparandum eſt, deſcribitur univerſum Templi primi ædificium, a *Salomone*, ad præſcriptum divinum & ordinationem partium ſingularum, confectum. In commate adducto mentio fit ſtructuræ cuiusdam, præter Adytum & Sanctum, & quidem *à facie domus*, vel parte eius anteriori, ſpectandæ. Dicitur אולם, quod commodiſſime redditur per *Porticum*. Huic interpretationi favent vocis in linguis aliis veſtigia, præterea & oracula alia de Porticibus, hac dictione ſignificatis, denique & Verſiones. LXX Senes eam varie transferunt, atque in loco præſenti plane prætereunt, quaſi neſcirent, quid ea ſibi velit, quam alibi tamen interpretati ſunt. Clarius Verſiones aliæ loquuntur, ipſa etiam *Lutheri, die Halle.* Conveniunt interpretes, atque ii, qui de Templo *Salomonis* expoſuerunt, *Io. de Pineda* in *Commentariis de Rebus Salomonis*, plures. Hæc *Porticus* dicitur exſtructa *in facie Templi*, hoc eſt, in parte eius prima ac nobiliſſima, in aditu Templi, paucis in plaga *Orientali*. Non enim in primo Templo plures exſtiterunt *Porticus*, ſed, ut iam a *Lundio* in *Iüd. Heiligth. pag. 365* obſervatum, una duntaxat, ad latus hoc *Orientis*, quod optime convenit cum veſtigiis huius, in *Orientali Templi* latere adhuc relictis. Dixeris quidem, ad *Atrium* quoddam referendum eſſe, quicquid hic ſub אולם comprehendi putamus, ideoque a reliquis duabus Templi partibus diſtingui. Verum hic reſpondendum eſt ex *Paralipomenis*, horumque duobus

Digitized by Google

Capitibus allegatis, ubi eadem Templi structura describitur. In *Capite III* fit mentio אולם, quod *Porticum* vertimus; respondet enim loco, e Regum libris producto. Sed *Capite IV* dicitur de Atriis, iisque duobus. Si igitur אולם, ut credi posset, esset *Atrium*, causa non foret, cur *Capite* sequenti fuerit repetitum. Ergo אולם nobis est *Porticus*, a qua *Atria* verissime distant. Suadent etiam rationes, ut distincte hac de re sentiatur. Porticus enim *Cap. III* voce אולם comprehenditur, sed Atria per vocabula חצר & עזרה indicantur, quibus vera *Atrii* notio competit. Diversitas etiam adest, ut cum Grammaticis loquamur, *numerus*, dum *Cap. III* de *uno* tantum loco dicitur, sequenti vero *Capite* de *duobus*. Ubi prior *Porticum* notat, posterior *Atria*. Denique, diversa repræsentari loca, & ex *repetitione* cognoscitur, & ex adiectis פני יהוה, ex ipso etiam *sacerdotum* nomine ac *populi*. Ergo אולם verissime habetur pro illa *Porticu*, quam *Salomo* in latere *Orientali* struxit, quæque ab Atriis, non, ut in Templo secundo, per antemurale spatium distincta fuit, sed potius ad Atria usque pertigit. Hanc *Salomonis* Porticum eo in loco non inani opera quærunt, qui de columnis illis æneis, *Iachin* & *Boas*, explanatius disserunt. Hæ enim cum *1 Reg. VII, 15 seq. 41 seq. 2 Paral. III, 17,* & לאולם ההיכל & על פני ההיכל positæ dicantur; haud quidem falli te putaveris, si illa verba de ipsa *Salomonis* Porticu, hæc de plaga *Orientali*, *facies Iehovæ* dicta, & porticui illi a nobis recte assignata,

gnata,

Digitized by Google

gnata, intelligenda ducas. Ipse enim *Syrus* *1 Reg. VII, 19, 21,* אולם per ܐܣܛܘܢ interpretatus est, eadem voce usus, quam ex Græca *στοὰ* factam, & Porticum notare, supra ostensum est. Eo etiam redeunt, quæ a *Leighio, Coccejo, Gussetio*, aliis, disseruntur de vocabulo אולם, quorum auctoritate, ad quam rationes accedunt, permotus, situm harum Columnarum in ipsa Porticu *Salomonea* pluribus ostendit Summe Rev. *Meinh. Plesken* in Diss. Præside *B. Wichmannshausenio* olim habita, *de Columnis aeneis, in Porticu Templi a Salomone positis, pag. 179 seq.* Dirutam eam fuisse Porticum per *Nebusar Adanem*, Satellitum *Nebucadnezaris*, Regis Babyloniorum, præfectum, nemo dubitaverit, qui ruinam Templi totius *Salomonei* ex *2 Reg. XXV*, & *Ierem. LII*, intellexerit, ipsasque Columnas illas æneas confractas fuisse a *Chaldaeis*, ære earum in Babyloniam deportato, ex loci prioris *v. 13*, posterioris *v. 17*, acceperit. Nihilo minus persistimus in iis, quæ antea de vestigiis *Salomonea* Porticus, in Templo secundo spectandis, diximus. Insignem omnino Porticus huius particulam superfuisse in Templo secundo, existimandum tum foret, si, quæ de *Columnis* illis *aeneis*, post destructionem Templi *Salomonis*, redintegrato Templo, e Babylonia in Iudæam asportatis, &, hoc deflagrante, Romam translatis, dicuntur a nonnullis, fide dignis monumentis confirmarentur. Ita enim, præter *Goereum* & *Goldmannum*, vel ipse *Adr. Relandus*

Qq 2 cum

Digitized by Google

cum *Villalpando* existimare non dubitavit. Provocatur ad locum *Esrae VIII, 27*, ubi vasa aenea, fulgentia, desiderabilia, de columnis illis accipiuntur. Recipiunt se propugnatores illius sententiae etiam ad locum quendam *Iosephi*, de Columnis illis asportatis testimonium perhibentis. Addunt fidem *Beniaminis, Tudelensis*. Verum nondum inter se iidem illi viri conveniunt, utrum illae columnae in Templo secundo fuerint opus *Salomonis*, atque e Babyloniae asportatae, an novae, ad priorum formam confectae, utrum etiam illae, deflagrante Templo, Romam, an, quod a quibusdam traditur, ab urbis Pisae incolis in provinciam Pisanam, fuerint translatae. Altum etiam de his columnis Templi secundi apud Iudaeorum scriptores silentium est. Locus *Esrae* tanta claritate non fulget, quanta hic requiritur. Idem de loco *Iosephi* dicendum est. Denique *Abarbanel*, unus ex doctioribus Iudaeis, clarissime negat, columnas in Templo secundo unquam fuisse conspectas. His rationibus omnibus columnarum *Salomonearum* confractio, a *Babyloniis* facta, multum ponderis addit. Ex quo non miramur, hoc cum aliis prorsus negare Celeb. *Pleskenium l. c. pag. 211 seq.* Interea, quanquam definiri nequit, quid ex *Salomonis* Porticu aetatem Templi secundi adhuc viderit, hanc tamen Porticum post deflagrationem aliqua ex parte relictam fuisse, velut tabulam, e naufragio superstitem, verissimum est, quo fit, ut in eodem Templi latere *Orientali*, velut operis *Salomonei* vestigium, aetate Christi adhuc cernatur.

IX.

Digitized by Google

IX. Iam ea attingenda sunt, quæ ad *naturam* Porticus huius pertinere videntur. Ac principio quidem, *tectam* fuisse *Salomonis* Porticum, ut credamus, tum ipsa illius figura, & cum ceteris Templi Porticibus conformitas, suadet, tum viri eruditi suffragiis suis clarissime confirmant. Ex his solus excitetur *Fr. Adolph. Lampius T. II Comm. in Ioann. pag. 688*: *Talibus structuris Templum Hierosolymitanum undiquaque superbe exornatum fuit, ut, cum sub dio sacrificia aliaque partes cultus publici Levitarum perficerentur, Israelitas interea, si coelum aut æstu, aut frigore, aut pluvia ventoque, esset incommodum, ita superne tecti essent, ut simul ea, quæ in atriis gerebantur, observare, ac pro re nata precibus aliisque sacris meditationibus vacare, possent.* Idem illud evincit locus de Christo, in *Salomonis* Porticu ambulante: Καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ, ἐν τῇ Στοᾷ τοῦ Σολομῶντος, *Ioann. X, 23.* Cum hoc recte conferuntur verba præcedentia *v. 22*: Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, καὶ χειμὼν ἦν. Vocabulum χειμὼν hic non tam per *hiemem* transfertur, quam potius per *tempestatem* omnis generis, sive ea a cœlo pluvio, sive a vento, sive ab aliis causis, oriatur. Non tam *tempus anni* hic indicari, quam *qualitatem temporis*, quam explicat per tempestatem pluviosam, magnus annotat *Erasm. Schmidius* ad *N. T. pag. 705.* Eum in usum simul *Salomonis* Porticum exstructam, observat idem, eamque vocis χειμὼν

Digitized by Google

significationem tum loco quodam *Pindari*, tum duplici Scripturæ, *Matth. XVI, 3, Act. XXVII, 27,* munit. Agunt *Iudæi* eo tempore sacrum illud solenne, quod ipsi vocant חנוכה, quasi dicas ἐγκαινισμὸν, quia celebratur in memoriam Templi Hierosolymitani, ab Idolomania *Antiochi*, aliorumque, per *Iudam Maccabæum* purgati, ac refecti, *1 Macc. IV, 52-59.* Sed alio etiam nomine, a luminibus magna copia accensis, הדלקת הנרות, λυχνοκαΐαν, dicunt, quo sensu apud *Iosephum* nomine Φῶτα legitur, ut annotat *Scaliger de Emend. temp. pag. 435.* Incidere autem illud partim in Novembrem, partim in Decembrem, exinde patet, quod feriantur illud *Iudæi* in Mense Casleu, qui duplicis prioris parti cuidam respondet. Porticus igitur cum sint loca, quæ contra tempestatis iniurias defendunt, & a cœlo pluvio, vel niveo, per tecta & fornices impositos præsidium afferunt; ideo Christus, qui eo tempore festivali ingredi potuisset Israelitarum Atrium, non commoratur in eiusmodi locis liberis & subdialibus, qualia fuerunt Atria, sed recipit se sub umbram Porticus *Salomonis.* Quodsi tamen *hiemis*, non tempestatis, significatui quid inhærendum ducat, largiemur hoc, si ad cœlum niveum, velut tempestatis adversæ speciem, respiciatur.

X. De *firmitate* harum Templi Porticuum, cum iisque ipsius *Salomonea*, quam & ipsæ habebant, & præterea Templo afferebant, non dubitaverit quisquam, qui revocaverit ad animum, quanto

quanto labore, in substructionum molibus conspicuo, fuerint confectæ. Non enim tantum ipsi fornices ex lapidibus prægrandis molis opere solido ac laborioso erant compositi, sed innitebantur etiam columnis, eadem operis soliditate exornatis. Ipsæ autem Porticus, cum omnibus partibus suis, insidebant muris altissimis, atque illi Templi parti, quam *Salomo*, ut montem Templi ædificio aptaret, e valle profunda evexit. Sic recte *Iosepho Salomonis* Porticus dicitur *κειμένη ἐν φάραγγι βαθείᾳ, profunda imminens valli*, & quidem *τετρακοσίων πηχῶν τῆς τοίχους ἔχουσα, muris quadringentorum cubitorum subnixa.* Ex Monte enim Templi, *Orientem* versus, spectabatur in vallem immanis profunditatis, ex qua agger erat aggestus, cui, cum reliquis Templi Porticibus, & hæc *Salomonis*, ipsaque Templi moles, insidebat. Splendidissimum Dianæ Ephesiæ Templum a *Chersiphrone* architecto cœptum, quia in palustri solo, ne qua terræ commotione e suis evelleretur sedibus, ædificatum fuit; 220 annos totiusque Asiæ auxilium expetiit. Vid. *Cunæus de Republ. Hebr. II, 12, pag. 280*, ed. *Nicolai*. Alia Templi Hierosolymitani ratio est, quod tribus insidet montibus, ex his maxime Moriæ, qui a Monte Sion per vallem Tyropæorum distinguitur, a Monte Acra per vallem Kedron. Verum, præter *Iosephum*, de Porticuum firmitate *Philo* legatur *Lib. II de Monarch. pag. 821*, qui exteriorem Templi ambitum, quem *περίβολον* vocat, *bis*

Digitized by Google

Porticibus muniri, docet, utiturque verbo ὠχύρωται, *munitur*, quod rem omnino exhaurit. Eadem mente *Tacitus*, ubi de Templo Hierosolymitano, *in modum arcis confecto, ac proprio muri labore & opere ante alios facto*, dixerat, de Porticuum firmitate hæc subnectit: *Ipsæ Porticus, queis Templum ambiebatur, egregium propugnaculum, Lib. V Histor. cap. 12.* Ex quo loco constat, ipsis etiam gentibus, cum universo Templo illo, neque operis soliditatem, & munitissimam structuram, fuisse ignotam.

XI. Sed, quoad *pulchritudinem* etiam Porticus *Salomoneæ*, nullus dubitationi locus relinquitur. Consideretur tantum structura ipsa. Expendantur fornices, columnæ, pavimentum, partes aliæ, Porticum constituentes. Quarum singulæ non in solo *Salomonis* Templo, unaque illius porticu, sed & in Serubabelico, eiusque Porticibus quatuor, non ex vulgaribus lapidibus, sed ex pretiosis, variis ex regionibus asportatis, componebantur, & magnifice exornabantur. Eam ob causam *Philo Lib. II de Monarch. pag. 821*, loquitur de τετράσι στοαῖς εἰς πολυτέλειαν ἠσκημέναις, de *quatuor elegantissima structura Porticibus*, quibus cingatur Templi περίβολος. Et, cum unamquamque earum dixisset διπλῆν, *geminam*, aliud subiicit de pretio & elegantia testimonium, quod unicuique, præcipue vero *Salomonis*, Porticui competit. Huic enim ἑκάστη στοὰ dicitur ξύλων καὶ λίθων ὕλαις καὶ χορηγίαις ἀφθόνοις καὶ δημιουργῶν ἐμπειρίαις,

καὶ

καὶ τῶν ἀφεςηκότων ἐπιμελίαις κατεσκευασμένη, τελειότατον ἔργον. Accedit *Fl. Iosephi* de *pulchritudine* Porticus *Salomoneæ* testimonium: ἐκ λίθων τετραγόνων κατεσκεύαςο καὶ λευκῶν πάνυ τὸ μὲν μῆκος ἑκάςυ λίθυ πήχεις ἔικοσι, τὸ δε ὕψος ἕξ. Non definit *Iosephus*, quidnam ex iis lapidibus fuerit confectum, utrum Porticus integra, an aliqua duntaxat pars eius. *Nonnus* ad *Ioann. X* solum pavimentum describit, velut θέσκελον ᾽αιθύσης πολυδαίδαλον ὖδας. Delectatur quidem ille Poetarum floribus, & sermonis dulcedine abundat, neque tamen ideo omnis eius paraphrasis spernenda, cui vel ex ipsius *Iosephi* verbis pondus accedit. Poterat autem ornamentum Porticus spectari in pavimento, in columnis, denique & in fornice, isque tam a lapidum præstantia, quam artificio structuræ, commendari.

XII. Atque hanc quidem Porticus *Salomonis* præstantiam pariter, atque elegantiam, ut tueamur, compellunt nos verba discipulorum *Matth. XXIV, 1 seq. Marc. XIII, 1 seq. Luc. XXI, 5 seq.* quibus Servatori admirandum Templi ædificium monstrant. Hi enim oculos suos in universum quidem Templum coniiciunt, cui simile nulla vidit ætas eorum & consequentium temporum, cuius ad splendorem neque Heliopolitanum assurgit, sub *Ptolemæo Philometore* & *Cleopatra*, in præfectura Aegypti Heliopolitana, ab *Onia* IV ædificatum, neque Samaritanum, in monte Garizim a *Saneballat* & *Menasse*, tempore *Ale-*

Digitized by Google

xandri M. exſtructum, profanatum poſtea ab *Antiocho Epiphane*, & ab *Hyrcano* deletum, quanquam utrumqu· gloriam illius æmulari cuperet. Præterea tamen, & in exteriores eius partes, in ipſamque *Salomonis* Porticum, oculos coniici, e textus circumſtantiis cognoſcimus. Egreditur Chriſtus cum diſcipulis e Templi ambitu, ſed ita, ut ſtatim e Templo in montem oliviferum adſcendat. Cum autem mons ille parti Templi *Orientali*, ideoque faciei Templi, hypæthro *Orientali*, & Porticui *Salomonis*, ſit obiectus; facile cognoſci poteſt, cum ipſo Templo, Porticus etiam *Salomoneæ* ſtructuram eos admirari. Egreditur ergo Chriſtus ex parte Templi *Orientali* per *Salomonis* Porticum, eiusque portam. In hoc egreſſu cum conſtitutus eſſet, & in ipſa forſitan Porticu, vel Porta, monſtrant ei diſcipuli præſtantiam tanti ædificii, mirantur ſtupendam illius molem, præſtantiam lapidum, artificium contignationis, totiuſque ſtructuræ elegantiam, opus omni ex parte conſummatum, orbisque terrarum miraculis iure quodam accenſendum. Unus loqui incipit apud *Marcum*: Διδάσκαλε, ἴδε, ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί; ceteri ſequuntur apud Evangeliſtas reliquos. Omnes templi admirantur lapides, & ſtructuras. Loquuntur de λίθοις καλοῖς, *Luca* teſte, iisdemque, apud eundem, Templum κεκοσμημένον vocant. Accedunt ad Chriſtum, ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ, ſecundum *Matthæum*. Tandem &, referente *Luca*,

Digitized by Google

ea, eidem Templi ἀναθήματα monſtrant, inter quæ Menſam auream, a *Ptolemæo Philadelpho*, Lychnum aureum ſuper Porta ſancti, ab *Helena*, Adiabenorum Regina, Templo dicatum, & alia, nonnulli referunt. Chriſtus hæc audit, largitur etiam, loquitur de λίθοις, itemque de μεγάλαις 'οικοδομαῖς. Sed, omnia diſturbanda eſſe, ſignificat. Illi inhærent admirationi. Veniunt in montem ipſum. Sedent ibi e regione. Intuentur Templum cum Porticu. Digitos intendunt denuo in lapides, in univerſam ſtructuram, oculis obiectam, Chriſto tamen perpetuo ad inſtantem Templi ruinam provocante.

XIII. Porticum *Salomonis* locum fuiſſe, paulo *ampliorem* ac *ſpatioſum*, eumque non vacuum, ſed *populo multo repletum*, paucis adhuc confirmandum eſt. Chriſtum in ea Porticu ambulaſſe, *Ioannes* refert *X, 23*. Nam, περιεπάτει, inquit. Quæ vox de loco non anguſto, ſed ampliſſimo, lateque patente, in quo magni fiunt hominum concurſus ac circuli, accipienda eſt, ob particulam περὶ, quæ ambitus ac ſpatii ſignificationem habet. Sic Satanas dicitur Apoſtolo περιπατῶν, non unum ſolum alterumque locum pervadens, ſed totum peragrans mundum ore aperto, ut deglutiat. *Nonnus* verbum *Ioanneum* reddidit primum per ἐδίστιχεν, *ambulabat*, poſtea per ὁδεύων, *pervadens*. Sed, Chriſtum non in ſolitudine quadam iam verſatum, neque in loco arctis circumſcripto limitibus, ex iis, quæ poſtea dicentur, cognoſcitur, ex ipſo etiam

Digitized by Google

etiam loco singulari, *Act. V, 12*: Καὶ ἦσαν ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ἐν τῇ Στοᾷ Σολομῶντος. Apostoli congregantur in *Salomonis* Porticu, in loco quodam, non solitario ac deserto, quem privatos intra parietes ingredi poterant, sed magnum hominum numerum capiente, magnoque hominum confluxu frequentato, quo nullus aptior præsenti inveniri potuit. Hunc intrant, quod illius aditus tum *Iudais*, tum gentibus, patet, ut cum utrisque sermones conferendi occasio subnasceretur. Cum his igitur eo in loco disserunt. Coram iis fidem de Christo salutarem docent, horum corda ad Christum convertere student. Addunt miracula, ut doctrinæ divinitas factorum pondere confirmetur. Et profecto in eodem illo commate, quod de collectione Apostolorum in *Salomonis* Porticu testimonium perhibet, verba clarissima sunt de multis prodigiis, virtute Apostolorum effectis. Ubi igitur resonabat doctrina, ibi etiam sequebantur doctrinæ vires, atque, ut aures populi resonabant Apostolorum sermonibus, sic oculi divinitate factorum pascebantur.

XIV. Eadem *Salomonis* Porticus recte habetur pro loco illo, in quo Seniores commorati sunt, quando in Talmude בחנויות, hoc est, *in tabernis*, consedisse perhibentur. Hi primum iudicabant in camera illa, cæsis, politis, & quadratis, lapidibus confecta, quæ ideo conclave Gazith, sive, ut plerique transferunt, *camera dolata*, dicitur, ac Templi interioris exedris adiecta

Digitized by Google

ieƈa erat. Ab hac diſcedebant, & conſidebant in parte extrema, ſive in *tabernis*, donec & ex his migrarent in ipſam urbem, ſenſim paulatimque, ut animadvertunt *Iudæi*, Templum deſerentes, & tandem, urbe cum Templo deflagrante, ex ea etiam fugerent, aliasque in urbes ſe reciperent, *Iabbnen*, *Usham*, *Beth Schearim*, *Zephoriam*, extremo *Tiberiadem*. Locus hac de re uberior exſtat in *Gemaræ Bab. Maſſ. Roſch Haſſchana*, quem excerpit *Io. Seldenus de Synedriis Lib. II cap. 15 pag. 625*, ex parte etiam *l' Empereur* ad *Cod. Middoth II, 3, T. V Miſchnæ Surenbuſ. pag. 338*, qui reƈe exinde argumentatur, *tabernas* fuiſſe inter Atria & urbem Hieroſolymam interieƈas. Unum tantum, de loco ipſo, teſtimonium excitamus, ex *Gemaræ Bab. Maſſ. Abbod. Sara Cap. I*: ער שנח ארבעין לה וישבה סנהדרין גלתה הבית חרב לא לחנויות, *40 annis ante ruinam Templi migravit Synedrium, & conſedit in tabernis.* Quæ verba ibi adducuntur, ut vaticinium, a R. *Iſmaele* moriente prolatum. Sive autem חנויות de *tabernis* mercantium, quorum in ſocietate Seniores tum fuerunt, ſive de ipſis *tabernis* illis, ſub quibus concilium conſederit, accipias, non multum refragabimur. Reƈe R. *Nathan tabernas* collocat extra conclave Gazith, in monte Templi, & *Elias* vocem interpretatur de loco libero, ubi merces venduntur, & pecunia mutatur cum foenore. Utramque Virorum illorum ſententiam dat *l' Empereur l. c.* Conſimilem locum a Samaritanis, Iudæorum æmulis, in monte Gari-

Digitized by Google

Garizim, prope Templum, destinatum fuisse Synedrio, *non ita dissimile esse*, *Io. Seldenus l. c. pag. 621* pronuntiat. Ceterum eum locum Hebræorum Seniores eligebant propterea, quod magna populi multitudine frequentari solebat. Cuiusmodi in locis iudicia olim habita, ex more sub *portis* iudicandi intelligi potest, de quo vid. *Ruth. IV, 1*, ibidemque conf. *Targum.* Add. *Num. XI, 16, XVI, 19.* Inde cognoscitur, Apostolos in *Salomonis* porticu, sine multo negotio, capi a Synedrio potuisse.

XV. In eadem Templi parte, quæ *Salomonis* dicitur Porticus, sedebant ii, qui *mercari* solebant ac *negotiari*, rebus, ad *apparatum sacrificiorum* spectantibus, non solum cruentorum, quæ *Sebachim*, seu hostiæ, vocantur, sed etiam incruentorum, quæ dicuntur *Menachoth* & *Nesachim*, ferta & libationes. Ibidem etiam spectabantur mensæ numulariorum, qui permutabant numos, & copiam faciebant semisiclorum, certis temporibus offerendorum. Paucis, omnia hic comparari poterant, quæcunque necessaria ad sacrificia, in Templo offerenda, videbantur, indeque fiebat, ut ipsi negotiantes facti huius in loco sancto nefarii præsagium aliquod in eo quærerent, quod res illæ ad sacrificia pertinerent. Sed, quia Christus, profanari sic Templum, videbat, ex hoc loco, ipsaque *Salomonis* Porticu, quæ ovium balatu, columbarum pipitu, mugitu boum, ementium vendentiumque garritu, personabat, eiecit τὺς πωλῦντας καὶ

ἀγορά-

Digitized by Google

ἀγοράζοντας, *Luc. XIX, 45*, *Marc. XI, 15*, evertit *τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν*, præterea & *καθέδρας τῶν πωλέντων περιστεράς*, *Marc. l. c. Matth. XXI, 12.* Columbarum enim ad sacrificium adſtringebatur mulier languida, itemque puerpera. Facto igitur flagello ex funibus, oſtendit Chriſtus, velle ſe & huius loci ſanctitatem ſartam tectamque conſervari. Illi enim vendentes, confluxu populi excitati, rerum venditarum nomine factum ſuum tuentur; ſed Chriſtus oſtendit, debere hunc locum ut *οἶκον προσευχῆς*, non ut *σπήλαιον λῃστῶν*, haberi. Hæc omnia fiunt *ἐν τῷ ἱερῷ*, ut tres teſtantur Evangeliſtæ, ex quibus *Matthaeus* vocem *Θεοῦ* adiecit. Indicari autem per *ἱερὸν* partem illam Templi, in qua *Salomonis* Porticum collocavimus, a *Wolfio Cur. Phil.* ad *Matth. XXI, 12, pag. 302*, ad *Marc. XI, 16, pag. 508, Surenbuſio Βίβλ. καταλλ. pag. 260, Lakemachero Obſ. Philol. P. I pag. 152*, pluribus aliis, recte iam obſervatum eſt.

XVI. Quærendum adhuc, quantum per inſtituti limites licet, de *Porta* illa, quæ aditum patefecit ad Porticum *Salomonis*. Nam, cum clauſæ eſſent Porticus muro Templi exteriore, ut ingredi quis poſſet Templum, Portis opus erat, quibus ut ceteræ inſtructæ erant Porticus, ſic nec defuit ea Porticui *Salomonis*. Venit igitur hic in conſpectum *Porta* illa, quæ *Orientalis* appellatur, ob Porticum *Salomonis*, orienti ſoli adverſam. Diſtinctius autem ea deſcribenda

eſt,

Digitized by Google

est, ne ordo & situs locorum Templi turbetur. Itaque in eam duntaxat hic intuemur Portam, quæ ***Porta Susan*** consueto nomine Hebraeis dicitur, ab urbe ***Susan***, sede Persarum regia, totiusque Persiæ Metropoli, cuius imaginem Porta ea præferebat. Sive autem, illud factum, dicas, eam ob causam, ut ***Iudæi***, illa conspecta, dominationis recordarentur Persicæ, sive ut ad animum revocarent fata tum ***Mordecbæi***, tum ***Estera***, quæ ea in urbe acciderant, nil forsan incongrui conieceris. Quarum etiam coniecturarum utraque iam arrisit B. ***Lakemachero Obs. Philol. P. I pag. 157.*** Est hæc Porta eadem, quam ***Lucas Act. III, 2, 10,*** ὡραίαν dicit, quod egregie inservit situi Porticus nostræ indagando, ut deinceps erit ostendendum. De quo nomine, quid notet, & cui Portæ impositum, non opus est, ut hic plura disseramus. Potius commendamus ***Wagenseilium*** in ***Sota pag. 39,*** & ***Lakemacherum l. c. pag. 149 seq.*** qui in illud solicitius inquirunt. Non enim de nomine disputandum hic erit, sed situs investigandus, ut locum, Porticui ***Salomonis*** assignatum, tueamur. Atque hic detinet nos locus quispiam Celeberrimi ***Io. Alberti***, Viri, ob meritorum in sacras atque elegantiores literas gloriam, doctrinæque omnis generis præstantiam, venerandi ac suspiciendi, in quo ille de ***Porta*** ὡραία paucis quidem, sed ita, exponit, ut, difficulter sententiam illius conciliari cum nostra posse, certissime persuasi simus. Verba eius sunt in ***Observat. sacris in N. T. Libr. pag. 225: Porta hac*** ὡραία, ***id est, speciosa, pulcbra,***

pulchra, dicta est ab insigni opere suo. Erat enim ex ære splendide confecta, ad Orientalem Templi partem. Vide Ioseph. B. J. VII, 12. In hoc *Iosephi* loco, qui in edit. *Hudsoni p. 1281* exstat, Portæ cuiusdam mentio fit, quæ ipsi dicitur *ἡ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, Porta interioris Sacrarii Orientalis, tota anea ponderisque immensi.* Recte omnino Celeberrimus *Alberti Portam Orientalem* nominat, propterea, quod non illa solum, quam *Lucas* in loco *Actuum* indicat, sed ea etiam, de qua loquitur *Iosephus*, in orientali Templi latere collocanda est. Nihilo tamen secius haud confici exinde putamus, portam utramque unam & eandem esse, ut Vir Celeberrimus existimasse videtur. Aliam enim Portam *Flavius*, aliam *Lucas*, commemorat, atque una ab altera & nomine differt, & situ. Porta, quam indicat *Lucas*, illa orientalis est, quæ *Porta Susan* dicitur. At, quam ex loco *Iosephi* Celeb. *Alberti* profert, alia est, eaque in antiquitate Hebræa non minus illustris, quam illa, videlicet *Porta Nicanoris*, quæ præ ceteris Mesusa instructa, variis etiam ritibus sacris, ut purificationi leprosi, ac puerperæ, explorationi etiam sotæ per aquas maledictas, destinata erat. Sed situs potissimum ratio habenda erit. Diximus iam, plagam orientalem utrique convenire Portæ, & nostræ, & *Flaviana*, quam Vir sagacissimi ingenii producit. Sed, ut distinctius loquamur, *Porta Susan* in *exteriori* montis spatio constistituenda est. Intromittit enim in Porticum *Sa-*

lomonis, atque in montem Templi, eique respondent in ceteris lateribus Portæ, Kiponos, Huldæ, & Teri. Sed *Porta Nicanoris* quærenda est in muro *interiori*, qui Portas Nizoz, primogenitorum, & Beth Mokad, ceteris plagis adversas, exhibet. *Porta* igitur *Nicanoris* non pandit viam ad *Salomonis* Porticum, per murum Templi exteriorem, quod *Porta Susan* convenit, sed atria distinguit, ideoque non in monte Templi, sed in parte eius interiori, collocanda est. Per *Portam* igitur *Nicanoris* intratur quidem ex atrio in atrium, non vero in Porticum *Salomonis*, sed Portæ priori obiecta est pars atriorum orientalis, hypæthrum orientale, ipsaque nostra orientalis Porticus cum *Porta Susan*. Iam clarissimum erit discrimen inter utramque Portam, & assequemur, de qua loquatur *Iosephus*. Vocat enim Portam interioris partis, ubi quivis videt ad Templum respici. Hinc quidam Codices ναῦ vocem adiiciunt, quos allegat *Io. Hudsonus*, & ineptum, quod *Hamart.* & *Cedrenus* addunt πόλεως, eodem observante. Non potest igitur intelligi a *Flavio Porta Susan*, *exteriori* in muro sita, sed *Porta Nicanoris*, quæ *interior*. Atque huic convenit, quod refert idem, de Porta XX virorum labore alias aperta, sed ante disturbationem Hierosolymorum media nocte, ruptis repagulis, sponte resiliente, & ruinam Templi præsagiente. Ea enim re significabatur, non *exteriora* solum Templi mœnia hostes adorturos, sed partes etiam *interiores* ingressuros. Maximum tamen sententiae suæ robur

bur Vir celeberrimi nominis ex eo afferre vult, quod *Iosephus* portam illam testetur confectam ex *aere Corinthio*, nobisque causam aperiat, cur *Lucas* eam dixerit ὡραίαν. At hic primum largimur Philologo illustri, Portam eo ex aere fuisse conflatam, largimur, aes Corinthium elegantiae portae huius commendandae insigniter inserviisse. Exinde tamen non sequitur, Portam *Lucae* aliam ob causam dici non posse ὡραίαν, quam ob *aeris Corinthii* praestantiam. Respici potius hic videtur ad *picturas* illas, quibus fuit exornata, & quae plurimum ad elegantiam faciunt. Utraque igitur porta pulchra est. Sed pulchritudo utriusque a diversis proficiscitur causis, unius a pretio *aeris Corinthii*, alterius ab artificio *picturae*. Et quis *Portam Susan* confectam ex aere Corinthio dixerit, cum monumenta huius rei non adsint? Sic conficitur, ea, quae *Iosephus* de Porta interiori scripsit, non posse in exteriorem Portam, a *Luca* indicatam, conferri. Haec disputanda duximus, ut de situ Porticus *Salomonis*, in quo constanter persistimus, melius cogitari, &, quae iam ante Celeberr. *Alberti* tempora a *Lightfooto* in *Horis*, & *l'Empereur* ad *Cod. Middoth*, observante *Lakemachero*, consimili modo dicta sunt, emendari forte possint. His adhuc addimus eiusdem sententiae fautorem, *Carolum Mariam du Veil*, qui, ubi *Actuum cap. III pag. 63* explicat, Portam hanc cum Porta *Iosephi* confundit, sed, dum simul ad locum *Iosephi* provocat, ipse sibi contradicit. Portam enim ὡραίαν collocat in *primo* Templi *ambitu*,

 per

Digitized by Google

per quem *exteriorem* intelligere eum, clarissimum est. Atqui *Iosephus* de *interiori*, vel *ultimo*, loquitur. Cum hoc igitur prius, & cum semet ipso, in gratiam redeat.

XVII. Quæ iam de vero *Portæ ὡϱαίας* situ exposita sunt, verba *Lucæ Act. III*, *1 seq.* haud obscure confirmant. *Petrus* & *Ioannes*, stata precandi hora, nona, inquam, adscendunt Templum. Conspiciunt virum, claudum ab utero, proiectum ad Portam Templi, quæ dicitur *ὡϱαία*, ibidemque mendicantem, & liberalitatem ingredientium exspectantem. Hic a *Petro* sanatur virtute Apostolica, ut, confirmatis talis, subsiliat potius, quam surgat, pedibus consistat, ambulet etiam, ac Templum ingrediatur. Hoc facto, omnis populus stupore percellitur, &, ubi videt, eum *Petro* ac *Ioanni*, Euergetis suis, adhaerere, magno confluxu ad eos se recipit. Ecce verba: Κϱατῦντος δὲ τῦ ἰαθέντος χωλῦ τὸν Πέτϱον καὶ Ἰωάννην, συνέδϱαμε πϱὸς αὐτὺς πᾶς ὁ λαὸς ἐπὶ τῇ ϛοᾷ καλυμένῃ Σολομῶντος, ἔκθαμβοι. Habes hic *Porticum Salomonis*, in antecedentibus vero etiam *Portam ὡϱαίαν*, quam recte cum Porticu coniunximus. Ergo ita de hoc loco sentiendum est. Sedet ille homo ante *Portam ὡϱαίαν*, hoc est, *Portam Susan*, ipsamque *Salomonis Porticum*. Sanatur a *Petro*, portam nondum ingresso. Surgit ante Portam, &, transacta sanatione, intrat per limen Portæ in *Salomonis* Porticum, locum publicum, turbaque hominum refertum, Vident illi claudum

dum ambulantem, quem, cum quotidie eo deportaretur, optime noverant. Viderant etiam eum illo ipso die, quo ingressi fuerant Porticum. Sed ille ambulat. Ergo exoritur admiratio insignis populi, in Porticu collecti. Ex eo enim, quod claudus ambulat, quodque adhæret Apostolis duobus, argumentantur non solum, claudum restitutum, sed &, beneficium illud a viris illis proficisci. Noli igitur verba ita accipere, ut, populum accurrisse, putes, *in Salomonis Porticum*, ut videtur colligendum ex versione nostra vernacula, nisi statim explices ita, populum accurrisse ex atriis, in quibus tempore precum fuerat congregatus. Rectius dixeris, concurrisse populum *in ipsa Salomonis Porticu iam constitutum & collectum*, ita, ut voces, *in Salomonis Porticu*, in casu Ablativo, non Accusativo, efferantur, neque ad *cursum* populi, sed *coetum* potius *populi*, respicere credantur. Per *Portam* enim *ὡραίαν* populus in *Salomonis Porticum* intraverat. Adhuc morabatur eodem in *Porticu*. Claudus eadem via locum illum ingressus erat. Sed hic postea media in Porticu ambulabat, solis adhærebat Apostolis, quo fiebat, ut totus coetus in hunc oculos intenderet, in ampliori porticu sparsus antea, unum in locum se reciperet, ab iisque hominibus facti, tam commemorabilis, rationem peteret. Itaque, vel ex hoc loco, multum lucis affunditur naturæ ac situi *Salomonei Porticus*, cuius latiorem descriptionem limites instituti non admittunt.

III.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO
DE
SVPERSTITIOSA PLAGARVM COELI ANTIQVITVS APVD VARIAS GENTES OBSERVATIONE IN SEPELIENDIS MORTVIS.

I.

Diogenes *Laertius* in *vita Solonis* tradit, *Athenienses* mortuos suos πρὸς ἀνατολὰς θάπτειν, ita *sepelire*, ut cadavera *ad orientem solem* conversa iacerent. Idem addit: ἀλλὰ καὶ αὐτὰς τὰς τάφους πρὸς ἕω βλέποντας, *sepulchra* item ipsa *ad Orientem* posita. At vero mos fuit apud Athenienses, obversos *ad Occidentem* mortuos sepeliri, teste *Plutarcho* a) & *Aeliano*. b) Cum *Diogene* tamen consentit Scholiastes *Thucydidis*, qui annotat, morem fuisse omnibus Græcis ἐπ' ἀνατολὰς ποιεῖν ὁρᾶν τὰς νεκρὰς. Vide Commentatores in *Diogenem*, *Thomam Aldobrandinum*, *Isaacum Casaubonum*, *Aegidium Menagium*, & præter hos *Petrum Mo-*

restel-

a) In *Solone*.

b) *Variæ Historiæ Libro V Capite XIV*, & *Libro VII Capite XIX*.

Digitized by Google

restellum, c) *Ioannem Philippum Pfeifferum*, d) *Iosephum Laurentium* Polymathiæ Libro III Synopsi XIV.

II. Transeamus ad *Ebræorum sepulcra.* Nimirum loca eorum sepulcralia, in quatuor partes, & *versus quatuor mundi plagas*, divisa, in figuram crucis exstructa erant. Videatur *Theodorus Dassovius* in Dissertatione *de Signis Crucis Ebrææ gentis*, & *Salomo Deylingius Observationum sacrarum Parte I, Observatione XXV*, §. *IX, pag. 105*. Pergimus ad eorundem *in situ cadaverum sepeliendorum observatum morem*, de quo ita differit *Ioannes Gregorius*: e) Assumo, veterem fuisse morem funebrem Iudæorum, corpora mortuorum eo deferre, ubi optime componi possent *situ hoc religioso*, nempe ut facies & pedes dirigerentur *versus Hierosolymam*, ideoque coenaculum, in quod delata est *Thabita*, erat ὑπερῷον *Actorum IX, 37*. Non sum intelligendus, ac si dixerim, eam eo delatam, ut componeretur *versus Hierusalem*. Ritus funebres illius iam futuri erant Christiani. Ideo factum, ut componeretur facie & pedibus *Orientem versus*, quod commode

c) In *Pompa ferali, seu Iustis funebribus Libro I Capite XIX* integro *de situ cadaveris in collocatione pag. 1380 Tomo XII Thesauri Antiquitatum Romanarum I. G. Grævii.*

d) *Antiquitatum Græcarum Libro IV Cap. LII p. 750.*

e) In *Notis & Observationibus in loca aliquot S. Scripturæ Capite III.*

Digitized by Google

de fieri potuit in isto ὑπερῴῳ: erant enim Hierosolymæ Ioppæ ab Oriente. Quod hoc probationis genere usus sim in praesentiarum, coactus feci, quod mihi non satisfeci *de Ritu Iudaico positionis mortuorum*. *Schickardus* fatetur, se illum nescire, quamvis cum illis vixerit. Et *Leo Modena* f) quidam e Rabbinis eorum nihil plus dicit, quam quod corpus componant pedibus *versus cubiculi fores* versis, candela cerea ad caput locata, imposita urnæ, cineribus plenæ. Hactenus *Gregorius*. Nunc quoque operæ pretium fuerit audire *Io. Iac. Schudtium* g): Wird eine verheurathete Person begraben, so nimmt man am Grab aus einem kleinen Beutelgen *ein wenig Erde von Ierusalem*, streuet es dem Todten über das Angesicht, und læst ihn sodann, wann der Deckel bey dem Grab zugenagelt worden, in die Gruft hinunter, *mit dem Angesicht gegen Morgen gewändt*. Ita quidem est, Iudæi, *in patria* sua adhuc viventes, *plagam occidentalem* sanctissime observabant, uti præter *Theodorum Dassovium* h) & *Ioannem Ebrenfried Pfeifferum*,

f) *De gli Riti Hebr. Parte V Capite I.*

g) In *denen Iüdischen Merckwürdigkeiten Libro VI Capite XXXVII §. IV p. 344.*

h) In Dissertatione *de Altari exteriori* §. *X* probat, sanguinum adspersiones apud Iudæos finitas fuisse in *angulo Altaris occidentali australi*. Cuius rei causa hæc dari forsitan potest, quod illæ adspersiones sanguinum respexerint ad ultimam adspersionem sanguinis

Digitized by Google

ferum, i) alio loco & tempore pluribus demonstravimus. k) Iudæi tamen, nunc extra terram suam degentes, versus *orientalem plagam* preces fundunt, l) eandemque plagam *in situ cadaverum* inprimis observant, quia terra Israelis est *locus, resurrectioni* a Iudæis *assignatus*.

R r 5 Vide

nis Messiæ, *in Occidente* in Altari crucis exspectandam, ut, sicut adspersiones sanguinum finiebantur in victimis in Occidente, ita & sanguis Messiæ, qui omnium victimarum complementum erat, in Occidente ultimo loco spargeretur. *Occidentalis enim cœli plaga Ebræis venerationi erat;* unde & Sanctum Sanctorum in Occidente ponebatur, & Sacerdos summus, illud ingrediens quotannis, sanguines sanctissimos versus propitiatorium nuda manu in aere spargebat, ut *faciem Occidenti obverteret*. Atque ipsæ quoque Synagogæ Occidentem respiciebant, quam erudite rem explicat *Seldenus Libro III de Synedriis veterum Ebræorum Capite XVI* §. I.

i) In singulari Dissertatione exhibet Observationes quasdam *de Dignitate Occidentalis plagæ in re sacra Ebræorum*.

k) Vide Dissertationem nostram *de eo, quod extraordinarium fuit in Pontifice M.* die expiationis Orientem versus sanguinem tauri hircique ante propitiatorium spargente, *p. 290 seq. Tomo II Opusculorum* nostrorum *sacrorum*, & *Tomum* nostrum *II der Erœrterung der dunckelsten und schwersten Schrifftstellen im Alten Testament p. 777 seq.*

l) Hinc in Sygagogis quoque Europæi Iudæi hodie *versus occidentalem plagam collocant* ארון, *arcam*, arcæ *Mosis* simulacrum, quod ipsis templum sit orientale:

Digitized by Google

Vide *Ioannem Iacob. Schudtium*, m) itemque *Theodorum Dassovium*, n) & *Io. Leusdenium Spicilegii Philologici Centuria X Cap. XLVII num. XII seq. p. 453.*

III. *Mortui* apud *Muhammedanos*, facie *ad meridiem* versa, terra teguntur. Videantur *Ga-*

tale: nam, in ipso templo occidentalem partem occupasse arcam, notum est. Vide *Leonem Mutinensem de Ritibus Iudaeorum P. I Cap. X*, *Campegium Vitringam* in *Archi-Synagogo Capite IX*, & *de Synagoga vetere Libro III P. II p. 443*, *Hermannum Witsium Exercitatione IV in Orationem Dominicam* §. *XVIII p. 50*. Hinc Iudaei in domibus quoque suis *Orientalem partem* inscripta voce מזרח notant, & oraturi illam plagam respiciunt, uti docte observat *Guilielmus Schickardus de Iure Regio Hebraeorum p. 419*, qui tamen in eo vel ἀκριβείας est paulo negligentior, vel a veri ratione aberrat, quando indefinite, Iudaeos versus Orientem precari, affirmavit. Certe enim ad Europaeos hoc tantum pertinet, quibus ad Orientem sita est urbs sancta, & templum, in ea positum. Confer *Bernhardum Duysingium* in Dissertatione Exegetica *ad Actorum X, v. 9-16, de Visione Petri*, §. *V*, itemque *Gothofredum Olearium* in *Observationibus sacris ad Matthaei Evangelium p. 180*.

m) In *denen Iüdischen Merckwürdigkeiten Libro I Capite VII* §. *III seq.*

n) In *Diatribe*, *qua Iudaeorum de resurrectione mortuorum sententia ex plurimis, iisque magnae apud illos auctoritatis, Rabbinis, tam veteribus, quam recentioribus, copiose explicatur, examinatur, & illustratur, Capite VI* §. *II p. 172 seq.*

Digitized by Google

Gabriel Sionita, o) *Ioannes Gregorius*, p) *Ludovicus Marraccius*, q) & *Petrus Dan*, r) Tantopere

o) In Tractatu brevi *de nonnullis Orientalium urbibus, nec non indigenarum religione ac moribus, Capite XVI p. 75.*

p) In *Notis & observationibus in loca aliquot S. Scripturæ Capite III* Mahometani ad hunc usque diem, simul ac laverunt mortuos, reponunt in eiusmodi loco, *ut facies & pedes directe vertantur versus Alkibla, sive templum Meccha.*

q) *Parte IV Prodromi ad Reformationem Alcorani p. 44* morti proximus collocatur cum vultu converso *versus Meccam;* & suggeratur illi professio fidei Eslamiticæ: *Non est Deus nisi unus, & Mahumetus est legatus eius.* Deinde deferunt cadaver in feretro ad sepulcrum, quod effoditur cum ingressu, qui *respiciat Meccam.* Qui vero deponit illud in fovea, dicet: *In nomine Dei & super religionem* (vel *exaltetur religio*) *Legati Dei.* Et convertit faciem eius *versus Meccam;* & operit eum cumulo arenæ, super quem laterculos componit.

r) *Dans l'Histoire de Barbarie Libro II p. 288 Cap. II* Muhammedanis in Africa refert hæc, quæ sequuntur: L'on ne couche point le corps de son long dans la fosse: mais on le met sur son seant, les pieds panchez en bas, & la téte appuyée sur le coude droit, regardant *vers le midy, ou est la Meque;* coustume qu'ils ont tirée *des Iuifs & des Hebreux*, qui souloient ensevelir leurs morts assis, en la même posture, qu'est un Docteur dans sa chaire. In margine adscribuntur hæc verba *Alphonsi Tostati* in *Comment. in Genes. XXII:* Cadavera Hebræorum sepeliebantur sedentia tanquam in cathedra. Ceterum de hoc Scriptoris Gallicani testimonio vide *Io. Iacobum Schudtium* in *den Iüdischen Merckwürdigkeiten Libro VI Cap. XXXVII §. IX p. 351.*

topere autem hæc cœli plaga Muhamedanis placet: in sepeliendis cadaveribus humanis, quia iidem *preces fundunt versus eandem coeli plagam*. Audiamus hic *Io. Henr. Hottingerum*: s) Muhammedani *populus respectus sive Templi Meccani* dicuntur, quod omnia Muhammedanorum templa illud unum respiciant. Hinc etiam lege Muhammedani adstringuntur, ut precaturi vultus suos Meccam versus vertant. Atque hic *ritus superstitiosus* in Thesauro *Giggai* Arabico *oculus, vel respectus, Kibla* appellatur. Hactenus *Hottingerus*. Plura hanc in rem observant *Adrianus Relandus*, t) *David Millius*, u) *Joannes Seldenus*, x) *Eduardus Pocockius*, y) *Ludovicus Maraccius*, z) *Philippus Guadagnolus*,

s) In *Historia Orientali Libro I Cap. I p. 4.*

t) *Libro II de Religione Mohammedica* §. *X p. 174.*

u) In Dissert. *de Mohammedismo ante Mohammedem* §. *XIII.*

x) *De Synedriis veterum Hebræorum Libro III Capite XVI.*

y) In *Notis ad Abulfaraium p. 175.*

z) *Parte IV Prodromi ad Refutationem Alcorani p. 13:* Debet habere intentionem orationis illius, quam facturus est, & *convertere se versus Keblam*, (id est, *Templum Meccanum*,) si sciat, in qua parte sit, & si id possit sine periculo: alioqui vertat se, quo voluerit. Idem in ipsa *Refutatione Alcorani p. 49:* Præcipit *Mahumetus* suis, *ut orantes vertant se, quocunque velint*, eo quod Deus ubique reperiatur. Abrogat infra hanc legem, præcipiendo, ut, dum orant, ad *Templum Hierosolymitanum* faciem

lus, a) *Gisbertus Voetius*. b) Sufficiat hic, audire *Gothofredum Olearium*: c) Errant, qui *Iudaeos meridiem spectantes precatos* testantur, quod relatum habemus ab Auctore quaestionum ad An-

ciem convertant. Sed hanc mox etiam abolet, & iubet suos ad *delubrum Meccanum*, dum orant, se se convertere. Nullus, nisi amens sit, negabit, damnabilem hanc esse levitatem. Vel enim hae tres orandi formae erant aeque bonae: & ita conveniebat earum quamlibet uniuscuiusque arbitrio relinquere; vel ultima erat ceteris praestantior: & sic aequum erat eam solam proponere, & in Alcorano stabilire, praesertim quia *delubrum Meccanum* iam exstabat. Sed Mahumetus, utpote versipellis, voluit primo *Christianis* confirmari, deinde *Iudaeis*, & demum *Ethnicis Arabibus*, semper deteriora sectando. Confer denique eundem *Maraccium* in *Refutatione Alcorani p. 61.*

a) In *Apologia adversus Ahmedum, filium Zini*, Principem in regno Persarum, qui contra religionem Christianam una cum aliis Persarum Sapientibus librum scripserat, & aureis characteribus exaratum ad Romanum Pontificem *Urbanum* VIII, ut eidem respondendum curaret, transmiserat, *Tract. II Cap. VII Sect. III*, & *Cap. X Sect. V.*

b) *Parte III Selectarum Disputationum Theologicarum p. 272*: Iam vero *Meccam* Muhammedistis, in Aegypto & parte illa Africae vulgo dicta Barbariam habitantibus, constat esse *Orientalem*, quam tamen, aliis alibi habitantibus, *Occidentalem*, aut *Meridionalem*, &c. esse, necesse est. *Philippus Lonicerus Tomo I Historiae Turcicae Libro II Cap. VII* dicit, orantes in suis mesgidim *faciem versus meridiem* convertere.

c) In *Observationibus sacris ad Evangelium Matthaei p. 180.*

Digitized by Google

Antiochum; idque secutos *Mahometanos* ait *Euthymius Zigabenus* in Panopliæ Parte secunda. Nempe & *Mahomedani* primo adorabant *versus templum Hierosolymitanum*, adeoque versus eam plagam, quæcunque illa fuerit, in qua templum respectu ipsorum positum esset, quem tamen morem postea mutarunt, *Mecbano templo Hierosolymitano substituto*, idque mutationem *Kiblæ* vocarunt; *Kibla* enim, *quicquid e regione est*, significat. Auctor huius rei est *Ibnel Saban* in Historia Arabica, quæ inter κειμήλια Oxoniensia asservatur, ex qua illa decerpsit *Io. Gregorius* in *Observationibus* suis *Capite III.*

IV. In *Ecclesiis Græcis*, uti perhibet *Gabriel Sionita*, d) Laicorum corpora sindone alba involuta, aut etiam vestibus induta, *facie ad Orientem versa* humantur, Sacerdotum vero, Pontificum præsertim, corpora, vestibus sacerdotalibus induta, in sella statuuntur, ac lapide ora sepulcrorum occluduntur. Nimirum Græci in publico cultu *ad Orientem adorant & benedicunt*, uti constat ex Ordine sacri ministerii, auctore *Philotheo*, Patriarcha, qui exstat in Rituali Græcorum editionis *Iacobi Goari*, qui in notis refert, hunc sacrum morem ita Græcis proprium esse, *ut retro Ecclesiam, si forte clausa sit, adorare coacti, terga potius Ecclesiæ, quam Orientis regioni, vertere formident.* Vide de hac *Goari* Ob-

d) In Tractatu brevi *de nonnullis Orientalium Urbibus, nec non indigenarum religione & moribus, Capite XVI p. 76.*

Digitized by Google

Obſervatione *Gisbertum Voetium*; e) nos in præſenti addimus *Thomæ Smithi* obſervationem f). Mos iſte, inquit, *verſus Orientem precandi*, a primævis Chriſtianis per tot ſecula deductus adhuc *apud Græcos* retinetur, utpote adeo ſacer inviolabilisque habitus, *ut, ſi poſitura loci utrumque ſimul facere non permittat, Eccleſiæ potius, quam Orientali coelorum plagæ, terga obvertere ducant.* In Eccleſiis vero, cum *Sanctuarium*, in quo *menſa myſtica* reponitur, *verſus Orientem* ſitum ſit, illo ſemper inter orandum vultus ſuos dirigunt. Hactenus *Smithus*. Conferatur inter ipſos Græcos *Metrophanes Critopulus*, qui in *Confeſſione Catholica & Apoſtolica in Oriente Eccleſiæ Capite* integro *XXI* de precatione ad Orientem diſſerit. Neque vero miramur, *Græcos recentiores* dictum ritum *precandi verſus Orientem* perpetuum eſſe velle; namque *S. Baſilius*, g) *Origenes*, h) & *Ioannes Damaſcenus*,

e) *Parte III Selectarum Diſputationum Theologicarum p. 275.*

f) In Epiſtola *de Græcæ Eccleſiæ hodierno ſtatu*, editionis novæ, auctioris & emendatioris, *p. 154.*

g) In libro *de Spiritu Sancto Capite XXVII.* Ecce autem de *Baſilio* iudicium *Ludovici Ellies Dupin* in *Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum Tomo II p. 323*: *Myſticas rationes* omnium illorum rituum adeo ſubtiles & longe petitas profert, ut facile videas nullam potiorem eſſe, quam *conſuetudinem* & *uſum*.

h) In lib. *Num. Homil. III*, & in Tractatu *de Precatione*, unde hæc excerpſit *Dupin* in *Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum Tomo I p. 224*: Vult, ut verſus Orientem quisque ſe vertat, ſive ſit in ſuo cubiculo, ſive in loco ſubdiali.

Digitized by Google

nus, i) perhibent, ritum illum *ex traditione Apostolica* primam habere originem, Arridet hæc sententia Patrum Græcorum *Cæsari Baronio*, k) sed multo rectius negamus Apostolos huius ritus auctores. Facit enim nobiscum Ecclesia antiqua Antiochena, l) itemque *Ioannes Chrysostomus.* m) Præterea *Apostolorum alii in Orientem, in Occidentem alii, prædicatum abiere.* Num ergo Græcus Orientem, Indus intuebitur Occidentem? At hoc repugnat illi, quod putant, *omnibus oculos esse convertendos etiam in coeli plagam, unde Sol exoritur.* Atque hinc liquet, quid censendum sit de altera etiam ratione, quando aiunt, *Orientem versus esse orandum,* quo

i) *Libro IV Orthodoxæ fidei Cap. XIII.*

k) *Tomo I Annalium Ecclesiasticorum ad A. C. LVIII* numero *CVI seq.*

l) *Socrates Historiæ Ecclesiasticæ Libro V Capite XXI:* Ecclesia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Ecclesiis situm habet; nam *Altare non ad Orientem, sed ad Occasum, spectat.* Vide de hoc *Socratis* testimonio *Andream Rivetum* in *Apologet. pro vera pace Ecclesiæ contra Grotium p. 148,* itemque *Martinum Chemnitium* in *Examine Concilii Tridentini Parte I p. 90.*

m) Quamvis enim alioquin in *Apostolicis institutis* diiudicandis non minus, quam alii Patres, facilior fuerit, hanc tamen consuetudinem tantummodo *a Patribus* ortam diserte fatetur in *Interpretatione Cap. VI Danielis.* Vide de hoc *Chrysostomi* testimonio *Guil. Ern. Tentzelium Parte II Exercitationum selectarum p. 166.*

Digitized by Google

quo melius nobis quasi ob oculos ponamus *Christum pro genere humano passum in Oriente.* Quippe sic quoque omnes, qui sive exiguo, sive magno, spatio ultra Hierosolyma habitarent, ad Occidentem se converterent. *Si igitur, ut censent, ritus iste ab Apostolis sit institutus, non possunt huc spectasse omnes, quia*, uti dictum est, *non minus in Orientem se receperunt Apostoli, quam Occidentem.* Atqui pugnantia sunt ista, ut, qui in India vivant, omnes spectent Orientem, quia inde oritur *solaris lux*, quae *Christi* est *figura:* & iidem spectent Occidentem, quia locus, ubi Christus pro nobis passus, sit iis ad Occidentem. Hactenus *Gerardus Ioannes Vossius de Origine & progressu idololatriae Libro II Capite III pag. 321.* Quod autem *Athanasius*, vel quisquis auctor sub illo nomine latet, quaestione XXXVII ad Antiochum ritum illum ex *Psalmo CXXXII, 7, & Zacharia XIV, 4,* repetit, in eo certe fallitur, uti praeter *Io. Georg. Dorscheum* n) & *Alexandrum Morum* o) alio loco & tempore p) observavimus. Ceterum non negamus, dictam *vaticiniorum* interpretationem placere illis, qui existimant, *Christum, cum in caelum adscenderet, faciem occidentem versus convertisse,* cum

n) *Theologia Zachar. P. I Cap. VIII §. 186.*

o) In *Oratione de duobus Genevae miraculis, Sole & Scuto, p. 22.*

p) Vide *Tomum II Opusculorum nostrorum sacrorum p. 287.*

cum hoc idem adstruere liceat *ex vestigiis pedum Christi*, marmori impressis, quæ *in monte oliveti* spectantur. Vide *Casarem Baronium*, q) *Ioannem Molanum*, r) *Gerardum Ioannem Vossium*, s) *Hermannum Witsium*, t) *Thomam Ittigium*, u) aliosque, quos indicat *Io. Andr. Quenstedius*. x)

V. In antiquis *Latinorum* Ecclesiis sic *sepeliri* voluerunt homines, ut, si quis sepultum erigeret in pedes, is *in Orientem versa facie* consisteret. Vide *Io. Bapt. Casalium*, y) *Aegidium Mena-*

q) *Tomo I Annalium Ecclesiasticorum ad A. C. XXXIV numero CCXXXVIII.*

r) *De Historia SS. Imaginum & Picturarum Libro IV Capite XIV*: Colligitur ex dictis pedum vestigiis, Salvatorem ad cœlum adscendisse tergo versus Ierusalem, facie versus Occidentem.

s) *Harmoniæ Evangelicæ Libro III Cap. V* §. *VIII.*

t) *Exercitatione XX in Symbolum Apostolicum* §. *XV p. 319*: Mihi allubet opinari ex *Zachariæ vaticinio* figmenti quæsitam occasionem. Apud illum enim invenimus *Capite XIV, 4: Stabunt pedes eius illo die in monte Olivarum.* Quod profecto minus literaliter ad hanc rem traxit *Baronius*, vel ex *Psalmo CXXXII, 7: Adoravimus, ubi steterunt pedes eius.* Ita enim citat, & huc refert, *Paulinus.* Superfluum esset, ostendere, quam hæc aliena sint.

u) In *Selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ Seculi I p. 410.*

x) *Parte III Systematis theologici p. 547.*

y) *De Veter. sacris Christian. ritibus Cap. III p. 30, & Cap. LXVI p. 285.*

Digitized by Google

Menagium, z) *Danielem Mallonium*, a) *Io. Stephanum Durantum*, b) aliosque, quos nominat *Iacobus Thomasius*. c) Iam vero, si quæres, cur veteres illi *talem* cadaverum humanorum *situm* esse voluerint, respondemus: Huius ritus non ea solum causa affertur, quod *Christus in cruce* spectarit occidentem, d) sed etiam quod *in sepulcro* sic positus fuerit, ut *caput occidentem*

 versus

z) In *Observationibus in Diogenis Laertii Librum I Segm. XLVIII p. 26:* Mos fuit apud Athenienses, *obversos ad Occidentem mortuos sepeliri*, teste *Plutarcho* in *Solone*, & *Aeliano VII, 19, & V, 14, qui mos quoque fuit veterum Christianorum.*

a) In *Commentario ad Alphonsi Paleotti Cap. XX p. 406*, pluribus differit *de situ Christi in sepulcro*, in benedictione, in adscensione.

b) *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ Libro I Cap. XXIII pag. 186.*

c) In Dissertatione *de Ritu veterum Christianorum precandi versus Orientem Capite I §. X.*

d) Vetus est traditio, *Christum, cum cruci affigeretur, Occidentem spectasse.* Præter alios hic audiatur *Cœlius Sedulius Mirabilium divinorum*, sive *Paschalis Carminis, Libro V versu 193:*

Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ;
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Plura hanc in rem observant *Gerardus Ioannes Vossius Harmoniæ Evangelicæ Libro II Cap. VII* §. 36, *Io. Ludov. de la Cerda Adversariorum sacrorum Cap. LXXX* §. 4, & *Wolfgangus Franzius*, qui in *Schola Sacrificiorum Patriarchalium sacra Disputatione XIII Thesi XCI*, ubi *de Sacrificiis extra civitatem, seu castra, combustis* differit, hæc addit: Sic autem hac cerimonia notatum fuisse indigitat Apostolus, quod Chri-

Digitized by Google

versus fuerit conditum. Nimirum *Christianus Adrichomius*, qui Theatrum suum Terræ Sanctæ, ut fatetur in Præfatione, ex *Iosepho, Hieronymo, Egesippo, Plinio, Ptolemao, Strabone, Brocardo, Breidenbachio,* & *Salignaco*, congessit, *p. 175* tradit, monumentum octo pedes longum esse, *Christum capite Occidentem versus esse sepultum, unde mos sepeliendi, capite occidentem versus directo, Christianis a suo Christo remanserit.* Pergimus ad *Ioannem Mabillonium*, qui *Libro II de Liturgia Gallicana p. 167* hanc observationem habet: *Episcopi* non alio modo, quam *Laici*, in tumulo componebantur, id est, *omnes pedibus ad Orientem conversis*, exemplo Christi Domini, cuius

Christus debuerit extra portam pati, & *extra portam Iudæis procurantibus facie Christum ab urbe aversum pependisse, scribunt aliqui*, quasi ab iis habitus indignus fuisset, qui urbem adspiceret. *Hancque putant causam, cur crucifixa veteres omnia facie itidem ad occasum spectante constituerint.* Ubi nunc ad Scriptores Pontificios perventum est; in præsenti sufficiet, repetere verba *Ioannis Molani de Historia SS. Imaginum & Picturarum Libro IV Capite IV p. 171: Crucifixus* est autem (ac proinde pingi debet) dorso versus Hierusalem & *Orientem*, facie respiciens *ad Occidentem*, dextera *ad Aquilonem*, sinistra *ad Meridiem*, ut docet *Sedulius* & *Beda*, in Lucam scribens, & *Damascenus Libro IV Cap. XIII.* Quali positione etiam *adscendit*, oculos suos *ad Occidentem* vertens, & *super Romanam Ecclesiam in Occidente positam;* ad quam Petrum & Paulum, præcipuos Apostolos, erat missurus, & ubi pactum, cum Petro initum, erat custoditurus. Quod *Ioannes Hesselius* & *Petrus Montanus*, Dominicæ passionis interpretes, inculcant. Hactenus *Molanus*.

Digitized by Google

cuius corpus in sepulcro hoc modo compositum fuit, ut probant *Haimonis* Homilia in Vigilia Paschæ & *Baronius*. e) Verba hæc *Mabillonii* iusto breviora excerpit *Guil. Ernest. Tentzelius Parte I Exercitationum selectarum p. 270*, & simul ibidem addit, se de hoc ritu veterum Christianorum alibi forte accuratius dicturum; quod an a *Tentzelio* factum sit, non habemus dicere in præsenti. Interim audiamus *Mabillonium*, alio loco & tempore de hoc ritu differentem: f) *Christum Dominum capite ad Occidentem, pedibus ad Orientem, conversis sepultum fuisse, tradunt veteres*, probantque ex descriptione illius monumenti. Audi, quid super hac re scribat *Haimo*, Episcopus Halberstadiensis, Vir inter Seculi noni scriptores haud incelebris, in Homilia pro die sancti Paschæ. Is, descripta ex antiquorum relatu spelunca, in qua Christi sepulcrum excisum erat, hæc subdit: *Ostium vero speluncæ patulum est ad Orientem. Unde introeuntibus locus Dominici corporis in dextris habetur, quia Dominicum corpus ita in monumento iacuit, ut caput illius ad Occidentem, & pedes ad Orientem, respicerent: dextera quoque manus ad meridiem, sinistra ad aquilonem.* Nihil clarius ac luculentius ad demonstrandum *Christi*

e) *Tomo I Annalium Ecclesiasticorum ad A. C. XXXIV numero 188.*

f) Edidit *Mabillonius* sub nomine *Eusebii Romani* ad *Theophilum Gallum* Epistolam *de Cultu Sanctorum ignotorum*. In huius *Epistolæ Appendice I* leguntur hæc verba *Mabillonii*, quæ nunc repetimus.

Digitized by Google

exemplum, nihil efficacius ad veterem illum ritum asserendum. Idem porro colligere licet ex descriptione Christi monumenti, quam exhibet *Adamnanus* in Libro I de locis sanctis, & post eum Venerabilis *Beda*, g) ex relatu *Arculfi*, Episcopi Gallicani, qui hæc ante annos fere mille & centum oculis contemplatus fuerat. *Hinc facile intelligas, veterum illum sepeliendi ritum ab exemplo Christi Domini petitum fuisse.* Ne dubita, asserente id ipsum *Haimone* modo laudato. *Ex quo tempore*, inquit, *consuetudo excrevit, Christianorum corpora ad hanc similitudinem sepeliri.* Idem attestatur prædictus *Adamnanus* in Libro secundo de locis sanctis, ubi observat, *Patriarchas Veteris Testamenti alio modo sepultos fuisse; quorum plantæ*, inquit, *non, sicut in aliis orbis regionibus, ad Orientem humatorum converti moris est, sed ad meridiem versa, & capita contra septentrionalem plagam conversa*

g) At fas erit hic audire *Gerardum Io. Vossium Harmoniæ Evangelicæ Libro II Capite XII* §. *XIV:* Ita repositus est *Christus* in spelunca, ut *facie respiceret Occidentem.* Qua de re ex *Adrichomio* dictum *Cap. VI*, cum ageremus, quam partem coeli spectarit in cruce pendens. Aliter tamen *Beda*, qui sic situm censet, ut *capite a Septentrione Austrum respiceret.* Hactenus *Vossius.* En ipsa verba *Bedæ Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum Libro V Capite XVII: In huius monumenti aquilonari parte* sepulcrum Domini in eadem petra excisum est, *introitum* habens *a latere meridiano.* Eadem verba *Bedæ* occurrunt in eiusdem libello *de Locis Sanctis Capite II.*

Digitized by Google

sa. h) Itaque ante annos mille & centum iam mos obtinebat, teste post *Arculfum Adamnano*, ut *plantæ humatorum* nullo discrimine *ad Orientem converterentur.* Quodsi ad antiquitatem & exemplum tam sacrum *rationes morales* adiungi cupis: *Orientem spectant Christiani orantes*, i) *Orientem sepulti in spem resurrectionis*; Ss 4 *cuius*

h) *Beda Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum Libro V Capite XVIII*: Uno ad Orientem stadio *Hebron* speluncam duplicem in valle habet, ubi *sepulcra Patriarcharum capitibus versis ad Aquilonem.* Conferatur eiusdem *Bedæ* libellus *de Locis Sanctis Capite IX.*

i) Videantur de hoc ritu veterum Christianorum *Cæsar Baronius Tomo I Annalium Ecclesiasticorum ad A. C. LVIII num. CVI seq. Ioannes Savaro* ad *Sidonii Apollinaris Lib. II Epist. X*, *Io. Bona Rerum Liturgicarum Libro I Capite XX* §. *IV*; & in Tractatu *de Divina Psalmodia Cap. VI* §. *II*, *Hugo Menardus* in *Notis & Observationibus in Librum Sacramentorum S. Gregoriæ Papæ p. 70*, *Iacobus Gretserus Tomo I de Cruce Libro I Capite XXVII*, *Io. Bapt. Cotelerius* ad *Tomum I Patrum Apostolicorum p. 264*, & ad *Chrysostomum* in *Danielis VI*, *10*, *p. 123*, *Ioannes Spencerus de Legibus ritualibus Hebræorum Libro III Dissertat. VI Sect. IV p. 1220*, *Iac. Tollius* in *Insignibus Itinerarii Italici, quibus continentur Antiquitates sacræ*, *p. 151*, *163*, *Guilielmus Aspins* in libro, cui titulus: *Alkibla, a Disquisition upon Worshipping toward the East*, *Io. Dougtæus Parte I Analectorum sacrorum Excursu CLXII p. 278*, *Iac. Thomasius* in singulari Dissertatione *de Ritu veterum Christianorum precandi versus Orientem*, *Melchior Zeidlerus* in singulari de eodem argumento Dissertatione, unde-

Digitized by Google

cuius Oriens symbolum est. Hactenus *Mabillonius*, qui, *de situ corporis Christi in sepulcro* locutus fidenter, nec auctoritatem habet, nec fidem. Quamvis enim *Adamnanum* aliosque quantivis faciat pretii, neque hodiernæ tamen, aut antiquorum seculorum, descriptiones existimandæ sunt veterem formam monumenti petra excisi nobis exhibere, cum ne eam quidem ex scriptóribus, a *Mabillonio* laudatis, vel ex aliis antiquis scriptoribus, quocunque appellentur nomine, discere liceat. Quid enim? *Eusebius Libro III* de *Constantino* scribit, monumentum Christi aggesta terra, aliisque rebus, a paganis fuisse obrutum, ne ulla exstaret eius memoria. Vide *Isaacum Casaubonum Exercitatione XVI ad Annales Baronii num. 99 & 122.* Idem *Mabillonius*, etiamsi satis commoda oocasio occurreret, verba *Leonis Magni* k) temere omittit. Ut enim nunc taceamus *Petri Jurieu* l) observationes, ex

unde luculenta excerpta videas apud *Phil. Iac. Hartmannum* in Commentario *de Rebus gestis Christianorum sub Apostolis Capite XVII p. 417.* Alios adhuc scriptores, præter *Thomam Ittigium* in *Selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ Seculi II p. 261, Io. Alb. Fabricium* in *Bibliographia antiquaria Cap. XI §. X p. 360,* & *Gisbertum Voetium Parte III Selectarum Disputationum theologicarum p. 269 seq.* indicavimus *Tomo* nostro *II der Erœrterung der dunckelsten und schwersten Schriftstellen im Alten Testament p. 778,* itemque *Tomo I Opusculorum* nostrorum *sacrorum p. 744.*

k) *Sermone VII de Nativit.*

l) *Dans l'Histoire critique des Dogmes & des Cultes de l'Eglise Parte IV Capite I p. 717.*

ex verbis illis colligit *Ioannes Pineda*, m) *iam Leonis tempore illam primae Ecclesiae consuetudinem adorandi, & templa erigendi, versus Orientem, obsolevisse, quam servandam curarant & praeceperant primi Ecclesiae Patres.* Ubi, observante *Gerardo Ioanne Vossio*, n) *Pineda*, de ritus huius auctoribus agens, eos non *Apostolos*, quemadmodum alii in Ecclesia Romana, dicat, sed contentus sit nominare *primos Ecclesiae Patres*, hoc est, Apostolorum successores. Quod ad *rationes huius ritus morales* attinet, eas *Io. Seldenus* o) magni facit cum nostro scriptore Gallo, sed, easdem rationes multum incerti habere & curiositatis, fateamur, necesse est.

m) In *Iobi Caput XXXI*, 26.

n) *De Origine & progressu idololatriae Libro II Capite III*, p. 321.

o) In Syntagmate *de Diis Syris II Capite VIII*. p. 325: *Christiani in Orientem versi* more *ab Apostolis* antiquitus tradito. Deum verum & Christum suum publice invocant, non solum quod *Christus crucifixus Occidentem*, id est, *ab Oriente*, spectaret, atque ita ab adorantibus in Orientem quasi conspici possit, verum etiam quia, uti *fulguris ab Oriente in Occidentem motus*, ita magno illo, quem omnes exspectamus, die erit adventus filii hominis, quod docetur a *Matthaeo Cap. XXIV*, 27. Haec *Seldenus*; *Hermannus* autem *Witsius Exercitatione IV in Orationem Dominicam* §. *XX* p. 51 observat, *Seldenum Patres* nimis ἀρχαικῶς sequi, addita hac ἐπικρίσει: *Haec frigida sunt, nec consistit in quaesitis huiusmodi mysteriis res Christiana.*

IV.

I. C. H.

EMENDATIONES IN IVLII CAESARIS LIBROS CRITICAE ITERVM CONTINVATAE.

I.

Lectionem porro institui, eamque persecutus sum & diligenter, & attente. Confeci quam plurimum curriculi, idque expedite emensus sum, antequam scrupulus animo incidit, vel remora legenti fuit iniecta. Obiecit sese tandem locus, qui *Lib. VI Cap. 13 §. 5 de B. G.* legitur, exhibuitque suspicionem mendi, a librario profecti. Legitur ibi vulgo: ***Si quis aut privatus, aut populus eorum*** (Druidum), ***decreto non stetit, sacrificiis interdicunt.*** Insolitum est, Gallos e compluribus populis constitisse, tum dictu, tum auditu. Insolens dictu est illud, quod privatus populo opponitur. Privata publicis rebus, & ea, quæ privatim fiunt, eis, quæ publice aguntur, opponi solent. Gallia in gentes, in factiones, in nationes, in regiones, fuit divisa, non in populos. Principes ***civitatum*** Galliæ passim commemorantur, per quas designantur pagi, seu tractus maiores. At non occurrit quærenti locus *Cæsaris*, in quo principes populorum Galliæ indicentur. Suspicor itaque, in

in loco, qui sub oculos venit, legendum esse: *Si quis aut privatim, aut publice, eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt.* Quis sibi persuadebit, populum Gallorum omnem coniunctim decretorum illorum unquam negligentem ac fugitantem exstitisse? vel existere potuisse? Nonne Druides ipsi pars Galliæ erant magna & insignis? An plebs & multitudo aliquid audebat? *Cæsar* paulo ante: *Plebs pæne servorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio.* At, plebem si a populo Galliæ exemeris, restabunt Druides tantum & equites. Nulla igitur conditio ratioque effingi potest, qua adductus, universus Galliæ populus, decretis Druidum non steterit, vel stare recusaverit. Cum vero Druides de omnibus fere controversiis publicis privatisque constituerent, fieri facile poterat, ut aliquis constitutionem illam, in controversiis illis, vel publicis, vel privatis, promulgatam, sibi refragari, minusque favere, existimaret. Is igitur decretis Druidum *privatim* haud stetisse censendus est, qui illam Druidum de controversia sua privata constitutionem effectui dare, vel ferre, recusavit. Vnde intelligitur, quid ipsis fuerit in animo, qui publice Druidum decretis morem noluerunt gerere. Norunt Critici, volumina in coenobiis quandam per scripturæ compendiosos descripta fuisse modulos, nec illos, qui primi ea publicis formis exprimenda curarunt, illa compendia, verborum præcipue fini adiuncta, semper in expedito habuisse. Finge, decurtatis extremis syllabis, sic in membrana ex-

exstitisse scriptum: *aut privat. aut publ.* nonne facillimo tunc negotio verba hactenus vulgata enasci potuerunt?

II. Ad Gallorum disciplinam hæc spectant ex *Cap. XVIII §.3:* Galli *in reliquis vitæ institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palam ad se adire non patiantur: filiumque in puerili ætate in publico in conspectu patris adsistere, turpe ducunt.* Si quid ingenio meo, quod, sentio, quam sit exiguum, assequi valeo, ultima sententia: *filiumque - - - turpe ducunt,* non est *Cæsaris*, sed Grammatici, qui glossema ideo verbis *Cæsaris* adiecit, ne quis per *liberos* ibi filias designari simul ac comprehendi arbitraretur. In sententia hac adiecta nihil memoratur, quod a *Cæsare* paulo antea haud fuerit significatum. Non consueverat *Cæsar* eandem sententiam bifariam efferre, & exergasiis hymnodorum delectari. Nec solet idem verbo *adsistere* hac ratione uti, vel aggregare illæc invicem, *in publico in conspectu patris.* Doctoris umbratici hæc esse, non *Cæsaris*, ii, quibus est nasus, facile odorabuntur. At cur & quomodo glossemata in contextum sunt recepta? Eloquar, quæ sentio, & quæ in membranis, passim evolutis, re ipsa reperi. Si qui librarii, describendis veterum scriptis occupati, omiserant unum ac alterum verbum, id Grammatici, scripta recognoscentes, vel monachi, manuscripta invicem conferentes, vel in margine, vel supra lineam, scripti notabant. Qui præterea membranis inserebant

glos-

glossemata sua, eis visum fuit eidem mori congruenter agere. Qua quidem ratione difficillimum erat discernere verba Autoris ab ipsis glossematis. Qui itaque postea descripserunt volumina, ii additiones illas singulas in contextum receperunt, & hoc modo posteris misere illuserunt, nihil de intruso glossematum additamento solicitis, religionique sibi ducentibus, omittere aliquid eorum, quæ ipsi invenerant scripta in membranis. Si quid librarii crederent intercidisse, vel in limine manuscriptorum periisse, noluerunt ipsi id indicare, rati, exemplaria sua, si ea iudicarentur mutila, vel truncata, viliori pretio statura, ac sese multum damni accepturos. Et hæc ipsa ratio eo spectat, ut in libris, qui vocantur *copiales* & apographi, passim huius rei exstent Diplomatum vitiosorum exempla, & tentati restitutionum in contextu fortuitarum labores. Si contuleris autographa, miram exemplorum copiam huius generis deprehendes.

III. Progredimur ad alium locum. Leguntur hæc *Lib. VI Cap. 18 §. 4* de Gallis: *Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumtuosa: omniaque, quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paullo supra hanc memoriam servi & clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, una cremabantur.* Verba illa: *etiam animalia; ac paullo supra - - cremabantur*, redolent glossema. Nam verba illa *supra hanc memoriam* spirant pingue quiddam & minus tritum. *Iusta* funera Gallis tribuet nemo, usurus stilo Latino.

Digitized by Google

tino. Eiusmodi enim funera, quibuscum neces & concremationes hominum coniunctæ fuerunt, Romanis visa fuerunt iniusta & dira. Nec video rationem, cur iam *Cæsaris* ætate mos ille inter Gallos desierit. Ipse enim testis est *Cap. 16*, Gallos eius temporis adhuc victimas humanas immolasse. Assentit ei *Lucanus I, 444 seq.* ac ipse *Lactantius I, 21.* *Pomponius Mela* tradidit *III, 2*, sua ætate Gallos victimas humanas haud amplius immolasse, ac abolitam esse illam feritatem. Quare addit: *Mortuos cremant ac defodiunt - - erantque, qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter immitterent.* Indicat verbis adiectis, hanc quoque feritatem fuisse sua iam ætate abolitam. *Claudius* scilicet *Cæsar* immanem illam superstitionem, quæ ne quidem ab hominibus cremandis abstinebat, sustulit & exterminavit. *Cæsaris* adhuc ætate mos ille pessimus non solum viguit, sed etiam nondum potuit eradicari. Pacanda prius erat Gallia, quam ritus religiosi immutarentur. *Lucanus* certe, cui fidem haud abrogamus, significat, sua adhuc ætate Druidas *barbaricos ritus moremque sinistrum*, immolandi ac cremandi homines, in Gallia servasse. Vixit autor glossematis post *Augustum*, aut potius post *Claudium Cæsarem*. *Suetonius* enim in *Vita Claudii Cap. 25* hæc memoravit: *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit.* Ex eo tempore victimas humanas cremare Gallis haud porro licuit. Tum desiit mos cremandi vivos in mortuo-

tuo-

Digitized by Google

tuorum rogis. Memoriæ prodidit *Cæsar*, morem utrumque sua ætate perstitisse. Quid enim sibi volunt hæc eius verba: *omnia, quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt?* Num servi dilectissimi eximuntur? Aut ego magnopere fallor, aut glossematis intrusi ratio solida in luce satis est collocata. Librarius vero, qui glossema, *Claudio Cæsare* recentius, invenit in margine allitum, vel lineæ superscriptum, illud in contextum assumsit.

IV. *Cæsar* dicitur *VI, 32, 3*, impedimenta omnium legionum *Atuatucam* contulisse. Adduntur hæc: *Id castelli nomen est. Hoc fere in mediis Eburonum est finibus.* Sicambri, Rhenum transgressi, dicuntur *Atuatucam* contendisse *VI, 35, 10.* Credimus vulgo, ex castello illo enatam fuisse postea Tungrorum urbem. Intercessit *Vendelinus*, cui applaudit *Ioannes Erardus Fullonius* in *Historia Leodiensi*, A. 1735 Leodii edita, *Tom. I P. I Cap. 8 p. 17 seq.* Nam Aduatica Tongrorum non erat in mediis Eburonibus sita. Quærendus trans Mosam locus est, inter quem & Rhenum maximam tunc Eburonum partem habitasse, testis est ipse *Cæsar II, 29.* Vicinus erat Rhenus civitati Eburonum, teste eodem *V, 29, 2.* Idem *Cæsar VI, 31*, Segnos & Condrusos ita locatos tradidit, ut Eburones non possint non septentrionale latus obtinuisse. Ibi enim scripsit: *Segni Condrusique ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Trevirosque, legatos ad Cæsarem miserunt.* Treviri respectu earum gentium austrum versus ha-

habitarunt. Ergo Eburones ad ſeptentriones verſus Rhenum loca incoluerunt. At *Chriſtophorus Cellarius*, qui hanc poſitionem ſuffragio ſuo approbavit, Atuatucam Treviris fere ad Occidentem oppoſuit. Primi Eburonum fines verſus ſeptentrionem erant prope Rhenum, ubi præſidium ponti imperfecto *Cæſar*, ex Sicambris Rheno ad Moſulæ confluentem traiecto reverſus, reliquerat, & aliquantulum ad Rhenum defluentem inferius. Id intelligitur ex *Lib. VI, Cap. 35, §. 6*, ubi hæc leguntur: *Sicambri, transeuntes Rhenum navibus ratibusque*, XXX *millibus paſſuum infra eum locum, ubi pons erat imperfectus* (interſectus), *præſidiumque ab Caſare relictum, primos Eburonum fines adeunt.* Non denuo tranſierunt Sicambri Moſam, antequam venirent Atuatucam. Nihil mentionis de eo fit traiectu. Quibus rationibus ita commovemur, ut, *Vendelino*, non poſſimus, quin accedamus. Adiungemus porro alia argumenta. *Ptolemæus* ab Oriente in occaſum deſcriptionem ſuam geographicam inſtituit. Ipſe vero *II, 9*, ſic habet: Εἶτα μετὰ τὸν Ταβούδαν ποταμὸν Τοῦγγροι, καὶ πόλις Ἀτουάκουτον. εἶτα μετὰ τὸν Μόσαν ποταμὸν Μενάπιοι, *Deinde poſt Tabudam fluvium Tungri & oppidum illorum Atuacuton; hinc poſt Moſam fluvium Menapii.* Duo hic ſunt notanda. Vox Ἀτουάκουτον depravata eſt, & pro ea legendum Ἀτουάτουκον, *Atuatucum.* Vox Ταβούδαν in vocem Βατούκαν videtur reſtituenda. Inter Vatucam & Moſam *Ptolemæus*

loca-

locavit *Atuatucum*, & ad Mosæ ripam orientalem, versus fluvium alterum, illud posuit. Menapios vero ad Occidentem Mosæ incoluisse, significavit. Germani, seu Sicambri, cum præsidia in loco Atuatucon Romana expugnare haud valerent, ea cum præda, quam ipsi in silvis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt, *Cæsare* teste *VI*, *41*, *1*. Nihil ibi de traiecto ab eis Mosa inseritur, quod est indicio, Mosam eos haud transiisse. Distinguendus itaque est locus *Ad Vatucam* ab Aduatica Tongrorum, quæ in *Itinerario Antonini Aduaca Tongrorum*, & in *Tabula Peutingeriana Atuaca*, appellatur. Locus *Ad Vatucam* a *Vendelino* figitur in Cassella prope *Vittemiam* Traiectum Mosæ inter & Aquisgranum. Assurgit ei *Fullonius*, idque suo iure. Huc enim quadrant 1) nomen, 2) testimonium *Ptolemai*, 3) irruptio Sicambrorum, 4) situs Eburonum, eorumque fines medii, 5) & momenta hactenus allata singula, præcipue Menapiorum ad Occidentem ultra Mosam vicinitas.

V. Consimile mendum in *Cæsaris VI*, *33*, irrepsit, ubi *flumen Scaldis* loco *fluminis Sabis* vulgo legitur. En verba: *Cæsar, partito exercitu, T. Labienum cum legionibus III ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci iubet. C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ Aduaticis adiacet, depopulandam mittit. Ipse cum reliquis tribus ad flumen Scaldim, quod influit in Mosam, extremasque Arduennæ partes, ire constituit. Cæsar* locorum, Scaldi adiacentium, ad-

modum erat peritus, tantum abest, ut ipsi visum fuerit Scaldim in Mosam immittere. Extremæ illius silvæ partes congruunt cum Sabi, in Mosam influente. Rescribe idcirco: *ad flumen Sabin, quod influit in Mosam.* Scaldis enim cursum iterque suum haud mutavit. Influit ipse tandem in Oceanum, non fluit in aliud flumen maius, nil ipsi est cum Mosa commercii. *Scaldis* hic olim in exemplaribus singulis haud exstitit. Interpres Græcus legit vertitque Σάβιν, non commissurus, ut aliquid immutaretur in nomine proprio, nisi ab exemplari suo fuisset adiutus & firmatus. Extremas Arduennæ partes adire constituerat *Cæsar*. Hic vero ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum a flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinebat, *Cæsare* teste *V*, *3*, *4*. Alibi idem memoriæ prodidit, eam silvam ab ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios pertinere, *V*, *29*, *4*. Lege hoc loco rursus *ad Rhemos*, ut designata longitudo, quæ millia passuum quinquaginta superavit, suo stet talo. Sed mittamus quidem huius mensuræ longitudinem, siquidem in Codicibus aliis leguntur 1500 millia passuum, in Græco autem Metaphraste horum nihil habetur. Id urgere lubet, ne ipsum quidem B. *Christophorum Cellarium* silvam Arduennam ad Nervios, vel ad Scaldim, protendisse, ultraque Mosam ad Occidentem repræsentasse. Ad Treviros ipse potius & Rhemos respexit. Inter hos reliquit Arduennæ locum. Ad Scaldin plana sunt omnia, caputque eius in Veromanduos incidit. *Cæsar*

septi-

Digitized by Google

ſeptimo die ad Vatucam revertit, in extremis Arduennæ partibus ſcrutatus auſtrum verſus, occidenti pronum, *Ambiorigem*, eiusque copias. Spectat hoc iter omnino ad initia fere Sabis verſus Rhemos. Sabis nunc vocatur *Sambre*, atque ad Namon ſupra Leodium Moſæ ſe committit. Eum ſi in loco *Cæſaris*, ad quem illuſtrandum & emendandum hæc ſpectant, reſcribas, ipſo *Chriſtophoro Cellario* ibi adſtipulante, expeditæ rationes ſunt. Nihilo minus hæc & alia ad *Cæſaris* libros non ea mente, eo conſilio, ſcripſimus, ut ullam emendationum noſtrarum in contextum & complexum Commentariorum adſciſcas, vel lectionem, in membranis exſtantem, minoris, quam par eſt, facias, vel eiicias. Servanda eſt omnino vetus ſcriptura, ne illa infinitis periculis emendatorum pateat, ac tandem ipſa ſenſim & quaſi ſine ſenſu ita elimetur, ut eius nec vola, nec veſtigium, ſuperſit. Emendationibus noſtris ſi quis in annotationibus velit concedere locum, vel ea prorſus damnare, id nobis erit ſatis. Niſi enim emendatio ſit luce meridiana clarior, & lectio vulgaris prorſus a mente ſcriptoris aliena, vel ei aperte repugnet; eam in contextum recipiendam eſſe, negamus & pernegamus. Nec unquam animum induximus, vel nobis imperavimus, ad credendum, ea ſigillatim eſſe emendanda in ſcriptoribus, quæ a vero abhorrent. Quis enim ignorat, ſcriptores veteres vel opinionibus nonnunquam falſis ceſſiſſe, vel præter opinionem ſuam in rebus haud ſat percognitis fuiſſe alucinatos? Hoc loco au-

Digitized by Google

tem largiendum existimo & fatendum, *Cæsarem* Sabin flumen habuisse cognitum, eoque superato, satisque explorato, ad Nervios transiisse, inde ad Aduaticos progressum, ac denique in interiorem Galliam rediisse. Hæc enim singula intellectu sunt facillima ex eis, quæ *Cæsar* in *Commentarios Lib. II Cap. 16 seq.* retulit. Notitiam *Cæsaris* geographicam reliquamque continuo nobis ob oculos posuimus, ne quid ab ipso scriptum esse existimaremus, quod ab ipsius cognitione & sententia omnino discrepat. Hanc enim regulam nisi Critici observent, ipsi non Autores, sed larvas suas, refingunt, hasque, non illos, a mendis commentitiis expurgant.

VI. In oratione ducis bellici Gallorum rebellantium, *Vercingetorigis*, *VII*, *14*, *5*, insignis lacuna exstat, quam qui scienter expleuerit, eum non hominem, sed Deum, esse iudico. Accipe verba: *Præterea*, *salutis causa*, *rei familiaris commoda* (esse) *negligenda*, *vicos atque ædificia incendi oportere hoc spatio a Boia quoquoversus*, *quo pabulandi causa*(Romani)*adire posse videantur*. Post verba *incendi oportere* incidit lacuna. Subiiciuntur hæc post *adire posse videantur* verba: *Harum ipsis rerum copiam suppetere*. Pertinent hæ res ad aliquid antea memoratum, non ad pabulationem & commeatum, quibus *Vecingetorix* Romanos prohibere decreverat, sed ad frumenta, carnes, cibos, potus. *Hoc spatium* spectat ad locorum definitorum, ante commemoratorum, distantiam. Sed hæc commemoratio abest ab exemplaribus, huc usque vulgatis. *Boia* est ignota, nec alibi legitur, licet eam interpres

Græ-

Digitized by Google

Græcus etiam habeat. Boiorum oppidum, vulgo *Gergovia*, memoratur supra *Cap. 10* §. *6*, rectius *Gergobina*, seu *Gergovina*, siquidem interpres Græcus *Gergobinna* habet, appellandum. *Cellarius* illud ultra Ligerim ad ripam occidentalem locavit. At dubium non est, quin illud ad ripam orientalem fuerit situm. Nam *Cæsar* id oppidum Aeduis attribuerat *VII*, *10*, *6*, qui ea ætate flumine Ligeri a Biturigibus dividebantur, nec id flumen transire conabantur, ne Bituriges & Arverni se circumsisterent *VII*, *6*, *4*, *5*. Nihil itaque possessionis fuit Aeduis in ripa Ligeris occidentali ac australi. Et hæc est explorata ratio, cur Gergobina in latere orientali ad Ligerim sit collocanda. *Boia* illa non potest esse locus alius ac Gergobina Boia, seu Boiorum. Hanc *Cæsar* præsidiis suis muniuerat *VII*, *10*, *4*. Cum *Cæsar* ad oppidum Biturigum, cui Avaricum erat nomen, profectus esset, *Vercingetorix* orationem illam, de qua mentionem fecimus, ad Gallos, secum facientes, omnino habuit. Difficultates hasce, non possumus, quin Gallis, geographicæ criticæque scientiæ peritis, tradamus, ac ad Avarici obsidionem cum *Cæsare* convertamus cogitationes nostras.

VII. Legimus hæc vulgo *VII*, *22*, *4*, *5*: *Nostrarum* (a Romanis factarum) *turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis adæquabant: & apertos cuniculos praeusta ac praeacuta materia & pice fervefacta & maximi ponderis saxis morabantur, mœnibusque appropinquare prohibebant.* An agger exprimit turrium altitudinem?

dinem? Quid hoc est rei? An Avaricenses prohibuerunt cuniculos mœnibus appropinquare? An Romani cuniculos mœnibus voluerunt admovere? An Avaricenses morati sunt cuniculos? Romani certe cuniculos ibi haud egerunt. An Avaricenses remoram iniecerunt cuniculis suis? An hos noluerunt mœnibus suis appropinquare? Nemo, sic factum esse, contendet. Locus ipse & obscurus, & a descriptoribus misere depravatus, est. Suspicor, eum ita restituendum esse: *Nostrarum turrium altitudinem, & quantum inter has quotidianus labor aggerem evexerat, cuniculis suarumque turrium malis divexabant, & apertis cuniculis; vineasque nostras praeusta ac praeacuta materia & pice fervefacta & maximi ponderis saxis morabantur, moenibusque appropinquare prohibebant.* Illud *evexerat* legit quoque interpres Græcus, verbo ἀνυψῶν usus. Alias verbo *struendi* & *exstruendi* utuntur scriptores optimæ latinitatis. *Mala turrium* vocantur res, nocentissimæ & damnosæ obsidentibus, e turribus deiectæ, & his infusæ. *Curtii* sunt hæc: *Undique vis mali urgebat, IV, 3, 14; Tyrii tot simul malis victi, IV, 4, 12.* Obsessi potissimum sibi metuebant ab hostium aggeribus vineisque. Ad hos impediendos, vel destruendos, oppidani obsessi cuniculos solebant adhibere. *Hirtius* infra *VIII, 41, 4: Tectos cuniculos ad aggeres & vineas agunt.* Vineæ solebant per aggeres exstructos moveri, atque ad mœnia sensim proferri, ut hæc arietibus tangi quatique possent. Ex turribus suis oppidani solebant ardentes

dentes materias, cupas, sevo & pice & scandulis saxisque completas, clipeos æneos, eosque multo igne tostos, repletosque fervida arena & cœno decocto, per præceps in obsidentes devolvere. Confer *Curtium III*, *3*, *25*, & *Hirtium* infra *VIII*, *42*. Ad cuniculos apertos mentio picis fervefactæ & saxorum maximi ponderis haud quadrat. Pertinent hæ pestes ad muros & turres hostium, unde eæ in obsidentes demitti ac provolvi potuerunt. Id igitur, quod hac peste remorandum, & ab appropinquatione prohibendum erat, ad vineas spectat. Cuniculis apertis, oppidani ignem inferre aggeri, militesque, in opere occupatos, adoriri & infestare, potuerunt. Non postulamus, ut contextum quis ob coniecturas has nostras immutet, sed ut illi, quibus vetusti Codices ac cetera artis criticæ adiumenta ad manus sunt, eis ad aptiorem loco depravato faciendam medicinam provocentur ac alliciantur. Librarii veteres in exemplaribus, a sese descriptis, ea, quæ vel ipsi inter describendum omiserant, vel in vetustiori membrana haud valuerant legere, nunquam indicarunt, ne quid suscipérent sibi detrimentosum. Eiusmodi aliquid in loco hoc depravato & mutilo accidisse, nullus non præ se feret, qui in eo attentius examinando mediocrem posuerit operam. Etenim vexatio, per cuniculos apertos fieri solita, & devolutio facium aridæque materiæ in aggerem vineasque, haud aliter paullo post a *Cæsare* describuntur *Cap. 24 §. 3, 4*, ac eæ a nobis animo informatæ fuerunt. Miror autem, viros philo-

Digitized by Google

logos, in scholis Latinis *Cæsarem* interpretandum suscipientes, loca illa passim exponere adolescentibus, in quæ nec lux, nec intelligentia, hactenus aliquid valent. Eccur, obsecro, homini haud licet nonnunquam fateri, se ea, quæ scientiam nostram fugiunt, ignorare?

VIII. Lubet huc transferre nonnullas geographicas ad veterem Galliam emendationes, *Cæsari* illustrando maximam partem inservituras. *Rotegiacum*, a *Fortunato* memoratum, situm erat in pago Ammoniensi, nunc *Rouy* dictum, & referendum est ad regionem, quæ nunc appellatur *des Amognes*, inter fluvios *Yonne* & *Loire*. *Mediolanum castrum* est locus, ubi, teste *Gregorio Turonensi*, sub Rege *Chilperico* prælium fuit commissum; habetur vulgo pro *Cateau-Meillan* in territorio Bituricensi. *Turonensis* id vocavit *castrum Mediolanense*. Id vulgo habetur pro loco *Meun sur Yevre*. Pater Rev. *Daniel* credidit, *Melodunum*, seu *Melun*, esse hoc Mediolanum. Sed fefellit & se, & alios. In *Martyrologio Antissiodorensi*, quod ediderunt *Martene* ac *Durand*, legitur ad 24 Sept.: *In territorio Biturico castro Mediolano natale sancti Genesii Martyris*. Eadem fere leguntur in *Martyrologio Usuardi*, quod 400 annos habet, & in loco *S. Benoit* ad Ligerim fuit asservatum. In loco *Chateau-Meillan* est templum antiquum S. *Genesii*, non in *Meun sur Yevre*. Genabum vulgo habetur pro Aurelia. Genabi sæpius in libris *de Bello Gallico* fit mentio. Abbas *le Boeuf* ostendit, locum nunc vocari *Gien vieux*. Vid. *Journal*

nal des Scavans 1739, Iuin, p. 1671 seq. Christophorus Cellarius, & *Le Maire*, Historicus Aurelianensis, vulgari sententiæ favent. *Metiosedum* IV M. P. infra Lutetiam Sequanæ adiacuisse, *Cæsar* est autor *VII, 58.* Locum a Meloduno disparavit merito *Cellarius.* Ex professo de situ Metiosedi disseruit Ven. Abbas *le Boeuf Vol. II* libri, cui titulus: *Recueil des divers Ecrits, p. 143 seq.* Ipse rationibus iustis confecit, id fuisse castellum Gallorum, ad sinistrum Sequanæ latus situm, agroque adiecto dedisse nomen, qui nunc dicatur Archidiaconatus *de Iosas*, *Iosay*, ac Latine *Iosedum Ptolemaus* attribuit Meldis oppidum Ἰάτινον, *Iatinum*; at rescribendum est *Latinum*, Λάτινον. Exstitit enim in Dioecesi Meldensi terra regia *Latiniacum*, scil. prædium, donatum olim Abbatiæ S. *Dionysii*, ac nunc vocatur *Lagni le Sec.* Masolacus, seu Maslacus, olim palatium Regum Merovingicorum, nunc vocatur *Maslai*, ac a Senonibus (*Sens*) una distat leuca Gallica. Vellaunoduni, cuius *Cæsar* meminit *VII, 58*, situm haud sustinuit definire B. *Christophorus Cellarius.* Abbas vero *le Boeuf* nos docuit, illud exstitisse proxime Antissiodorum (*Auxerre*). Nam amnis fluens ex monte, cui Vellaunodunum erat impositum, dicitur hodieque *Vallaon*, *Vallan.* Galli e monte in vallem ad Romanos habitatum concessere; & quidem in locum novum Atricum. Vellaunodunum appellationem traxit ex *dun*, monte, & *Vallano* amne. *Dünen* nostris adhuc est *in altum adscendere*, isque, cuius in cerebrum adscenderunt humores, seu vapores, inebri-

cantes, vocatur *dun.* Ex *dun*, monte, eque cognominatæ fuerunt urbes Noviodunum & Melodunum. Quam vellem, significasset nobis Ven. Abbas *le Boeuf*, quid ipsi videatur de loco *Boia*, & quænam sibi certa constet sententia de eius situ ac nomine.

IX. In incerti Autoris *Bello Hispaniensi Cap.* 16 §. 2 leguntur hæc: *Secum extulerunt calcatas ad fossas complendas.* *Christophorus Cellarius*, ignorans, quid hoc rei esset, subiecit hæc: *Vox insolens, crates tamen & sarmenta videntur significari.* At *calcata* est materia, sabulo, glarea & calce, constans. Tongris olim erat admirandi operis iter Romanum, quod hi vocarunt *altam calciatam.* Id nunc appellatur *la haute chaussée*, & per mediam urbem duxit Bagacum Nerviorum (*Bauvai*) ac Traiectum ad Mosam. Ad vocem *calcata* subaudienda est vox *materia*, siquidem ea fuit calce permista, seu calcem habuit largam, eamque contusam. Sunt, qui vocem solicitarunt, eamque in ventos spargere, vel in fluctus porricere, novamque ei substituere, maluerunt, significantes exemplo suo, ea haud statim Critico esse eiicienda & immutanda, quæ ipsius intelligentiæ haud patent.

X. *Cæsar* dicitur *VII*, 84, 1, *e castris* longurios, musculos, falces, reliquaque, quæ eruptionis causa paraverat, protulisse. In vetustioribus libris legitur nude *castris.* *Iustus Lipsius Poliorcet. I*, 9, monet, legendum esse *crates*. Quin legimus potius *rastros?* Falcibus enim & rastris opposita poterant repelli, adduci, reduci, frangi, &

Digitized by Google

& suffiaminari. *Lipsii* sunt hæc loco laudato *p. 49: Transiens moneo, male* e castris *scribi. Quomodo enim & oppido egreditur, & profert instrumenta* e castris? *Nulla iam vero ipse castra habebat, & in oppidum copias reduxerat: sed nec petere a sociis potuit, Romanis* (Gallis) *interiectis. Vocula* e *abest libro scripto optimo: atque ita reformandam sequentem censeo in* crates. *Verissimum est: & mox in re narranda Caesar:* aggere & cratibus aditus expediunt. *Solent enim aggerem, id est, virgultorum fasces, in fossas conicere, longurios portendere a labro ad labrum, & super eos, cratibus iniectis, velut ponte, transire.* Rastris compositis forma est occarum, simplicibus plerumque nomen fuit rastellorum. Vide *Varronem de Lingua Latina Lib. IV p. 33* ed. Durdrechti 1619, 8. Rastris idem præstare valebant milites ac cratibus, nec non præterea obvios eis poterant submovere, nisi hi mallent radi ac lacerari. *Flavius Vegetius de re militari II, 25*, eis locum tribuit inter instrumenta, quibus adhibitis fossæ transeuntur. En eius verba: *Legio habet ad fossarum opera facienda bidentes, ligones, palas, rastra, alveos, cophinos, quibus portetur terra.* Memoraverat ipse iam ferreos harpagones falcesque ferreas, longissimis contis confixas. Mavult quidem *Godescalcus Stewechius* in Commentario *p. 166*, ponamus *rutra* loco *rastra*, caussatus, 1) rastros dici, non rastra, 2) & illis glebas fuisse fractas. Verum omnes membranæ, ipso fatente, habent *rastra*, unica excepta, quæ tamen lectionem, a correctore tentatam,

tatam, præferebat. *Rastros* semper dici, numquam *rastra*, falsum est. Quis enim ignorat illud, quod Grammatici dudum præceperunt, ex rastro confieri *rastros & rastra?* Rustellum ipsum in bello locum habuit, id est, rastrum minus. *Suetonius* in *Nerone Cap.* 19 de opere prætorianorum ita: *Tuba signo dato, primus rastello humum effodit, & corbula congestam humeris extulit.* Quæ ligonibus & palis effoderant milites, ea erant rastris colligenda ferreis, & in alveos ponenda ac in cophinos, ut deportari possent. Si vero apud *Vegetium rastros* substituas, nihil exinde nobis creabis noxæ. *Terentii* enim hæc sunt: *Istos rastros interea tamen depone, Heautont. Act. I Sc. 1 v. 35 seq. Mihi illac vere ad rastros res rediit*, ibidem *Act. V Sc. 1 v. 58.* Omitto *Catonem* ac *Varronem*. Musculi autem erant necessarii, ut milites, rastros, falces, longuriosque, adhibituri, a teli iactibus defenderentur. Nam musculi fuerunt ad modum ædificiorum tecti: Tectum sustentabatur a quatuor columnis intra angulos quatuor oblongi spatii extremos, quæ trabibus infra erant coagmentatæ, ne ipsæ dimoverentur. Trabibus subiectæ erant duæ, vel tres, teretes, transversimque suppositæ, trabes, quibus promotis, machina ipsa procedebat. Descripsit ipse *Cæsar* musculum *de Bell. civ. II, 10*, in qua descriptione tamen multa restant emaculanda, quemadmodum iam ex parte demonstravit *Iustus Lipsius Poliorcet. I, 9, p. 53 seq.* Hic vir, criticæ artis haud imperitus, ibidem p. 52 recte iudicat: *Liceat dicere, multa in Ca-*

Digitized by Google

Cæsare isto legi, Cæsare veteri parum digna. Id iudicium firmo satis stare talo, iam nonnullis comprobatum dedimus exemplis, & in posterum compluribus documentis sumus comprobaturi.

Animi causâ quæstiones aliquot Dominis Collegis aliisque proponemus: 1) Quomódo *Ps. LXVIII, 14*, interpretari ac in lucem collocare oporteat; 2) an transitus Israelitarum, per sinum Arabicum constitutus, congruat cum vicinitate eorum egressurorum ab oppido Tani, seu Zoan; 3) an mare רְחוֹקִים *Ps. LXV, 6,* sit mare Phrygum, seu Ponticum; 4) an רְחֹקִים sint *Phryges Ps. LVI, 1.*

V.

I. C. S.

EXPLANATIO

VERBORVM NEPOTIS:

T. POMPONIVS ATTICVS AB VLTIMA ORIGINE STIRPIS ROMANAE GENERATVS &c.

ADDVNTVR NONNVLLA AD CAESARIS GERMANICI ARAT. VERS. 38.

I.

Hic *Nepotis* locus, quanquam per se, ut equidem existimo, nihil habet obscuritatis, tamen, ut ex Commentatorum & Criticorum dissidio liquet, multorum mentibus tenebras offudisse videtur. Disputant enim de vocabulo *Romana*, quod alii, autore *Barthio*, *regia* legi malunt. Dissentiunt item de interpretatione vocabulorum

ab

ab ultima origine stirpis. Simul aliqui vocabulum *generatus* delendum censent, ceteris arte grammatica fretis acriter, & enixe reclamantibus. Nos, quæ facillima dissensionis explicandæ ratio videtur, simpliciter proponemus. Ordinabimus vocabula singula sic, uti flagitat necessitas, si quidem loci huius sententiam subito perspicere velis: *T. P. A. generatus stirpis ab ultima origine Romana. Homo* subintelligitur, ut per se patet. Iam, notum esse, putamus, *Pomponios* a *Pompone, Numæ* filio, originem suam repetiisse. Atqui *Numa*, priusquam Romam vocaretur, non fuit rex, nedum stirpis regiæ. Qui fiat igitur, ut *Atticus* ab ultima origine regiæ stirpis esse dicatur? Si *Numa* ipse primus non tulit *Pompilii* nomen, nec maiores habuit reges, quomodo *Numæ* posteri ab ultima origine stirpis regiæ dici possunt? Expungendum ergo, veritate postulante, *regiæ* nomen, cum præsertim nullius Codicis autoritate irrepserit. Neque enim quemquam fore existimo, qui, *Nepotem* stultitiam temporum illorum secutum esse, dictitet, quæ *regium* nomen in laude præstantium & carorum hominum licentius prædicarent. *Horatius* enim atavos *Mæcenatis* reges ostentavit, & *Corn. Scipio Pallanti, C. Claudii* liberto, regios in Arcadia maiores impudenter tribuit. Vid. *Tacit. Ann. XII, 35, 3.* Nam, quæ furor poeticus evomit, cordati viri non continuo arripiunt. Et, quod adulationis atque insaniæ *Claudianorum* temporum est argumentum, scriptori moderato & sano affingere non licet, qui, cum de homine moderatissimo

&

& frugalissimo scriberet, amici moderationem animi & simplicitatem imitari necesse habebat. Homines probi & sapientes, quam invisum aetate illa esset *regium* nomen, ex sua noverant conscientia & infinitis temporum suorum calamitatibus. Nam *C. Caesaris* vim & potentiam detestati erant, (*Cic. Lib. IV Ep. 7 §. 10, Sueton. Caes. Cap. 41 & 80,*) regiam ei licentiam & perversitatem exprobrari audierant (*Cic. Lib. XI Ep. 3 & de Offic. Lib. II c. 7,*) *Antonii* lupercalis sive iocum, sive astutam tacitorum iudiciorum explorationem, improbarant, (*Dio Cass. XLIV p. 278, Sueton. Caes. c. 79, Plutarch. Vit. Caes. p. 736,*) & *Caesaris Octaviani* considerantiam in sumendo Principis nomine mirati erant (*Tacit. Annal Lib. I c. 1 §. 3, & c. 9 §. 5,*). Praestat igitur vetus scriptura *Romana*, quae *Attico* vivo & videnti nec pudorem incussit, nec invidiam attulit, nec veritatem offendit. Habebat enim cum multis aliis civibus hoc commune, quod ab ultima Romae origine genus suum repetere posset. Qui autem poterant, etiam solebant. Antiquitatis enim gloria tanto erat ad memoriam carior, ad laudem illustrior, ad amorem patriae probabilior & certior, quanto advenae, aut recentiores cives, fere invisiores erant & suspectiores. Haec quidem fuit vera causa, cur *Livius* familiarum originem, vel etiam commigrationem in urbem, tam diligenter annotarit. *Tarquinium Priscum* e. g. a brevi tempore incolam ad regios honores adspirasse, de industria memorat *Lib. I cap. 34.* Familiam *Claudiam* peregre Romam venisse *P. Valerio* IV & *T. Lucretio* II

Con-

Digitized by Google

Consulibus, *Lib. II cap.* 16 diligenter monet. *Marcum Ciceronem* Tusculanum non leviter pungit civis Romanus antiquissimæ stirpis, *C. Catilina*, apud *Sallust. Bell. Catil. cap.* 31: *Ne existimarent, sibi patricio homini, cuius ipsius, atque maiorum, plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita republica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ.* Conf. *Sueton. Claud. c.* 24. In Actis ipsis discipulorum Christi *Lucas cap. XXII* testatur, centurioni antiquiorem *Pauli* civitatem Romanam admirationi fuisse, quod fortasse sæpius senserat, novitatem civitatis Romanæ in tanta illa libertorum Imperatoris *Claudii* potentia, libidine, avaritia, despicatui esse ac pæne opprobrio. Vid. *Dio Cass. LX p.* 777 edit. *Stephan. Archiæ* Poetæ novitas civitatis Romanæ maximo propemodum fuit periculo atque ignominiæ. Maior etiam infamia fuit senatorum, quos *Cæsar* urbi Romanæ dederat cives, qui ne curiam quidem Romanam novissent. Vid. *Sueton. Iul. Cæs. cap.* 80. Sententia igitur loci *Corneliani* est ista: *T. Pomp. Atticus fuit stirpis Romanæ, & quidem tam antiquæ, quam ipsa est Roma.* Hoc autem erat illud ipsum, quod *Attico* esset honestissimum. Ut enim urbi ipsi gloriosum fuit, rerum potiri, & caput esse orbis terarum; ita gloriosum fuit *Attico*, maioribus ortum esse civibus a longo tempore orbis terrarum dominis.

II. In *Cæsaris Germanici Arat. vers.* 38:

Dictai texere Atydis famuli Coribantes,

malim nunc, MSti vestigia secutus, scribi:

Dictai texere Attis famuli Corybantes.

Talis

Talis enim scriptura MSto *Grotiano* est propior, & omnibus cum Poetis, tum Historicis, usitatior. Atque etiam huius generis genitivus Latinis gratus est, quod ex Grammatica nostra quaerentibus liquebit. Corybantes autem, quanquam Croni vel satellites, vel milites, fuerunt,(nam Phoenicium, sive Chaldaicum, nomen eorum videtur,) tamen ab Auctore *Attidis* famuli dicuntur. Non insulse. Nam *Cybele* ex *Attidis* adulterio puerperae inserviisse, & huius auctoritate *Attidi* quoque paruisse, videntur. Adde *Montfauconii Antiq. illust. Lib. I Cap. 1 & 2, Cap. 7 §. 1.* De *Dicte*, monte Cretae, vid. *Cellar. Geogr. Antiq. Lib. II Cap. 14 §. LXII pag. 1026.* Ergo, nisi Auctor noster in fabulis versaretur, mirari liceret, qui factum sit, ut *Dictai* nomen vel *Attidi*, vel *Corybantibus*, tribueretur, in Phrygia versatis.

VI.

VOCES ALIQVOT LATINAE, QVAE IN VVLGARIBVS LATINAE LINGVAE LEXICIS FRVSTRA QVAERVNTVR, EX PRISCIS AVCTORIBVS COLLECTAE

A

FRIDERICO OTTONE MENCKENIO.

SECTIO II, SEXTVM CONTINVATA, ET FINITA.

TRAGACANTHVM. Quam *Plinius* & Medicorum veterum complures, cumque his *Faber* meus, *tragacantham* vocant plantam, hanc *Scribonio Largo*, & huius expilatori, *Marcello*,

nec non ipsi *Celso*, locis uno pluribus video vocari *tragacanthum*. Et ex *Scribonio* quidem hæc mihi collecta sunt loca: *Comp. med. Cap. 3 Cap. 21: Quod nomine etiam quidem Diaglaucium dicitur, probo in initiis. - - sic componitur: - -* tragacanthi *P. V. - - - Ante omnia crocum aqua pluviatili, deinde adiicitur sarcocolla, glaucium, opium,* tragacanthum, &c. *Cap. 18 Comp. 72: Ad arteriam exasperatam simplicia quidem hæc faciunt: commis Alexandrina, vel* tragacanthum, *per se sub lingua retentum;* & *Comp. 74: Altera arteriace ad fluorem & raucitatem arteriæ, - -* tragacanthi *P. VI; - - commis &* tragacanthum *passo Cretico uno die & una nocte macerari oportet;* & *Comp. 75: Constat ex his: - -* tragacanthi *candidi* P. XXVIII. - -* tragacanthum, *sicut est, contundere, & per cribrum tenuibus foraminibus eiicere, oportet. Cap. 24 Comp. 108: Mastiches Chiæ candidæ pondo libra,* tragacanthi *albi pondo libra, Apollinaris herbæ radicis uncia. Contunditur* tragacanthum *cum radice. Cap. 30 Comp. 126:* Tragacanthi *P. selibra*, &c. & *Cap. 43 Comp. 173: - - - apii seminis*, tragacanthi, *- - - In hoc maceratur* tragacanthum *& opium pridie;* &c. Eiusdem *Scribonii* locus ne quidem unus est, ubi legatur *tragacantha*. Nam, quod in *Compositione 72*, a *Io. Ruellio* restituta, exstat *tragacanthæ*, id *Ruellio*, non *Scribonio*, debetur, qui, cum nusquam *tragacantham*, ubique *tragacanthum*, ponat, non videtur in uno hoc loco aliam, ac in ceteris, vocabuli formam tenuisse. *Scribonium*, ut in rebus verbisque

aliis,

Digitized by Google

aliis, ita in huius etiam vocis forma, sequitur *Marcellus*, cuius, cum plura possim, vel unum tantum ex libri *de Medicamentis Cap.* 14 locum dabo: *Arteriace - - - constat ex his: myrrha optima pinguis denarios XXIV*, tragacanthi *candidi denarios XXXVIII*, - - Tragacanthum, *sicut est, contundi & percribrari tenui foramine oportet*, &c. Sed nullius scriptoris plus valet auctoritas, quam *Celsi*, in cuius *Lib. IV Cap.* 4 hæc lego: *Melius huic rei licium est; quod idem quoque æque probat: vel porri, vel marrubii, succus, vel nuces Græcæ, cum* tragacantho *contritæ*, &c. Quibus alia addo ex *Lib. V Cap.* 13: *Levant id, quod exasperatum est, spodium, hebenus, gummi, ovi album, lac*, tragacanthum. Eidem tamen *Celso* forma etiam *tragacantha* placet *Lib. V Cap.* 2: *Glutinant vulnus myrrha, - - - psyllium*, tragacantha, *cardamomum*, &c. Græcorum scriptorum an ulli τραγάκανθον usurpetur, equidem non habeo dicere; qui hoc saltem scio, *Dioscoridi Lib. III Cap.* 23, & Auctori libri *de Simplic. medic.* quem *Galenum* vulgo putant, τραγάκανθαν formari.

TRANQVILLVM, *Subst.* Si quis est, qui, in colligendis verborum significationibus versandum accurate, putet, non is, recte in eo factum a *Fabro*, iudicabit, quod inter Substantiva locum negavit nomini *tranquillum*, origine sua, quod facile largimur, adiectivo, sed ipso Auctorum usu ad Substantiva translato. Mediocri enim Latini sermonis cognitione opus est ad id, ut scias,

vocabulo hoc, absolute posito, notari *tranquillitatem maris*, seu quod nos Germani *eine Meeres-Stille* dicimus. Non, quæcunque mihi nota sunt, Auctorum loca expromam: sunt enim plura numero, quam hæc pagina capiat; sed sufficiet, ex multis optima selegisse. Dabo igitur *Terentii* hæc in *Phorm. IV, 4, 9:*

- - - - Hem, si quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis;
Qui te ad scopulum e tranquillo *inferat;*

quem, sunt, qui negant, venæ *Terentianæ* versum esse, sed idonea omni ratione destituti. Addam his *Plauti* illa in *Casin. Prol. v. 26:*

Ludi sunt. Ludus datus est argentariis,
Tranquillum *est: Alcedonia sunt circum forum;*

ubi metaphora est vocis *tranquillum*, sed a tranquillitate maris desumta. Inprimis autem, quæ notentur, digna sunt loca *Plinii*. Is *Hist. nat. Lib. IX Cap. 7: Primum sæpe annotata piscium æstivo calore quædam anhelatio, & alia* tranquillo *velut oscitatio;* & *Cap. 10: Capiuntur multis quidem modis, sed maxime evecta in summa pelagi antemeridiano tempore blandito, eminente toto dorso per* tranquilla *fluitantes;* & *Cap. 30: Duobus hoc fieri generibus:* tranquillo *enim vectorem demissis palmulis ferire, ut remis. Si vero flatus invitet, easdem in usu gubernaculi porrigi;* denique *Lib. XVIII Cap. 35: Litora ripæque si resonabunt* tranquillo, *asperam tempestatem:* *item maris ipsius* tranquillo *sonitus, spumæve dispersa, aut aqua bullantes.* Accedant his duo versus *Senecæ*; alter in *Thyest. V, 960:*

Instat

Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla *tument;*

alter in *Troad. II, 200*:

- - - - Immoti iacent
Tranquilla *pelagi.*

Vel maxime etiam huc pertinent illa alterius *Senecæ* in *Epist. 85*: Tranquillo *enim, ut aiunt, quilibet gubernator est*; quo in loco Adverbium est *tranquillo*, si *Fabrum* & *Stephanum* sequaris; sed quibus nihil tale in mentem venisset, si hanc, quam posui, vocis *tranquillum* notionem habuissent cognitam. Hanc *Senecæ* sententiam pluribus explicat *Livius Lib. XXIV Cap. 8*: *Quilibet nautarum vectorumque* tranquillo mari *gubernare potest: ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus est. Non* tranquillo *navigamus, sed iam aliquot procellis submersi pæne sumus.* Eidem *Livio* vocis *tranquillum* frequens usus est: ut *Lib. III Cap. 14*: *Alibi popularis iuventus erat. Nec cetera modo Tribuni* tranquillo *peregere; sed refecti quoque in insequentem annum*; ubi in editionibus nonnullis legitur *tranquille*, sed quo reiecto, ex Codicibus probatissimis *tranquillo* restituerunt *Gebhardus*, & *I. F. Gronovius*, id, dicens, *tranquillo fieri*, quod fiat, cum cœlum sit tranquillum & sine tempestate, *Livio* autem eleganter hic *tranquillo* pro *sine tumultu* poni. Mireris tamen, hoc ipsum *tranquillo* a *Gronovio* in contextum non receptum, sed factum hoc demum a *Drackenborchio*, Codicum omnium consensum testante. His alia *Livii* iungo:

Lib. XXVI Cap. 51: Remigium, classicique milites, tranquillo *in altum evecti, agilitatem navium simulacris navalis pugnæ experiebantur. Lib. XXXI Cap. 23: Primis tenebris movit. Et* tranquillo *pervectus Chalcidem, paullo ante lucem, qua infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim proximam, murumque circa, scalis cepit*, &c. Ubi in nonnullis Codicibus legi *tranquillo pervectus mari*, sed illud *mari* perperam affictum esse a librariis, erudite in Nota docet *Drackenborchius. Lib. XXVIII Cap. 27: Non quod ego vulgari facinus per omnes velim, - - sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, venti & auræ cient; ita aut* tranquillum, *aut procella in vobis sunt: & causa atque origo omnis furoris penes auctores est;* &c. Ita enim legitur ex emendatione *Gronovii*, patris, quam probat, ut solet *Gronovii* pleraque, *Drackenborchius*. Vetustiores editiones ita habent: *Ut venti & auræ cient: ita aut* tranquillum, *aut procella in vobis sunt* &c. Ubi vocis *tranquillum* vim non intelligens, inepte ita verba refinxit *Rhenanus: Sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, ut venti & auræ cient, aut* tranquilli, *aut procellosi. Et causa in vobis atque origo omnis furoris penes auctores est*. Melius longe *Gronovius*, qui, unam voculam *ut* tollendo, plenam nobis commodamque verborum sententiam proponit. His alia duo *Livii* accedant loca, sed in quibus vocis *tranquillum* non proprius, sed translatus a mari ad rempublicam, significatus est: *Lib. III Cap. 40: Sibi placere,*

Digitized by Google

mare, de eo, quod Valerius Horatiusque ante Idus Maias Decemviros abisse magistratu, insimulent, bellis, quæ immineant, perfectis, republica in tranquillum *reducta, senatu disceptante, agi*; & *Lib. IV Cap. 43*: *Quemadmodum bellum minore, quam timuerant, dimicatione erat perfectum, sic in urbem ex* tranquillo *necopinata moles discordiarum inter plebem ac Patres exorta est*, &c. Ceterum ex ipsis, quæ modo allata sunt, locis patet, in voce *tranquillum* per elipsin omitti *mare*, eandemque Substantivi huius rationem esse, quam *Liviani serenum*, in quo intelligitur *cœlum*. Est illud *Lib. XXXI Cap. 12*: *Priverni* sereno *per diem totum rubrum solem fuisse*; & *Lib. XXXVII Cap. 3*: *Nursiæ* sereno *satis constabat nimbum ortum*. Etiam *Lib. XXVIII Cap. 17* in verbis: *Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo*, pro *cœlo* legendum *sereno* suspicatur *Gronovius*, pater, sed cuius rationes non satis validæ *Duckero* videntur.

TRANSMARITIMUS. Non hic illud ago, ut linguam Latinam novo vocabulo augeam, sed, ut caveant sibi a monstro vocis, moneo Lectores meos. Fieri enim potest, ut, si qui verba *Livii Lib. XL Cap. 18* in editione *Gronoviana*, quæ A. 1678 Amstelodami apud *Danielem Elsevirium* prodiit, ita expressa legant: - - *quod Terentini Brundusinique nuntiabant, maritimos agros infestos* transmaritimarum *navium latrociniis esse*, hic nihil minus, quam vitium scripturæ, suspicantes, hoc ipsum *transmaritimus*, quippe in castigatissima *Livii* editione obvium, vocem bo-

nam & Latinam putent. Qui ne incautum decipiat error, amice te, mi Lector, doceo, corrupte in his verbis, idque operarum vitio, *transmaritimarum* pro *transmarinarum* legi, nec in ulla, si alteram hanc *Gronovii* excipias, editione *Livii*, sive vetustiores, sive nostra demum ætate in lucem emissas, requiras, illius *transmaritimarum* vestigium exstare, quin ipsam *Gronovii* priorem editionem, quæ Amstelodami A. 1665 lucem adspexit, bonum illud & vere *Livianum* *transmarinarum* habere, nec hic quidquam variare libros MStos, certe nihil tale annotatum a *Drackenborchio*, haud in re tali negligenter solito versari.

TRIANGVLVM, *Subst.* Quod Substantivum *triangulus* ponitur in Lexico, in eo, dubito, an satis factum accurate sit. Nam, si aliunde hoc vocabulum auctoritatem non habet, nisi ex loco *Tullii*, in Lexico adducto, *de Nat. De. Lib. II Cap.* 49: *Grues, cum maria transmittunt*, trianguli *efficiunt formam*, &c. aut ex alio eiusdem *Libri* & *Capitis*: *Basis autem* trianguli, *quam grues efficiunt*, &c. nemo non videt, hunc gignendi casum æque esse a *triangulum*, ac a *triangulus*, posse. Mihi sane, huius nominis casum rectum *triangulum*, non *triangulus*, esse, vel inde satis certo est persuasum, quod clara exstent verba *Tullii Lib. II de Div. Cap.* 42: *Cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qua nascitur; aut in eam, qua coniunctum aliquod habeat, aut consentiens, ea* triangula

gula *illi & quadrata nominant*. Ubi *triangula* esse a Substantivo *triangulum*, nemo facile dubitet. Itaque periculo meo, Lector, in locum nominis *triangulus* aliud, ignotum Fabro, *triangulum* repone. Sic *quadrangulum* agnoscit Glossa vetus; *quadrangulus* veterum Auctorum, quod sciam, nemo habet.

TRIENNIA, *Subst.* Hoc nomine festum olim, *Baccho* sacrum, ac tertio quoque anno recurrens, appellatum. Malim id a *triennis*, quam, quae *Stephani* in *Thesauro* coniectura est, a *triennium*, putare ortum. Est enim *triennium* ipsum trium annorum spatium; *trienne* autem rem ipsam, quae est trium annorum, notat. Uni usurpatum id nominis *Ovidio* video *Lib. IX Metam. v. 641*:

Ismariae celebrant repetita triennia *Bacchae*,

Ita nempe, post alios, *Burmannus* legit, Codicum optimorum fidem secutus, sed hoc etiam in Nota docens, in libris tribus *triatica*, in uno *trietica*, in duobus *triaterica*, in uno denique *triterica*, legi. Eiusdem festi notiora sunt nomina *trieteris* & *trieterica*, ex Graeco orta, de quibus, ordine ita ferente, statim dicemus.

TRIETERICUS, *a, um.* Hanc aeque ac statim subsequentem vocem *Trieteris* inter composita vocabuli *Etesia* quaerere iubemur a *Fabro*, sed qui illo in loco voces has ne nominandas quidem duxit. Negligentiae hoc peccatum est, a *Fabro*, ut supra vidimus, saepissime commissum,

ignota enim huic tot Auctorum, illis vocabulis utentium, loca fuisse, equidem non putem. Græcæ originis vocabulum est *trietericus*, ex τρὶς & ἔτος compositum, proprie notans id, quod tertio quoque anno recurrit, seu *triennale*. Constat autem, hoc nomine inprimis appellata sacra *Bacchi*, quippe tertio quoque anno celebrari gentibus antiquis solita. Non rem ipsam pluribus hic explicabo, sed tantum vocabulo ex Poetis vetustioribus auctoritatem dabo. *Ovidius Met. VI*, 587:

> *Tempus erat, quo sacra solent* trieterica *Bacchi*
> *Sithoniæ celebrare nurus. Nox conscia sacris.*

Inde *nox trieterica* dicitur *Statio Theb. Lib. II v. 661*:

> - - - *non hæc* trieterica *vobis*
> Nox *patrio de more venit.*

Virgilio Orgia trieterica nominantur *Aen. IV*, 302:

> - - *Qualis commotis excita sacris*
> *Thyas, ubi audito stimulant* trieterica *Baccho*
> Orgia, *nocturnusque vocat clamore Cithæron.*

Sed absolute etiam *trieterica*, non addito *sacra*, aut simili nomine, ipsum illud festum *Bacchi* appellatur. Ita *Ovidius* in *Rem. am. v.* 593:

> *Ibat, ut Edono referens* trieterica *Baccho*
> *Ire solet fusis barbara turba comis;*

& *Lucanus Pharf. V*, 74:

> - - - - - *cui numine mixto*
> Delphina *Thebanæ referunt* trieterica *Bacchæ;*

ubi in editionibus & Codicibus nonnullis *triaterica*,

terica, sed id librariorum, aut operarum, vitio, expressum est.

TRIETERIS. Græcis τριετηρὶς *spatium trium annorum*, *triennium*, notat. Est igitur *trieteris* ipsum Græcorum vocabulum, sed frequenti Poetarum usu Latina civitate donatum. Certe apud Latinos scriptores vocabuli huius propria significatio hæc est, qua *trium spatium annorum* notat. Id optime intelligas ex *Martiale*, cuius loca uno plura hanc vocis vim tuentur. *Lib. VI Epigr. 38 v. 1*:

Adspicis, ut parvus, nec adhuc trieteride *plena*,
Regulus auditum laudet & ipse patrem;

Lib. VII Ep. 95 v. 3:

Sex mihi de prima deerant trieteride *menses*,
Ruperunt tetricæ cum mala pensa Deæ;

Lib. IX Ep. 86 v. 9:

Omne tibi nostrum, quod bis trieteride *iuncta*
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus;

denique *Lib. X Ep. 53 v. 3*:

Invida quem Lachesis raptum trieteride *nona*,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Postea ad sacra *Bacchi* transiit id nominis; quod, ex instituto veterum, hæc tertio quoque anno celebrari moris esset. Inde *Silius Italicus Lib. IV v. 778*:

Edonis ut Pangæa super trieteride *mota*
It iuga, & inclusum suspirat pectore Bacchum;

& *Statius Theb. Lib. IV v. 722*:

- - - - *Manet ingens gloria Nympham,*
Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achæis
Ludus, & atra sacrum recolit trieteris *Ophelten.*

Inpri-

Inprimis autem memorabilis locus *Ciceronis* est *Lib. III de Nat. De. Cap.* 23: *Dionysos multos habemus*: - - - - *quintum Niso natum & Tyone, a quo* Trieterides *constitutæ putantur*. Has *Trieterides* optime describit *Suidas* Voc. Τριετηρίδες: τριετηρίδες, ἡμέραι παρὰ Βιθυνοῖς, ἐν αἷς αφ' (*Kusterus* legi vult ἰφ') ἡμέρας πότοι σύνεχεῖς ἐγίνοντο· Καὶ παρὰ τὰς συνουσίας πᾶν γένος ἀκροαμάτων εἰσήγετο.

TRYPHERA. Inter compositiones medicas refertur a *Scribonio Largo*, eidemque sic describitur *Comp. med. Cap.* 90 *Comp.* 230: *Melior* Triphera, (sic legitur in vulgatis editionibus, sed recte, scribendum *tryphera*, monet *Io. Rhodius*,) *hoc enim nomen superius positum, medicamentum appellatur*: *facit ad omnia, quæ ferro debent tolli sine magno dolore. Idem hæmorrhoidas productas medicamento, quod supra positum est, tollit*. Reliqua, quæ usum huius medicamenti & compositionem docent, in ipso, si quis velit, Auctore legat. In his, quæ attuli, mendum agnoscit *Io. Rhodius*, idque felicissime emendat, sic legendo verba: *Melior* tryphera (*hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur*,) *facit ad omnia*, &c. aut, assumto lemmate, hunc in modum: *Ad eadem vitia melior* tryphera. *Hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur. Facit ad omnia*, &c. An, præter *Scribonium*, alius Medicorum veterum hanc aut explicaverit, aut nominaverit saltem, compositionem, me quidem fugit. Habet tamen Græcam vocem

Digitized by Google

vocem τρυφερὸν, unde est *Scribonii Tryphera*, *Galenus de Compos. med. sec. loca Lib. V Cap. 7*, & *Lib. VII Cap. 4*, cui id nominis notat *delicatum*, ut recte vertitur a *Iano Cornario*, docto illius libri interprete.

TROGLODYTIS, *idos*. Habet Aegyptus populum non ignobilem, nomine *Troglodytas*, ipsi, ut vides, nominatos descriptosque *Fabro*. Idem *Faber* orta hinc dicit vocabula *Troglodyticus* & *Troglodytica*, nihil addens de nomine *Troglodytis*, fœminam ex *Troglodytis* oriundam notante. Mihi ex *Scribonio Largo* notum est vocabulum, cui *myrrha* dicitur *troglodytis*, quæ ex terra *Troglodytarum* huc advecta est. Loca huius Auctoris uno plura sunt. Primum dabo ex *Comp. med. Cap. 22 Comp. 94*: *Est autem hæc, quæ componitur tribus rebus his: Piperis nigri electi & ponderosi granis duobus*, myrrhæ troglodytidos *pond.* *; alterum ex *Cap. 22 Comp. 90*: *Recipit hæc* Myrrhæ troglodytis *pon.* * *VI*; ubi *Henr. Stephanus* pro *troglodytis* legit, Græca flexione, *Troglodytidas*; tertium ex *Cap. 42 Comp. 169*: *Ratio componendi hæc est: Opobalsami,* * *P. trium, nardi Indicæ,* myrrhæ, troglitidis, *iunci rotundi floris*, &c. Ita nempe libri omnes vulgati habent; at bene a *Io. Rhodio* notatum est, pro *myrrha, troglitidis*, legendum *myrrha troglodytidis*, partim quod cetera, quæ adduxi, *Scribonii* loca hanc scripturam requirant, partim quod nullius sensus vox sit *troglitidis*, partim quod *Marcellus* ille, notissimus *Scribonii* imitator, aut expilator verius, in libri

sui

ſui *de Medicam. Cap. 29* ipſum hoc *Myrrhæ troglodytidis* habeat. Eidem *Rhodio* valde ego aſſentior, emendanti locum in *Vegetii Artis veterinar. Lib. I Cap. 11*, & pro vulgari illo *myrrha trigonitis ſemiunciam*, quod nullum ſenſum habet, nec felicius in editione *Sambuci* mutatum eſt in *myrrha draganti ſemiunciam*, legere nos iubenti *myrrhæ Troglodytidis ſemiunciam*, eodemque modo refingenti verba eiusdem *Vegetii Lib. I Cap. 16*, vulgo ita exſcripta: *Mirræ trigonitis libram 1, thuris maſculi lib. 1*, &c. Iuuat autem hanc loci poſterioris emendationem illud inprimis, quod ad marginem huius loci a librario neſcio quo adſcriptum eſt *troglita*, id quod a rectiori *troglodytidis* parum diſcrepat. Legiſſe neminem pœnitebit, quæ docte diſputata ſunt a *Rhodio* ad *Scribonii Cap. 22 Comp. 90*, & *Cap. 42 Comp. 169*.

VICANVS, *Subſt.* Mihi inter Subſtantiva numerare liceat hanc vocem, ob manifeſtum locum *Livii Lib. XXXVIII Cap. 30: Nocte adorti vicum maritimum, nomine Lan, improviſo occupavere.* Vicani, *quique ibi exules habitabant, primo inopinata re territi ſunt: deinde ſub lucem congregati, levi certamine expulerunt Lacedamonios.* Hic enim *vicani* ſint ipſi vici incolæ, ſicut *pagani* ſunt, qui pagos inhabitant, *oppidani*, qui in oppidis morantur. Has voces, facile conceſſerim, ortu ſuo adiectivas eſſe; ſed uſu poſtea & ſignificatione, quam vel ex *Livii* hoc loco intelligimus, hæ ſuum inter ipſa Subſtantiva locum acceperunt.

VIO-

Digitized by Google

VIOLATRIX. Inauditum, si aliis omnibus, at non mihi, vocabulum. Eo usum video Auctorem veterem *Argumentorum*, *Fabulis Ovidianis* præmissorum, *Arg. Fab. VI & VII*, ubi ita ille: *Dryope*, *Euryti filia*, - - - *cum ad lucum sacratum Nymphis dona ferens venisset*, *& ex arbore loto ramum decerpsisset*, *quo parvum filium*, *nomine Amphison*, *quem secum tulerat*, *oblectaret*, *in quam Lotos*, *fugiens Priapum*, *erat transfigurata*, *quia sacræ arboris extiterat* violatrix, *trunco eius basis infixa*. Forma vocis satis Latina est, sed usum desideramus, nec, ut ab obscuro illo *Argumentorum* scriptore voces Latinas petat, suasor cuiquam ero.

VMBRATICE. Ab *umbraticus Cassiodoro* formatur *umbratice*, *diligere umbratice* dicenti pro *simulate*, ad speciem tantum, non re ipsa & opere, *diligere*, in libri *de Amicitia Cap. 32 §. 8*: *Novum quidem præceptum est*, *a quo emanat illa dilectio*: *nam*, *cum veteris legis edicto præcipiamur amicum diligere non* umbratice, *non simulatorie*, *sed opere & veritate*, &c. Nimirum, ut umbra speciem tantum rei, non rem ipsam, refert, sic *umbratice diligere* est speciem amoris tenere, non amorem ipsum. Ita eleganter satis dictum putem, etsi Latine parum.

VTRIMSECVS. Satis notum Latinis auribus Adverbium *utrimquesecus*; sed magis forte peregrinum *utrimsecus*. Usus autem hoc putari debet *Corn. Severus* in *Aetna* versu 503, si locus re-

Digitized by Google

relinquatur coniecturæ *Ios. Scaligeri*, versum hunc, olim ita a librariis exscriptum:

Incolumi fervore cadunt verum impetus *ignes*,

sic refingentis, ut pro *verum impetus* legat *utrimsecus*. Ideo enim legendum *utrimsecus* putat, quod ex duobus crateribus ignes cadant, idque commode hac vocula expressum sit a Poeta. Tulit assensum hæc coniectura *Goralli* (*Io. Clerici*), qui, *utrimsecus eleganter coniecit Scaliger*, inquit, *pro utrimque*, sed hoc simul monet, non his de crateribus sermonem esse Poetæ, verum de duobus lapidibus, inter se collisis. Quod vero de hac voce legere nos ea iubet *Gorallus*, quæ *G. I. Vossius* in *Etymologico* nos docuit, in eo, dubito, an is satis vocabuli integritati prospexerit. Frustra enim *Vossius* auctoritatem huic voci conciliare nititur ex *Apuleii Libro IX* & *Solini Capite 16*; quibus in locis castigatissimæ quæque editiones non *utrimsecus*, sed *utrimquesecus*, habent. Glossis autem vetustioribus, quarum idem *Vossius* testimonio utitur, quantum tribuendum sit, omnes sciunt. Mihi, quantumvis diligenter inquirenti, non memini obvenisse locum ullum, qui voculæ huius præbeat vestigium. Neque tamen acuminis laude frustrandam putem emendationem *Scaligeri*, qui, restituendo hanc voculam, desperata, & vix ullo alio remedio sananda, ulcera sanavit. Et facilius hanc syllabarum contractionem, quæ est in *utrimsecus*, a poeta, quam a prosæ orationis scriptore, exspectaverim.

XVI. C.

Xylocinnamvm. Quod *Dioscoridi* *ξυλοκιννάμωμον*, *Plinio* que *Hist. nat. Lib. XII Cap. 19*, & ex hoc ipsi *Fabro* meo, *xylocinnamomum*, dicitur, idem *Xylocinnamum* vocari video *Scribonio Largo* in *Comp. med. Cap. 104 Comp. 271*, ubi ita ille: *Sumere oportet* --- xylocinnami *pondo quadrantem*, *cardamomi pondo quadrantem*, &c. Ego utramque vocis formam facile probaverim, quod sit eius vocis, unde ductum est *xylocinnamum*, duplex forma cognita, nec minus *cinnamum*, quam *cinnamomum*, bonum sit. Et, si *Plinio Hist. nat. Lib. XII Cap. 20* *isocinnamon* probatur, quidni tolerabile Latinis auribus *xylocinnamum* putetur?

VII.
GISBERTI CVPERI
AD
THEODORVM IANSSONIVM
AB
ALMELOVEEN
EPISTOLAE, ITERVM CONTINVATAE.

EPISTOLA X.

Arg. *Veteres in lectis apertis recubasse, novis argumentis probatur. Ad Almeloveenii de Poculis veterum Dissertationem variae animadversiones exhibentur. Vestis fulgurita in sacris quae fuerit, exponitur.* Θ. K. *in loco Servii explicatur. Victoriam in nummis cerni victori coronam imponere, negatur.*

Diu est, quod constitueram te convenire, & doleo vehementem in modum, me sem-

Digitized by Google

per ab eo proposito per negotia, quae me satis multa exercitum habent, fuisse reiectum. Ita enim rationes meas inibam. Vir doctissimus, *Almelouenius*, me toties compellavit verbis eruditis & amicis, & ego semper respondentis partes tutatus sum; hoc non æquum est amplius, *Cupere*; quapropter, abiectis posthabitisque aliis rebus, occupa virum praestantis ingenii, & litteras tua sponte ad eum mitte. Hæc mihi Swollæ agitanti redditur epistola tua una cum Dissertatione philologica *de Poculis veterum*, quae te præside, auspice, & duce, habita est; & hinc facile credes, te currenti addidisse calcaria. Agam igitur, bona tua cum venia, de argumento, de quo tecum confabulari constitueram, & inde respondeo litteris tuis amantissimis.

Memini, nos inquisivisse olim, an veterum lecti fuerint plagulis, vel tabulis, ad instar nostratium tecti & circumdati, an vero illi recubuerint in lectis, vel grabatis, apertis. Hoc ultimum mihi non displicuisse, significavi in epistola, quam 10 Iunii proximi die ad te dedi, & nunc illud pluribus conabor probare. In *Admirandis Urbis Romæ*, quæ *P. Bellorius* illustravit, pictura *Meleagri* interitum nobis repræsentat, & ille moribundus iacet in lecto aperto plane, vel scimpodio. *Lampridius* in *Vita. Alex. Seueri cap.* 13. memorat, *Traiani picturam decidisse in lectum patris genialem, cui imminebat*: id quod certe fieri non potuisset, si lectus superne fuisset tectus. *Herodianus L. 9, M. Antonino* moribundo σκιμπόδιον

tribuit,

tribuit, non secus ac *Pertinaci*, nondum Imperatori, *II*, *I*, qui idem, *Gordianum*, Procos. Africæ, cum ad imperium eueheretur, scribit, meridiantem iacuisse ἐπὶ τινος σκιμποδίου; quod ultimum tamen non satis validum argumentum est. *Lampridius* in *Heliog. cap. 19* scribit, eum *primum omnium privatorum toros aureis toralibus texisse*; & notat *Casaubonus*, in apparatu *lectorum* fuisse ὑποβλήματα, ἐπιβλήματα, & περιβλήματα; torale fuisse τῶν περιβλημάτων, & recte in Glossario verti περίκλινον, stragula, quibus tori sternebantur, pretiosissima veteribus fuisse. Et notatur in *Thesauro Fabri* a viris doctis, ex mente *Casauboni toralia* fuisse, quod nos (Germani) *Vorhange* appellamus; Belgæ enim illum ornatum appellant *een Behangsel*; id quod velim aliis locis firmatum foret. Addunt tamen eruditi illi viri, *toralia* videri etiam dicta pretiosiores vestes, quibus torus stratus integebatur ornatus causa, *kostlyche bettdecken*; illoque facere *Varronis* apud *Nonium* verba: *Quod fronde lectica struebant, ex ea herba torta torus appellatus est: hoc, quod iniicitur, etiamnum toral dicitur.* Sed crediderim, *Lampridium* argumento nostro non conuenire, eumque agere de lectis tricliniaribus, unde & mox ita loquitur: *Deinde æstiua conuiuia coloribus exhibuit*; adhæc περίβλήματα illa nihil cum nostris *Behangsels* habere commune; sed texisse inferiorem tantum lectorum, siue cubicularium, siue tricliniarium, partem. Qui de lectis cubicularibus scripserunt, de pretiosissimis quidem vesti-

bus, stragulis, & toralibus, loquuntur, sed ne meminerunt quidem eiusmodi περιβλημάτων, quibus nos hodie lectos obtegimus; & ita *Athenaeus Lib. V* scribit, fuisse in *Semeles* thalamo, vel lecto, χιτῶνας τινὰς διαχρύσους καὶ χιθοκολλήτους τῶν πολυτίμων. Obduxerunt tamen lectos lineo, vel alio, tegmine ad arcendos culices, quod *conopeum* vocabant; sed non inueni, illud quid simile habere cum nostris periblematibus, vel *Bebangsel.* Nam *Spartianus* scribit *cap. 5, Aelium Verum, reticulo minuto undique inclusum, lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecisse;* & notat *Casaubonus*, hoc reticulum fuisse conopeum, reticulato opere confectum, & eiusmodi conopea apud Aegyptios etiam fuisse, inde ad alias gentes usum manasse, & ideo *Herodianum* ea appellare ἀμφιβλήστρας. Sane, si propter solos culices hoc factum est, nihil hoc velamen commune habet cum nostris tegminibus; fuitque procul dubio pellucidum ad instar lineorum, quae nos *Gasen* appellamus, immo & rarius multum, & ad instar retium. Nam *Herodianus II, 95*, tradit, in Aegypto magnam vim culicum esse, ab iis ut sese tutarentur, qui in paludibus habitabant, habuisse ἀμφίβληστρον, *rete*, vel *retia, quibus per diem capiebant pisces, & nocte cubilia, in quibus dormiebant, tegebant,* & notum est, ἀμφίβληστρον *rete*, vel *verriculum*, esse, adeo ut haec loca nihil faciant ad mores nostros, vel lectos plagulis, ex serico, vel alia materia, factis, undique tectos. Et ita *Propertius III, 11*, & *Horatius Epod. 9*, *Cleopatrae conopeum* tribuunt, cum *Antonio* Romanis bellum inferenti.

Inter-

Digitized by Google

Interpretes explicant de lecto, qui tali velamine cinctus est in modum testudinis, quales nos vocamus *een pavillon;* nec damno; sed ex Poetarum inuectiua patet, illum morem Romanis minime tunc temporis usitatum fuisse. Quin & subdubitavi nonnunquam, an non *tentorium* designetur. Ita enim ille canit:

Fœdaque Tarpeio conopea tendere saxo,
Iura dare statuas inter & arma Mari.

Nam *tendere* commodissime de tentorio usurpatur; ita ut *Cleopatra* sedens in illo tentorio, facta ex tenuissima materia, dicatur ius voluisse dicere Romanis in ipso Capitolio. Hic vero:

Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Seruire rugosis potest;
Interque signa (turpe!) militaria
Sol adspicit conopeum.

Ubi *Cruquii* commentator: *Conopeum genus est retis ad muscas & culices abigendos, quo Alexandrini potissimum utuntur propter culicum abundantiam. Hic autem accipitur pro omnibus deliciis & mundo Cleopatræ; κώνωπες autem culices dicuntur; hinc κωνώπεια vela ad arcendos culices;* unde patere videtur, eum intelligere vela, quibus lectum suum tegebat *Cleopatra;* quo respiciens forte *Propertius, fœda* dixit *conopea,* qua nuptiæ *Antonii* & *Cleopatræ* a Romanis improbabantur, & regina illa erat habebaturque vitæ dissolutæ. Doctissimus *Dacerius* arbitratur, *κωνωπεῖον* esse tentorium, *un pavillon,* quo foeminæ Aegyptiæ utebantur ad sese tutandas

das ab iniuriis muscarum, & *Horatium* canere in opprobrium Romanorum, cerni inter insignia militaria *conopeum*, quod erat loco tentorii, in quo erat imperator, *le General*, quod proprie vocabatur prætorium. In testudinis autem formam hæc lectorum conopea facta, &, Romanis luxuriosis etiam fuisse in usu, patere putant nonnulli ex *Iuvenalis Sat. VI*:

Ornentur postes, & grandi ianua lauro,
Vt testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.

Notat vetus Scholiastes; CONOPEO: *Hoc est linum tenuissimum, maculis variatum, quia Latini conopeum culicare dicunt.* *Cælius Secundus* scribit, conopeum in testudinis formam fuisse suspensum; sed nescio, an eo sensu *testudineus* usurpetur; quia *testudineatum*, vel, ut alii legunt, *testudinatum*, *Plinio* est concavum in formam testudinis, & *testudineum Martiali* & aliis ex testudine factum; unde *Gangraeus* explicat de *eburneo*, partemque pro toto accipi arbitratur, & præterea describi lectum puerperae, quas in eiusmodi lectis iacuisse, probat ex *Varronis de R. R. II, 10*: *Et, ut te audivi dicere, cum in Liburniam venisses, te vidisse matresfamilias eorum afferre ligna, & simul pueros, quos alerent, alias singulos, alias binos, qua ostenderent, foetas nostras, quae in conopeis iacent, dies aliquot esse lenuncidas* (Scal. *eiuncidas*) *& contemnendas.* Puto, eum per *foetas nostras iacentes in conopeis* designare foeminas gravidas, vel puerperas potius, quæ Romæ in eiusmodi lectis iacebant, quasque opponit mulieribus Liburnis;

&

Digitized by Google

& inde patere, Romæ iam *Varronis* ætate eiusmodi lectos, sive lectorum operimenta, in usu fuisse; sed puerperis, & nequaquam viris, qui scilicet iacebant & dormiebant in lectis apertis. Quid? quod hæc conopea aliter longe lectos operire potuerint, ita ut non fuerint facta, quemadmodum nostratium *pavillons*; & *Iuuenalis* videtur tradere, non tam lectum, quam cunas, ita fuisse tectas; unde non absque ratione notat *Farnabius*, per conopeum intelligi debere lectum, vel cunas, velo coopertas ad arcendos culices, & nos scimus, quomodo cunæ nostræ tegantur. Nunc ad epistolam tuam venio. *Braunius* noster mihi etiam vehementem in modum commendavit *Alstorfium*, & ego Swollæ litteras illas, nec non Disputationem inauguralem *de Asylis*, continuo misi Daventriam, domumque redux intellexi, plurimos magistratus favere *Matthæo*, quia iam priuatus scholas Lugduni Batavorum magno cum concursu habuit, & inde factum, uti ante paucos dies electus sit in Professorem publicum.

Legi insuper Dissertationem *de Poculis veterum*, quæ te Præside habita est; & patere, ut locis nonnullis miniatulas ceras apponam.

Pag. 5 dubitatur, num pocula facta sint ex putaminibus ouorum struthionum; sed ne dubitandum mihi quidem videtur esse, cum scissa, vel diuisa, struthionum oua satis capacium poculorum usum praebeant, cum ipse ea viderim, & *Harduinus* idem testetur in notis de Nierembergio; atque adeo *Plin. X, 1*, diserte dicat, *oua eorum*

propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis fuisse; ergo etiam *pocula* inde *fieri* potuerunt, ex scissis nempe & divisis, non autem contusis.

Pag. 17 legitur: *Quin immo quandoque pocula veros hominum vultus referebant.* Hæc verba videntur significare, pocula fuisse vultus hominum, vel vultus eorum ita fuisse factos, ut ex iis potare quis potuerit; sed illud nequaquam probant Auctorum loca, quae allegantur. Nam *Ciceronem* quidem puto *Lib. IV. de Finib.* tradere, discipulos *Epicuri expressam habuisse illius imaginem in poculis, tabulis, annulis;* quæ nempe, ut in tabulis pictæ, ita in annulis & poculis sculptæ erant. Idem dicendum de *Meletio Antiocheno* apud *Chrysostomum*, & de vultu *Alexandri M.* quem *Cornelius Macer*, ex familia *Macrianorum*, habuit in patera electrina. *Trebellius Pollio cap. 13 Trig. Tyrann.* postquam dixisset, viros illius familiæ *Alexandrum Magnum* habuisse in annulis & argento, mulieres vero in reticulis & dextrocheriis, addit: *Vidimus proxime Cornelium Macrum, in eadem familia virum, cum cenam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret signis brevibus & minutulis, Pontifici propinare;* quæ certe quam clarissime docent, vultum illius regis pateræ insculptum fuisse, & quidem, ut puto, in fundo, vel media interiore patera.

§. 20 de pretio poculorum agitur, &, eo dementiæ Romanos venisse, scribitur, *ut C. sestertiis*

Digitized by Google

tiis unum emerent, teste *Plinio XXXIII*, 2; sed dicto loco nihil tale reperio, & puto, designari *Caput* 11 *Libri* eiusdem, ubi *L. Crassus orator* dicitur *duos scyphos, Mentoris artificis manu cælatos, emisse centum sestertiis*; sed illi constituunt tantum tres imperiales secundum nostram monetam; quare addendum fuerat, non ibi memorari *sestertios*, verum *sestertia*, & ita summa erit *centum millia sestertia*, vel *sestertium*, quæ efficiunt 2500 Philippicos, si eorum pretium, uti in Brabantia, facis trium florenorum.

§. 19 scribitur, poculis *insculpta fuisse insignia gentilitia*, *& familiæ stemmata, resque a maioribus gestas.* Si per *insignia gentilitia*, ut videtur, intelliguntur insignia, quibus hodie distinguimur, & quæ vocamus *Wapene*, vel *Armoiries*; utique error est, quia illis caruerunt veteres. *Facta maiorum* poculis insculpta fuisse, patet ex locis laudatis in ipsa Dissertatione, nec non aliunde; sed *insignia* & *familiæ stemmata* nunquam veteribus usurpantur eo sensu, quo nobis sunt in usu.

§. 22, pocula donata fuisse aliis, nullus dubito, in amicitiæ symbolum; sed locus *Virgilii* mihi id firmare nequaquam videtur; & *Didonem* puto *Bitiæ* pateram dedisse, ut illam ebiberet:

Primaque libato summo tenus attigit ore,
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro;

quo pertinet, *Servium* notare, Reginam hunc

elegisse, quia sciebat, esse vini amatorem, eumque clara voce hortatum esse, uti non omne vinum hauriret; nos talem appellamus *een Voordrincker*; nec credibile, *Didonem* pateram, gravem auro & gemmis, & ex qua maiores libare & bibere erant soliti, alicui ex suis dono dedisse. Vale plurimum. Daventr. 30 Ian. 1702.

Dum epistolam tuam iterum inspicio, video, te mihi quæstiones alias ponere, & quaerere, quænam sit vestis *fulgurita*, qua sacra celebraturi, consueverant uti, auctore *Servio* ad *Virg. Aen. XII, 169*, ubi pro Θ. K. *homine mortuo*, forte etiam legendum putas Θ. I. E. *id est, homine mortuo*, & addis, eiusdem vestis etiam meminisse *Festum* in voce *pura*, & ex eo nihil amplius elici posse, nec te legisse adiectivum *fuligineum*, eam lectionem alias non absurdam videri; tandemque quæris, an viderim unquam *Victoriam*, triumphanti occurrenti coronam offerentem, eamque te semper vidisse significas sequentem victoribus eandem imposuisse.

Verba *Servii* aliter leguntur apud *Scaligerum* ad *Festum*, & in notis *Taubmanni*: *neque maculam habent ex homine mortuo. La Cerda* iterum aliter ea edidit: *ut neque funesta sit, neque fulgurita.* Θ. K. arbitraturque, inde morem elici posse, ut vestes, quæ iam funeri peragendo inserviissent, haberent Θ. *ἀπὸ τῦ θανάτυ*: quæ ictæ fulmine, aut fulguritæ, haberent K *ἀπὸ τῦ Κεραυνῦ*: quibus videtur mihi significare, eas litteras eiusmodi

modi vestibus fuisse inditas; atque adeo, si hæc viri sententia, locus ille addendus foret aliis, quibus apud *Rubenium Lib. I cap. 10* de lato clavo, docemur, palliis, aliisve vestibus, litteras, vel etiam nomina propria, fuisse intexta. Sed ego illi, absque idoneo auctore hoc asseveranti, fidem nullam habeo, & puto, aliter longe *Servium* esse interpretandum.

Et primo quidem, cum scribis, *sacra facta esse in veste fulgurita*, aciem ingenii tui non advocâsti; contrarium enim *Servius* tradit, uti integra illius verba quam clarissime docebunt: *Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. Ut* neque *funesta sit*, neque fulgurita, *neque maculam habeat* Θ. K. *homine mortuo.* Attende, quæso, & animum adverte; considera τὸ *neque*; & persuasissimum habebis procul dubio, *in veste fulgurita* nulla sacra facta esse; eamque *puram & impollutam* dici, quæ non sit funesta, nec fulgurita. Et hoc idem tradit nobis *Festus*: *Pura vestimenta sacerdotes populi Romani, cum sacrificabant, habere soliti erant, id est, non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculata*; ubi *Scaliger* scribendum putat *non obstita*, id est, *fulgurita*; sed, cum idem mox sequatur, dubitabam nonnunquam, an non per *obsita* denotari possint vestes, quibus panni (*lappen*) erant adsuti, unde apud *Terentium pannis annisque obsitus.* Quicquid sit, patet ex eo loco, nullum usum ful-

Digitized by Google

guritorum vestimentorum in peragendis sacris fuisse, id quod clarius apparebit, si sequentia cum viris eruditis ita supplenda sunt: *ex hac caussa, quod impura ea vocabant, quæ iis modis ita erant vitiata*, vel *quibus sacra erant vitiata.* His adde, a superstitione gentilium plane illud, quod tradis, alienum fuisse; & vel loca fulmine tacta fuisse ominosa & consepta; ne quis ea calcare, vel aliquid inde decerpere, posset. *Varro Lib. IV de L. L.* ubi de lacu Curtio agit: *C. Aelius & Q. Lutatius scribunt, eum locum esse fulguratum, & ex SCto septum esse, idque factum esse a Curtio Consule, cui Marius Genucius fuit collega, Curtium appellatum.* Ita narrat *Diodorus Sic.* in *Exc. Valesianis*, *Agathoclem*, fulmine ictum, cum sua domo conflagrasse, & Geomoros, consecrantes locum, fecisse eum *ἄβατον τοῖς εἰσιοῦσιν*, & inde suo etiam tempore vocatum esse *ἐμβροντᾶιαν.* Romani locum talem vocabant *bidental*, & propter religionem *Persius* illud appellat *evitandum Sat. II*, ad quam hæc notat Scholiastes: *Locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est*; cui addi potest *Cornutus*, qui male, *bidental*, dicit, esse *fulmen*, nec non *Casaubonus* ad eum locum, & *Salmasius ad Solin. p. 1140.* His adde, fulguritos homines non licuisse tangere, nec cremare, vel iis iusta facere, sed in loco, ubi fulmine percussi erant, fuisse conditos, locumque illum sacrum & religiosum habitum, ut docet *Kirchmannus Lib. I cap. 3 de Funer.* & *Gutherius de Iure manium*, aliique.

Cum

Digitized by Google

Cum igitur, quicquid fulgure contactum erat, habeatur religiosum, & ita eximeretur hominum usibus; quis credet unquam, sacerdotes, quos non nisi pura decent, in veste fulgurita, & proinde vel scissa, vel maculata, sacrificasse; mihi certe id prorsus alienum a veterum superstitione videtur; & *vestimenta fulgurita* nulla mihi alia sunt, quam fulmine tacta, sive perstricta; nec quidquam aliud mysterium in iis latere existimo; & ita *fulguritas arbores* dixit *Plautus*, & *Festus* in hisce verbis, quæ huc inprimis pertinent: *Fulguritum id, quod est fulmine ictum, qui locus statim fieri putabatur religiosus, quod eum Deus* (*Gronou. I Obs. 13* leg. *Dius*) *sibi dicasse videretur.* Atque hinc perspicies, nihil necesse esse, ut τὸ *fulgurita* mutetur in *fuliginea*, licet ea vox in usu esset: (id quod analogiæ contrarium nequaquam est, quia, ut a *testudo testudineus*, ita a *fuligo fuligineus*, derivari commode potest,) nam nec sic illa argumentatio conveniret, quia vestimentum fuligine infectum ne quidem *purum* posset dici; & in sacrificiis non nisi pura, elota, maxima parte candida, & a maculis purgata, adhiberentur. Sed tandem scire equidem velles, quid mihi videatur de litteris Θ. K. Vidisti procul dubio, mihi displicuisse coniecturam Iesuitæ; tua illa non inelegans est, Θανάτῳ, I. E. *id est homini mortuo;* sed, cum in MS. *Danielis* scribatur Θ. K. constanter ego, aliter rem gerendam esse, existimo; &, licet omnia mea nequaquam putem ex tripode proficisci, tamen parum abest, quin habeam

beam persuasum, hic designari Deos inferos, vel Deos Manes; ita ut Θ. K. nihil aliud mihi videatur esse, quam Θεῶν καταχθονίων. Nosti, frequentius nihil esse in Inscriptionibus Græcis sepulchralibus, quam eas siglas, & non aliter easdem posse explicari; atque adeo idem significare, quod *Diis Manibus*; adeo ut putem, *Servium* per vestem, *quæ maculam habet Θεῶν καταχθονίων homine mortuo*, intelligere & designare vestem, quæ ex aliqua re ad cadaver & sepulturam pertinente polluta sit.

Quod ad alteram quæstionem attinet, an non *Victoria* in ullo monumento coronam imponat victori, vel triumphatori, occurrenti, sic habe: me ubique fere contrarium obseruasse; sed tamen in nummis gentis *Cæciliæ*, *Corneliæ*, *Egnatiæ*, *Manliæ*, *Memmiæ*, *Numitoriæ*, *Porciæ*, *Sulpiciæ* que, *Victoria* volitans coronam imponit victori, vel triumphatori, certe curru vecto Imperatori, sibi occurrenti; id quod etiam observes in uno Ceraunienſium apud *Goltzium Tab. 26 Insul. Græciæ;* & in alio gentis *Aciliæ*, qui inter omissos a *Patino* recensetur, *Victoria* stans ita coronat caput D. *Iulii;* & memini, me alia exempla vidisse; sed numeros teneo, non verba, satisque diu tibi molestus fui. Vale plurimum. Davent. 1 Febr. 1702.

Litteras ad amicum nostrum *Anton. van Dalen*, rogo, legas, & clausas curare diligenter velis.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

Arg. AA. *in statua Aegyptia quid notet, disquiritur. Veritatem ab antiquis ut Deam cultam, multis rationibus negatur.*

Ex litteris, quas ultimo mense proximo festinabundus valde ad te dedi, perspexisti procul dubio, mihi tunc *ἀδύνατον* fuisse, respondere acceptissimis & eruditissimis tuis coniecturis. Nunc paullulum Musis redditus, facere non possum, quin stem promissis, & mittam, quid mihi de illis videatur. Prima certe fronte unusquisque dicet, te rem acu tetigisse, & AA basi aræ inscriptum explicari debere per ΑΛΗΘΕΙΑΣ, & aræ historiam thus iniicere, quia eius præcipua virtus veritas, adque adstare ΜΥΘΟΝ, vel fabulam, quia ficta debent esse proxima veris, præcipue tragœdiæ & comœdiæ, a quibus si abest verisimile, dignæ utique sunt, ut explodantur. Illud me valde dubium & incertum facit, an elegans tua coniectura admitti possit, quia *Veritatis* nulla additur statua, id quod tamen videntur postulare aliæ virtutes, quæ *Homero* tribuuntur artificiose repræsentatæ. Nam, licet ego nunquam legerim, *Veritati ἀληθείᾳ* aras, vel templa, posita, atque adeo eandem ut Deam cultam fuisse, invenio tamen, eam dici *Iovis filiam* apud *Pindarum Od. X Olymp.* vel *Saturni*, siue *χρόνου, temporis*, apud *Plutarchum* in *Quæst. Rom. Apollinis nutricem* apud eundem *2 Sympos. Quæst. 9;* & inde coniicio, eam etiam potuisse in marmore sculpi; atque ita *Philostratus* in *Amphiarao* scribit, prope

pe

Digitized by Google

pe antrium illius fatidicum pictam fuisse *ἀλήθειαν λευχειμονοῦσαν*, *niveis vestibus amictam*; & *Hippocrates* apud *Gyraldum*, qui & reliqua loca mihi suppeditavit, eandem magnifice describit, licet non credam, talem *Veritati* statuam positam fuisse, sed magnum illum Medicum virtutem hanc primariam ex sua natura ita describere, non secus ac mox *opinionem*. Num autem *Veritatis* apud Aegyptios simulacrum, de quo agit ex *Diodoro* & *Baptista Leone Gyraldus*, huc pertineat, inquirendum est. *Ælianus XIV*, 34, *Var. Hist.* memoriæ mandat, iudicem apud Aegyptios primum vel principem habuisse *ἄγαλμα*, *imaginem ex sapphiro confectam*, *ex collo pendentem*, eamque vocatam fuisse *ἀλήθειαν*, *veritatem*. *Diodorus Sic. Lib. V* illud appellat *ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων*, *ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν*, *simulacrum ex lapillis pretiosissimis*, *cui veritas nomen.* Certe *ζώδιον* significat imaginem & simulacrum. Inde in Glossis legitur, *sigillum*, *ἀνδρείαν τάριον*, *ζώδιον σφραγὶς*, & *ζώδιον sigillum*, *signum*, *ζωδιοποιὸς*, *signarius*, *signa ζώδια*, *σημεῖα*, apud *Athenæum Lib. V pag.* 205, ubi navem stupendam *Ptolemæi Philopatoris* describit, *ἐκ χρυσοῦ τὸ ὅλον*, *ἐφ᾽ οὗ διάζωσμα ἐφήρμοστο*, *περιφανῆ ζώδια ἔχον ἐλεφάντινα μείζω πηχυαίων*, *τὸ ἐπιστύλιον*, *simulacra eburnea*, & notat *Salmasius* ad *Solin. pag.* 556, *ζώδια*, quæ *Aristoteles* scribit ex sale, sole durato, facta esse, a *Solino* appellari *signa ad facies hominum & Deorum*; ubi vir ad miraculum

doctus

doctus carpit *Solinum*, quod scripserat, in *Pachino translucidum salem inveniri*, cum tamen putet, in eo Siciliæ promontorio nec salem inveniri, nec quemquam id veterum prodidisse; sed ego arbitror, *Solinum* respicere salem, qui fodiebatur iuxta Gelam, qui fluvius, vel urbs, propior erat Pachino, quam alii promontorio; cuius salis meminit *Plinius XXXV*, 7, ipso initio, & de quo eodem *Capite* ita loquitur postea: *circa Gelam in eadem Sicilia tanti splendoris, ut imaginem recipiat*, &c. & fallor, aut *Solinus* hoc expressit per *translucidus*; quanquam aliud sit *translucidus*, & *imagines recipere*; & melius *Plinium* sequatur *Isidorus XVI*, 5: *item in eadem Sicilia in Pachino adeo splendidus & lucidus, ut imagines reddat*; apud quem mox pro *fulmentis*, scribendum esse iudico *pulmentis*. Sed hoc obiter, &, ut ad *Veritatem* Aegyptiorum revertar, illa loca nondum satis docent, ἄγαλμα, ex pectore primi iudicis pendens, fuisse humana forma; certe LXX interpretes *Thummin* vertunt ἀλήθειαν, respicientes forte ad hunc Aegyptiorum morem, eosque sequuntur Vulgatus, *Hieronymus*, & *Chrysostomus*, & constat utique, Urim & Thummin humana forma nequaquam fuisse; quanquam *Spencerus* existimet, Urim fuisse instrumentum concavum, decore fabricatum, & forte simulacrum parvulum, effigiem humanam referens, Theraphin antiquitus appellatum; quæ opinio ab aliis refutata est. Quin & ζώδιον significat quasi per excellentiam signum coeleste, & inde Zodiacus nomen habet, uti patet

Digitized by Google

ex *Pollucis Lib. IV*, & notissimum est. Et hinc fit, ut tibi darem considerandum, an non potius hoc simulacrum Aegyptiorum iudicis retulerit aliquod sidus cœleste, vel astrum, nisi mihi occurreret alius eiusdem *Diodori* locus *Lib. V*, ubi describit sepulchrum magnificentissimum Regis *Osymandua*, & narrat, in uno parietum sculptos fuisse XXX iudices, inque medio eorum *ἀρχιδικαστὴν, ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπιμύοντα*, *veritatem clausis oculis collo appensam*; & mox, *τὸν ἀρχιδικαστὴν πρὸς μόνην βλέπειν τὴν ἀλήθειαν*, *iudicem primum ad solam veritatem respicere debere*. Atque, ut hinc docemur, male *Baptistam Leonem* apud *Gyraldum* regem illum appellare *Simandum*, & scribere primatum, (vel iudicum,) sacris indumentis vestitorum, ex collo ad pectus pependisse suspensam veritatem, cum ille *Osymanduas* appelletur, & solus Archidicastes veritatem in pectore pendentem habuerit; ita clausi veritatis oculi satis indicant, eam imaginem fuisse; & sane hinc nullum argumentum sumi potest, Veritatem ab Aegyptiis ut Deam fuisse cultam.

Sed quo tandem provectus sum? Redeundum mihi est ad metas, & agendum pluribus de non ineleganti tua coniectura.

Nullam igitur rationem video, cur *arcam* facere debeamus symbolum *veritatis*; cum semper fuerit pietatis; nec potest illa veritati cipata fuisse, quia ita non *Homero*, sed veritati, sacrum faceret historia; quæ res & sustinet alte-

ram

ram conie&uram, quæ mihi commodum in mentem venit, ΑΛ. exponi posse Αλεξάνδρυ, quem constat summopere Poetam nostrum coluisse.

Neque tamen tuam sententiam damno. Fateor, mihi illam valde arridere, nec videre, quid melius, aut aptius, excogitari possit; cum ita artifex testari voluerit, *Homero* propter veritatem, quam amplexus est carminibus suis, sacrum fieri, & ita bellum Troianum, & *Vlyssis* errores, nequaquam fabulis adscribi debere; quanquam, (nam & hoc addendum est,) mirum mihi videatur, binas tantum vocis Αληθεια litteràs in marmore sculptas esse, cum aliarum virtutum nomina integra in eo scripta sint. Quodsi constaret, quo tempore vixerit statuarius *Archelaus*, Prienensis, certius utique aliquid statui posset, &, cum nihil necesse sit, credere, *Claudium* iussisse sculpi hoc monumentum, sed is Imperator illud ex Græcia advectum in villa sua collocare potuerit; iterum considera, an non æra hic lateat, & an non marmor hoc sculptum sit anno primo & trigesimo regni *Ptolemæi Philadelphi*, cuius in nummis non modo anni imperii notantur, verum qui etiam fuit eruditorum ingeniorumque, tam viventium, quam mortuorum, studiosissimus. Illi certe melius convenisset, templum *Homero* exstruere, quam *Philopatori*, & forte illud etiam incepit, quia *Lucianus* in *Encomio Demosthenis* meminit τῦ τῶν Πτολεμαίων νεὼ, in quo *Homerus* sedebat capillis promissis, quanquam præstantissimus *Grævius* rescribendum iudicet τῦ Πτολεμαίυ νεὼ, & respici ad templum a *Philo-*

patore Homero exstructum, cuius meminit *Aelianus* XIII, 22, *Var. Histor.* Etsi *Philadelphus* templi illius exstructor non est; potuit tamen marmor illius iussu sculptum fuisse, vel etiam sub *Seleuco*, sive *Antiocho Sotere*, & ita designaretur æra *Seleucidarum*.

Sed iam iterum ad partes vocanda *Veritas*. Illi aram, vel templum, positum fuisse, dixi me non legisse. *Jo. Ger. Vossius*, at quantus vir! notat tamen *Lib. III cap. 48 de Idolol. Anaxagoram* geminas posuisse aras, *unam menti*, *alteram veritatis*, apud *Aelian. Lib. VIII Var. hist. cap. ult.* Sed errat leuiter vir doctus. Neque enim Philosophus has aras exstruxit, sed mortuo positæ illi sunt, uti vel prima fronte ex verbis Græci scriptoris patet; idque ideo factum, quia ipse *Mens*, vel Νᾶς, appellabatur, quia materiæ, tanquam primæ omnium rerum causæ, addidit mentem, quæ illam movit & ordinavit; &, cum similiter *veritas* appellari potuerit, ita non tam *veritati*, quam ipsi *Anaxagoræ*, ara hæc posita fuit, quem hoc monumento testabantur vera tradidisse, id quod si sculptor, vel marmoris huius auctor, sensit etiam, tua ΑΛΗΘΕΙΑ admittenda omnino est.

Atque ita nondum mihi lectum est, a gentilibus *Veritatem*, omnium virtutum primam, ut Deam cultam vel aris, vel templis, fuisse; id quod certe summopere mirari soleo, cum tot laudibus eam non modo Philosophi, sed etiam optimus quisque veterum, extulerit.

Quodsi

Digitized by Google

Quodsi iam admiscere vellem hisce profanis rebus sanctæ nostræ religionis mysteria; an non inde concludere possemus, Deum veritatem genuinam suis, & primo quidem Iudæis, inde Christianis, & præcipue veris, solis reuelasse; gentiles eam male quæsiuisse in indagatione rerum naturalium, & ita Deum voluisse, ut nec summam hanc virtutem uti aliquod Numen colerent. Atque hinc exoptare sæpe ferventissime soleo, ut patefactum nobis esset, quid tandem dominus noster Iesus Christus responderit *Pilato*, *Ioann. XVIII, 38*, interroganti, quid esset *veritas*, vel *ἀλήθεια*. Certe Saluator noster magnum quid & inauditum, immo divinum, dixit procul dubio *Pilato*, quia hoc responsum eum tantopere commovit, ut Christum liberare a furore Iudæorum voluerit. Sed quanto tu hæc omnia melius, cum dederis nobis *Amœnitates theologico-historicas*; quibus multa erudita & elegantia continentur! Vale plurimum. Dau: 15 Dec. 1702. Litteras, quas apertas vides, cures, rogo, perferendas ad *Antonium* nostrum. Doleo, Harderovici locum commodum non esse, vel hospitem non inveniri, apud quem cognatus meus commorari possit; pependisset ille alias de tuo & clarissimi *Westenbergii* ore.

P. S. Invenio tamen, nonnullos Romanos aliquam rationem habuisse *Veritatis*. Nam *Gruterus p. 99* testatur, Romæ in ædibus familiæ S. Crucis ad forum Iudæorum exstare tabulam marmoream excavatam, sculpturæ non admo-

Digitized by Google

dum bonæ, & præter *Fidei*, *Honoris*, & *Amoris*, ſimulacrum repræſentare etiam *Veritatem*, eamque eſſe mulierem macilentam, veſte ampla plicoſaque, in humerum iniecta, amictam; ſed nec inde argumentum peti poſſe arbitror, eam cultam ut Deam, multo minus templa eidem poſita fuiſſe, cum potius hoc marmor ſit ſymbolicum.

EPISTOLA XII.

Arg. Scorpius *in verbis Christi explicatur, & huius vocis variæ ſignificationes expenduntur. De ſigno* AA. *in Inſcriptione antiqua adduntur nonnulla.* Medii Fidii *antiquitates ediſſeruntur. Vocis* catomidiare *verus ſenſus ex antiquis Scriptoribus eruitur.*

Multum tibi debeo, quod remedium miſeris ad profligandam febrim. Nullus dubito, quin id ſalutare & panchreſtum ſit, & tanquam ab *Apolline*, vel *Aeſculapio*, vel *Hygeia*, vel *Teleſphoro*, profectum; ſed filia mea ab eo die, quo apud me ſummo meo cum gaudio fuiſti, optime ſeſe habuit, & ne minimas quidem febris acceſſiones ſenſit; adeo, ut credam, hanc cataſtrophen factam eſſe, cum ſe videret damnatam ad medicamentum hauriendum, a qua re ceteroquin ſummopere abhorret. Tibi tamen curatio illa valetudinis debetur, &, ſive pharmacum ſumtum, ſive medicus, illud laudans & mittens, ſanet, res eodem redit, & obtinui id, quod ſperavi; recteque convenit huic rei *Quintiliani* illud, ni fallor: *Non, quod datur, ſed quod ſanat, medicina eſt.*

Iis,

Digitized by Google

Iis, quæ de *Scorpio* notas, ego certe vix quidquam addere possum. *Erasmus*, uti procul dubio observasti, putat, scorpium vacuo ovi putamini fuisse inclusum, & ita dipsadas fallere, sese occultantes inanibus struthiocamelorum putaminibus; & *Pricæus* advocat proverbium: *ἀντὶ πέρκης σκορπίον*, de quo videri potest *Erasmus*. Fateor autem, nihil commune esse inter ovum & scorpionem; sed puto, hæc a domino nostro opponi, quia unum saluberrimum, alterum vero mortiferum; quæ eadem differentia est inter piscem ἰχθῦν (nihil necesse est *anguillam* intelligere, quæ proprie ἔγχελυς appellatur, licet piscium nomine comprehendatur, uti vel patet ex hoc *Erasistrati*, Comici, loco: *ἔςιν ἀπύρηνος μόνος ἰχθὺς*, *solus piscium est sine spina*, apud *Athen. Lib. VIII*,) & ὄφιν, atque inter *panem* & *lapidem*, quia inedia mori deberet, qui nil nisi lapides haberet. Et, licet *scorpius*, docente *Scaligero*, significet, quicquid in metam, aut conum, fastigiatum est, & tutullus crinium in pueris ita fuerit appellatus, non tamen mihi fiet unquam verisimile, Dominum nostrum, vel Evangelistam, usurum in re vulgari, & usitato procul dubio apud Iudæos proverbio, significatione vocis plane parum usitata, & quæ forte solis Atheniensibus eo sensu erat familiaris; si vere notat Scholiastes *Thucydidis*, talem puerorum ornatum dictum esse *σκορπίον*, mulierum *κόρυμβον*, & virorum *κρώβυλον*: id quod tamen quoad binas ultimas voces, non observari nota-

runt

runt eruditi, & inter eos *Perizonius* ad *Ael. IV, 22, Var. Hist.* Et certe ipsis Græcis raro τὸ σκόρπιος hoc sensu usitatum fuit; cum apud neminem Auctorem illud reperiatur, quam apud *Suida* & *Thucydidis* Scholiasten; qui tamen notam illam ex Atticis Auctoribus sumsisse, & quorum alter etiam ex altero mutuari eandem, potuerunt.

Figuras, quæ *pag. 32* & *70 Harpocratis* mei exhibentur, tali ornatu insignes esse, nequaquam puto, cum sint Numina Aegyptia, & apud gentem illam mos constringendi super verticem crines non fuerit in usu, & ex aliis Deorum Dearumque simulacris & icunculis pateat, longe alia hæc ornamenta esse. Nec tale quid habet *Figura XIV* apud *Sponium pag. 9 Miscellan.* cum illud Numen sit Aegyptium, capillus pendeat ab humeris, & res, fronti imposita, videatur repræsentare malum Persicum, uti recte coniecturatur vir eruditus, quod & in aliis imagunculis tam in *Harpocrate* meo, quam iisdem in *Sponii Miscell. p. 18*, observare licet. Quin & nullum nodum in iis figuris invenio, quo capillus constrictus sit; sed e diverso crines pendulos, & per colla fluentes, unde certe omnis dubitatio tolli potest.

Isidorus, dum inter vermes XII *Orig. Lib. V* numerat *scorpionem*, nullum aliud animal ante oculos habet, quam venenatum illud, uti vel patet ex ipsis verbis: *Scorpio vermis terrenus, quia potius vermibus adscribitur, quam serpentibus, animal armatum aculeo, & ex eo Græce vocatum, quod cauda figat, atque arcuato vulnere diffun-*

Digitized by Google

diffundat venena; quibus certe nullum aliud intelligitur, quod propter formam, & quia sub lapidibus & terra se tecondit, annumerat vermibus, non autem serpentibus, licet ictus illius sit lethalis. Errare autem puto Grammaticum, quod etymon deducat a cauda, cum utique vel descendat inde, quod σκορπίζει τὸν ἰὸν,] *venenum diffundat*, vel a σκαιῶς ἕρπειν, ut alii volunt. Alter eiusdem *Isidori* locus, qui a te laudatus exstat *Lib. V cap.* 27, ita mihi videtur esse interpretandus: virgas simplices lenes & lentas proprie *virgas* appellari, qualibus scilicet infantes, fures, & alia urbium purgamenta, castigare solemus; *virgas*, sive flagella, quæ ex nodosis funibus, vel pellibus, dissectis facta sunt, & quibus sunt inserta aculeata ossa, appellari *scorpiones, quia arcuato vulnere in corpus infiguntur*, id est, quia in arcum curvantur, non secus ac venenatum animal scorpio caudam format in arcum, quando venenum suum eiaculatur, quod ut commodius facere possit, sex internodiis, vel pluribus, cauda distincta est, & hæc internodia repræsentantur in flagellis nodosis, aculei vero nobis exhibent ultimam caudam, cui veteres duos aculeos tribuunt, & huc pertinet, *Ovidium XV Met.* illi dare *caudam unam*, & narrare, si cancrum, demtis brachiis, supponas terræ, inde enasci scorpionem. Neque video, quomodo piscis a nodis nomen habere possit; sed is *scorpius* vocatur, *quia lædit, dum manu tollitur*, uti diserte tradit idem *Isidorus XII*, 6, nec puto, in illo, vel

 alio,

alio, pisce nodos fuisse, certe hoc ad instar miraculi foret, eiusmodi piscem posse vivere.

Quod iam attinet ad litteras ΛΛ. quæ aræ inscribuntur in marmore, quod Poetarum principis consecrationem servat; ego amicos meos, qui Romæ sunt, consulam, an aliqui ductus litteræ Σ. in eo reperiantur. Quodsi ita esset, certe coniectura tua inde multum firmaretur. Sed an credere umquam poteris, auctorem huius marmoris elegisse paruam Salamines insulam, vel Salaminem, urbem Cypri, ut esset & scriberetur in monumento publico *Homeri* patria? cum tot aliæ urbes præclaræ eam sibi vindicarent, & pauci admodum Salamines faciant mentionem, uti docet *Leo Allatius cap. 9 de patria Homeri*, qui & hanc sententiam damnat plane & reiicit. Quare ego quidem ampliandum esse existimo, donec nobis certius quid affulgeat.

Atque ita quidem pensum, quod mihi tenendum dedisti, absolui, & nihil addam, nisi Inscriptionem veterem, quam, via Salaria inventam, olim excerpsi ex collectaneis *Marquardi Gudii* :

GENIO. FIDIO. MODIO.
SANCO. SACR
T. AFRONIVS. T. F. CRVS
MEMMIANVS. EQ. ROM.
V. V. S.

An non putas, pro *Modio* scribendum esse *Medio*? Nosti iurandi formulam, *Ciceroni* & aliis

Digitized by Google

aliis usitatam, *Medius Fidius*, & Sancum Fidium occurrere in lapidibus vetustis; atque adeo *Sancum* & *Fidium* eundem Deum haberi, vel teste *Ovidio VI Fastor. 213.* Cum autem vulgo audirent, in iurandi formulis efferri *Medius Fidius*, non, ut opinor, *servet*, ita ut sint tres voces; inde videntur nonnulli fecisse nomen *Medius*, tanquam proprium istius Numinis; certe τὸ *Modio* mihi plane incongruum & alienum videtur, & puto, in scriptura erratum esse. Et ita apud *Festum* scribitur *Medius Fidius*, putatque esse compositum, & significare *Iovis filium*; id est, *Herculem*; quod *Iovem* Græci appellent Διὰ, & *fidium* poni pro *filio*; sed an non *Dius* posset esse idem, quod *Deus*, uti *Dia Sorta* in lapide apud *Gruterum* est procul dubio *Dea*? & notum est illud, *sententia dia Catonis.*

Gyraldus p. 86 edit. ult. putat, in lapide veteri scribi FIDV SIMVLACRVM, & illum ad nostrum *Fidium* refert. Sed apud *Gruterum pag. 99* legitur *Fidei. Petrus* tamen *Appianus p. 271* suarum *Inscript.* exhibet *Fidii*, putatque, figuram repræsentari *Medii Fidii*, per quem Romani iurare solebant. Verum simulacra, quæ ibidem repræsentantur, nihil habere videntur commune cum Deo illo, sed quidem cum fide coniugali, quia *Honor* tanquam maritus, & *Veritas* tanquam uxor, sibi invicem manus dant, fidemque promittunt; & in eorum medio stat puer, cui procul dubio apud *Gruterum* subscribitur AMOR, quæ vox tamen apud *Appianum* non invenitur; adeo ut ego non videam, in illo

mar-

Digitized by Google

marmore aliudquid repræsentari, quam fidem & amorem coniugalem, sive *honor* & *veritas* re vera fuerint coniuges, sive sub illorum emblematibus concordia illa sit repraesentata.

Sed hæc tui erunt arbitrii; &, quam sententiam fueris amplexus, ego in illam continuo pedibus transibo. Saluta *Antonium* nostrum *van Dale*, si quando ad eum scribis, & viro diligentissimo significa, me examinaturum reliquas quæstiones propediem, quas mihi ante aliquot menses posuit. Vale plurimum. Dau. 20 Iun. 1703.

An unquam vidisti *Erasmi* & *Iodoci Willichii Notas in librum Lactantii de Opificio Dei*, & commentaria *Petra Xyli* in opera eiusdem patris, quæ memorat *Xystus Betuleius* in Præfatione? Mitte simul, quas editiones *Lactantii* veteres habeas. Rem mihi & *Galleo*, qui novam editionem meditatur Campis, facies gratissimam.

Sed venit mihi in mentem, litteras AA. significare posse *Alexandrum*, & ita in ea urbe *Archelaum* consecrationem *Homeri* sculpsisse.

Præterea fieri posse, ut τὸ *Fidei Simulacrum* non sit marmori a statuario inscriptum, sed additum ab eo, qui illud exscripsit & pinxit, vel a viro erudito quodam explicationis gratia. Insolens enim plane est vox *simulacrum* in eius generis marmoribus, nisi quando legimus, statuam, signum, vel simulacrum, Dei alicuius dedicatum esse ab aliquo.

Scorpiones mihi in mentem reuocant, terga scapulasque nocentium apud veteres fuisse percussas

Digitized by Google

cussas, illosque id vocasse *catomidiare*. Sed an probare unquam poteris, illam vocem idem significare, quod *catamidiari*, κατᾳμειδιᾶν; & an illud firmares verbis *Petronii*: *Me iubet catomidiari ---- ac me conspui iubet?* Ita commentatur *Salmasius ad Spart. p. 45*, additque; *En verbera & sputa; nam catomidiatus, hoc est, verberatus, est a cubiculariis, & consputus a quasillariis.* Ego certe errare largiter credo virum summum, quia iam homo ille *catomiditus*, erat antequam conspueretur, & sputa procul dubio non in tergum, sed faciem, fuerunt ingesta; quin & puto, meliore iure *Scaligerum* deducere ex Græco κατ' ὤμων, quia cervix & humeri, vel scapulæ, cædebantur, unde in Glossis, *catomum cervix*; id quod antea sic explicaverat etiam ipse *Salmasius*; illudque venit examinandum, an humeri designentur, an vero instrumentum, quando legimus *catomis cadi*, aut *catomo*. Apud *Gullonium* nonnulli inde verberandi instrumentum faciunt; sed mihi adhuc illud non satis patet, quia apud Scholiastem *Iuvenalis* lego ad *Sat. II v. 142*: *Aut catomis cadebantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem*, id est, aut manus illis, aut humeri, verberabantur a Lupercis: & inde patebit, ex binis vocibus κατ' ὤμων factam esse unam *catomum*. Sed satis nugarum; tu, si tanti, has omnes examina. Sed quid sibi vult *cunei* apud Scholiastem? Apud *Salmasium* legitur *cincti*; sed non possunt intelligi Luperci, quippe qui non cædebantur, sed verberabant.

Digitized by Google

An ſcribendum *cuncta*, nempe mulieres? Paullo ante pro *hoc homine* ſcribe *hoc omine*.

EPISTOLA XIII.

Arg. *De voce* Medioxumis *in antiqua Inſcriptione agitur. Deam Diam in veteri Inſcriptione eſſe Iunonem, docetur. Variæ Inſcriptiones antiquæ explicantur. Faſti Conſulares augentur, aut emendantur.*

Binas epiſtolas tuas recepi, & multum tibi debeo, quod me docueris, quid de homine noſtro ſtatuendum ſit. Agam eo de negotio cum iis, quibus hæc provincia data eſt; idque exemplo maiorum noſtrorum *ſub roſa*, quam non ineleganter illuſtras in *Amœnitatibus* tuis *theol. hiſtor.* & me conferam ad alteram tuam Latinam, quæ nobis dabit ampliorem confabulandi materiem.

MEDIOXUMIS, quanquam ab omni Φιλαυτία ſim plane alienus, mihi nondum in Inſcriptione locum ſuum videtur tutari poſſe, cum ob rationes, a me prioribus litteris inſertas, tum quia ita *Sancus* excluditur, & a *Fidio* dividitur, cum quo tamen idem Deus habitus fuit; & tute, uti credo, fateberis, nequaquam convenire inter ſe, ſi ita ſcripſiſſet quadratarius, *Genio Fidio Medioxumis Sanco ſacrum*, cum ratio poſcat, *Genio Fidio Sanco Medioxumis*, vel *Medioxumo*. Nam aliud quid eſt, quod affers, *Diis penatibus*, *Deis communibus*, *Diis Deabusque omnibus*, apud *Gruterum* (male *Reineſium* nominas,) quia *II, 1*, ſimpliciter *Dii omnes*, *III, 9*, *Dii Deaque communes*, poſt omnes alios memorantur, & *Dii Deave Penates* fami-

familiares in genere; nec non separatim *Iupiter*, & inde CETERISQ. DIS, *III*, *2*; neque enim Penates reperio in *VIII*, *4*, & idem observes licet in aliis permultis, ut, *1*, *2*, *3*, *4*, *III*, *I.O.M. Diis Deabusq. Pub. Cosentib.* & tandem videtur debuisse scribi *Diis Mediox*.

Lætor, placuisse tibi, quæ de voce *Dius* annotaveram; *Deam* autem *Diam* Iunonem esse, docere possum testimonio novo, quod ex veter. Inscriptione inedita, quam *Gudii* schedis debeo, sumtum est:

IVNONI REGINAE
DEAE DIAE SACRVM
P. CORNEL. P. F. LENT
FLAMEN. FALACER. D. D
III. NON. OCTOBR. IMP. CAES
M. AVREL. ANTONINO COM
MODO II. ET L. AVRELIO VERO
COS.

Consulatus hic incidit in annum 932, & observa in lapide *Flaminem Falacrum*, non memoratum, quod sciam, nisi uni *Varroni Lib. IV de L. L. p. 23*: *Sic Flamen Falacer a divo pater Falacre*; qui Deus qualis, & unde loco, fuerit, ignoro plane, quanquam *Turnebus* suspicetur, eum falis Circi præfuisse; præterea hunc flaminem tempore *Commodi* etiamnum Romæ fuisse; adhæc *Commodi* prænomen esse *Marci*, uti in Inscript. *4*, *5*, apud *Gruterum*, cum in aliis apud eundem appelletur *Lucius*, quæ duo prænomina etiam in nummis observes.

Ecce

Ecce tibi priores libros duos *Ablegminum Casparis Barthii*, quos tibi mutuos mitto. Rari admodum sunt, & vix in aliqua reperiuntur Bibliotheca; quare eorum curam diligentem ut habere velis, etiam atque etiam rogo.

A. Licinius Nerva Silanus & *M. Vestinus Atticus* Consules fuerunt A. 818 sub *Nerone* Chr. D. N. 65, &, ita eos appellatos fuisse, pulchre docet Card. *Norisius p. 43 Epist. cons.* ubi eandem inscriptionem, ad quam respicis, laudat.

C. Manlius Torquatus & *Cornelius Messalinus*, memorati in 4, *CCLXI*, quo anno Consulatum sub *Ant. Pio*, vel *Marco Aurelio*, gesserint simul, obscurum. Nomina eorum in Fastis ita digeri & scribi, non invenio; & tamen fuerunt Consules ordinarii, quia hoc monumentum positum fuit *Faustinae* KAL. IAN. Apud *Pagium* & *Mediobarbum* hosce Consules sub *Pio* reperio, A. 900 *Largum* & *Messalinum*, A. 901 *C. Bellicium Torquatum II* & *Iulianum*, vel *M. Salu. Iulianum II.* Sed *Gruteri* Inscriptio me docet, hæc Consulum paria male digesta esse, & iungi debere *M. Valerium Largum* & *M. Sal. Iulianum*; nec non *C. Bellicium Manlium Torquatum* & *M. Cornelium Messalinum*, qui num etiam appellatus sit *Valerius*, ignoro equidem. Et hos Consules ita digerit *Zaberella* in *Aula Heroum p. 137*, ubi tamen facit *Torquatum* Cos. II, eumque primum gessisse scribit A. 895 cum *Ti. Claudio Attico Herode*. Quicquid sit, confusa videntur hoc tempore Coss. paria, & nomina, & ego sequerer a *Grutero* editam Inscriptio-

Digitized by Google

ſcriptionem, quæ Cal. Ian. Coſſ. facit proceſſiſſe *C. Manlium Torquatum* & *Cornelium Meſſalinum*, maxime cum illa Romæ e terræ viſceribus eruta ſit.

Tertium par, quod recenſetur in *10, CCCXXI*, nempe *Vicerius Alarianus* & *L. Marcius Poſtumus*, mihi crucem figunt, nec eos alibi uſquam reperire poſſum. Ex *Ambroſ. Morali* petitum hoc monumentum eſt, & puto, me alibi legiſſe, eius fidem valde eſſe ſuſpectam; quod vitium num hic locum habeat, tute ex iis, quæ ſequuntur, iudicabis. Et primo quidem *Traianus* dicitur *Germanicus III*, id quod, neſcio, an illo tempore fuerit uſitatum; certe in nummis iſtius moris nec vola, nec veſtigium, exſtat, & imperatores ſimpliciter a devictis gentibus dicuntur *Germanici, Parthici*, vel *Germanici maximi*, abſque ullius numeri, licet eas ſæpius viciſſent, additione: &, quanquam totum *Gruterum* evolvere nequeam, ex iis tamen, quas inſpexi, inſcriptionibus puto patere, in nulla alia illud reperiri. Neque enim credo, per τὸ III Conſulatum *Traiani* tertium, qui incidit in annum 852, quo collegam habuit *M. Cornelium Frontonem* itidem III, deſignari; quodſi tamen ita ſe res haberet, dicendum foret, Mellarienſes eum ſolum nominaſſe, ut annus deſignaretur, & *Alarianum* ac *Poſtumum* eſſe Conſules ſuffectos; id quod tamen alibi nuſquam obſeruo; &, ſi maxime uſitatum fuiſſet, hic tamen locum habere vix poteſt, quia Cal. Martiis *Frontoni* ſubſtitutus fuit *Sex. Pompeius*; inde Cal. Sept. *C. Plinius Secuntus* & *Sp. Cornutus* Ter-

tullus, & inde ex Cal. Nov. Iul. *Ferox & Arruntius Nerua.* Numerum tamen titulis, a gentibus deuictis sumtis, additum esse postea, patet ex edicto Impp. *Gal. Maximiani, Constantini*, & *Licinii*, apud *Euseb. VIII. 17, Hist. Eccl.* in quo primus dicitur fuisse πεντάκις Περσῶν μέγιστος, δὶς Καρπῶν μέγιστος, ἑξάκις Αρμενίων μέγιστος; & nescio, an alibi simile exemplum occurrat.

Deinde manca mihi esse videntur, quæ sequuntur. *Hic Provinciæ* cet. Nam quid sibi vult *Fecialis omnium conciliorum*, & an non deberet esse: *omnium conciliorum consensu statuam decreuit huic* cet. Præterea *decreuit* potest dici *ordo*, vel senatus, *Mellariensis*; sed quo pertinebit, quod mox sequitur, *decreuerunt?* Atque hæc faciunt, ut credam, vel fictam esse a *Morali* hanc Inscriptionem, vel male exscriptam. Neque enim ausim statuere, *Vicerium Alarianum* & *L. Marcium Postumum* fuisse Duumviros Mellariæ, eosque Consules nominari, quia varii eruditi censent, id nonnunquam factum fuisse. Disserui hac de re in *Harpocr.* meo *p. 223 & seq.* & de ea nunc pluribus agere possem, & agam certe, si quando silentii ille præses iterum typis describetur, id quod futurum spero, quando *Pax fundata* cum Gallis, & *Felicia temporum*, vel ΕΥΤΥΧΕΙΣ, ΚΑΙΡΟΙ, (agnoscis nummorum inscriptiones,) redibunt; quorum πρόδρομος, ut sic loquar, erit, ventos secundos Deo præbente. *Felix traiectus* nostri Hispaniarum Regis.

Sed

Digitized by Google

Sed monere oblitus sum, *Diua Dia*, idem esse, quod *Dea Dia:* Neque enim a *Iunone* separare ausim; quanquam id fieri posset, si alia a *Iunone* fuit, quod mihi nondum liquet. Ita *Divo Pantheo I, 4*, est *Deo; Deivas Corniscas*, 14, *LXXXVIII*, est *Deas;* quanquam sæpe idem sit quod *divina*, ut *Febri Diva*, *Febri Sancta*. Quin & *Dia* idem est, quod *Dea*, 4, 87:

P. ACILIVS, FELIX
D. D. DIA. SVRIÆ
CVM SVIS

id est, *Deæ Syriæ*, vel Matri Deum, uti ex statua, quæ ibi describitur, patet; & *δῖος* apud Græcos, *Dia* apud Latinos, idem esse sæpe, quod diuinus, excellens, pulchre docet varis exemplis *Heinsius* ad *IV Met.* 535, & *I Fast.* 598.

Atque ita quidem respondi epistolæ tuæ eruditæ, & mihi pergratæ; & spero, te aliquid inventurum, quod stomachus tuus non respuat, & excusaturum, si quid errem, & in tenebris, ut est *τὸ λεγόμενον*, micem. Quis enim abstrusa illa & vetera certo explicare possit?

Sed, quia de variis Consulibus egimus, rem me tibi pergratam facturum existimo, si tecum communicem Inscriptionem, in qua nomina duorum Consulum conseruantur, quorum unius cognomen omittitur, alterius autem additur, & ita inservit illustrandæ historiæ. Romæ inuenta est, &, quantum equidem sciam, inedita:

Digitized by Google

M. D. M. IDAEAE. PAESINONTIAE
ET. ATTIS. MINOTAVRANI. ACDESTIDIS
C. SEMPRONIVS. EVTYCHVS. ARCHIG. ALLVS
M. D. MAGNAE. IDAEAE. ET. L. SERVILIVS. AN
NAEVS. AVGVR. ET. A. AELIVS. MODESTINVS SA
CERDOS. SOLIS. MITHRAE. TAVROBOLIVM. SI
VE CRIOBOLIVM. FECERVNT. KAL. MAR
IMP. CAES. FLAVIO. CLAVDIO. AVG. IIII. ET. IVNIO
SALLVSTIO. CALVO. COS.

Non iam agam de *Criobolio* & *Taurobolio*, non de titulo *Minotaurani*, vel Menotyranni, quoniam hæc ſatis a *Salmaſio*, aliisque poſt eum, & inprimis *Antonio* noſtro, illuſtrata ſunt; ſed dicam tantum, hunc Imp. eſſe *Flauium Claudium Iulianum*, qui una cum *Salluſtio* A. V. C. 1116, & Ch. D. N. 363, Conſul fuit; *Salluſtios* duos ſub *Iuliano* fuiſſe, alterum præfectum prætorio Orientis, qui *Secundus* fuit cognominatus, multis docet *Pagius* in *Crit. Baron. ad ann. Chr. 362 p. 186*, ſed alterius prænomen & cognomen latent in obſcuro; quin & nonnullis *Secundus* cognominatur, & ita cum præfecto prætorio Orientis confunditur, id quod etiam animaduertit ante *Pagium Aegidius Lacarry*, Ieſuita, in *Hiſtoria Galliarum ſub Præfectis prætorio Galliarum*, quæ multa eruditione referta eſt, & quæ facit, ut valde deſiderem eiusdem viri librum, quem teſtatur ſeſe conpoſuiſſe *de Præfectis prætorio Orientis*, quem tamen credo non

Digitized by Google

non esse editum. Do tibi igitur hic ***Flauium Claudium***, id est, ***Iulianum***, Consulem, & ***Iunium Sallustium Caluum***, Præfectum prætorio Galliarum, & Consulem itidem ordinarium, quos te accipere, & mei memoriam seruare uelle, etiam atque rogo. Vale plurimum. Dauentr. 3 Dec. 1703.

EPISTOLA XIV.

Arg. *Pomponii de Origine Iuris loca duo explicantur. Almeloueenio quæstiones nonnullas ex doctrina humaniore proponit. An duæ tragoediæ, Medea inscriptæ, ab Ovidio sint compositæ, inquirit.*

Non dubito, quin ex ultimis meis intellexeris, quomodo ***Nona Pia*** apud ***Lampridium*** explicandæ sint. Nunc reliquæ epistolæ tuæ respondebo, multumque lætabor, si quid in medium afferre potero, unde bina loca tituli ***de Origine iuris***, quæ tibi, aliis, atque adeo mihi, crucem figunt, illustrari queant.

Mihi igitur, §. *33* expendenti, videbatur vulgata recte sese habere, nec quidquam interesse, an illam, an vero tuam, transpositionem sequamur. Quid enim, quæso, interest, si legas: ***Is vocabatur præfectus urbi; qui præfectus olim constituebatur; postea fere Latinarum feriarum causa introductus est;*** an vero: ***Is vocabatur præfectus urbi, qui olim constituebatur: postea fere præfectus Latinarum feriarum*** cet.? Certe ego, quo sum stupore, capere non possum, quid hæc inter sese differant. Nam utrobique

 dicit

dicit *Pomponius, olim*, temporibus nempe Regum & primorum Consulum, præfectum urbi fuisse creatum, postea cum mos eum creandi desiisset, & Prætores absentibus Consulibus urbi præerant, non nisi feriarum Latinarum causa creatos esse; sensusque mihi clarior multo videtur futurus, si pro *fere* scriberetur *vero*; vel *fere* idem est, quod *tantum*, quomodo *Ciceronem* loqui Lib. *de natur. Deorum* censent eruditi: *Hac fere dicere habui de natura Deorum.* Est preterea non inelegans hæc repetitio: *is vocabatur Præfectus urbi, qui Præfectus*; & tute nosti, frequens esse hoc valde optimis etiam Auctoribus.

Scribis, præfectum urbi Regum, aut Consulum, priorum tempore fuisse *perpetuum*; sed, cum fuerit extraordinarius magistratus, eiusque potestas cessarit reuersis a bellis Regibus & Consulibus, ego vix video, eum *perpetuum* posse dici, nisi hoc ita debeat explicari, eum, qui semel *præfectus urbi* erat factus, semper magistratum eum gessisse absentibus Regibus & Consulibus, licet, iis reuersis, munus illud deponeret; & certe *Tacitus VI Annal.* 11 scribit, præfectum urbi *in tempus delectum esse, qui ius redderet, ac subditis mederetur*, eumque a *Romulo* addit creatum *Dentrem Romulium*, ab *Hostilio Numam Martium*, a *Tarquinio Superbo Spurium Lucretium*, nec de aliis sub iis aliisve Regibus loquatur præfectis, ego credo, illos ultimo sensu posse dici *perpetuos* non incommode.

Quin

Digitized by Google

Quin & illud firmatur, uti mihi equidem videtur, a *Dionysio Halic. Lib. II p. 85*, ubi scribit, *Romulum* unum ex senatoribus elegisse præcipuum, cui urbis curam committeret, *ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατιὰν ὑπερόριον*, *quoties ipse extra fines exercitum duceret*; &, cum mox dicatur, eum nonaginta nouem senatoribus præfecisse *ἡγεμόνα, ὃν αὐτὸς προέκρινεν*, & ita compleuisse numerum centenarium, utique credibile est, *præfectum urbi*, senatus simul caput, semper absente Rege munus id administrasse, nisi tamen alius *princeps senatus* debeat intelligi. Sub Consulibus magistratus hic non fuit *perpetuus*. Nam A. U. C. 287 præfectus urbi fuit *Q. Seruilius*, (*Liv. III, 3*,) triennio post *Q. Fabius*, (*id. III, 8*,) anno V. C. 293 *P. Lucretius*, (*id. III, 24*,) inde anno sequente *Q. Fabius* iterum, (*id. III, 29*,) quem esse, qui ante IV annos eundem gesserat magistratum, nihil est, quod dubitemus. Huius præfecti re uera *simulacrum* fuit, uti *Tacitus* loquitur, is præfectus, qui creabatur Latinarum feriarum causa, cum & in paucos dies crearetur, & adolescens ualde. Neque tamen affirmare ausim, eum ex *ordine sacerdotum* sumtum esse. Scribit quidem *Nic. Damascenus* in *Excerpt. Const. Porphyrog. p. 477*, *Consulibus in montem Albanum egressis*, *τοὺς ἱερεῖς διαδόχους αὐτῶν τῆς δικαιοδοσίας εἶναι*, *iurisdictionem sacerdotes exercuisse*, & *Cæsarem* in tribunali medio foro consedisse, multosque confluxisse videndi adolescentis maxime causa; & notat *Valesius*, *ut plurimum electum esse adolescentem aliquem*,

nobili sacerdotio ornatum, ut iudicat Damascenus, quod quidem alibi non reperias. Et recte certe uir praestanti eruditione id notat; nec ego puto, hoc fuisse perpetuum, vel saltem lege statutum. Sed, cum adolescentes primae dignitatis *sacerdotes* utplurimum fierent, id quod postea sub Caesaribus etiam in iis, qui ex eorum familia erant, fuit obseruatum, a ratione non alienum est, credere, eos, qui praefecti feriarum causa fiebant, si non semper, attamen plerumque, sacerdotio aliquo fuisse ornatos; & constat ex *Suetonio, Iulium Caesarem* anno XVII *Flaminem Dialem* fuisse destinatum, vel factum.

Praeterea scribis, praefectum Latinarum causa fuisse *destitutum iure conuocandi senatus*, *Gellium*que id tradere *XIV*, *8*, sed perquam doctus iuuenis, qui Praeside *Burmanno* nostro defendit Dissertat.philolog. histor. *de Praefectis urbis* mense Iunio proximo, contrarium ex eodem *Gellii* loco *cap. 8* extremo probare conatur; & certe apud eum *Iunius* illud negat, sed *Marcus Varro*, *Ateius Capito*, & *Tubero*, contrarium statuunt.

Alter locus maiores habet difficultates, & mirum mihi etiam plane est, *Appium Claudium* cognominari *Contemmanum*, cum fuerit dictus *Coecus*; neque tamen ego genti, vel familiae, *Claudiae* dederim *Coeci* cognomen, sed uni illi *Appio Claudio Crasso*, cui id datum fuit, quia, coecus cum esset, conditiones pacis, a *Pyrrho* oblatae, oratione sua effecit, ut a senatu reiicerentur; nec

videoq.

Digitized by Google

video, illud ulli posterorum ipsius fuisse usurpatum, sed ipsi equidem dari in *Inscript.* 4, *CCCLXXXIX*, quam tamen nequaquam illius aeuo adscripserim; & confirmatur illud plane emendatione tua: *hic Coecus Romanis appellatus est*, quæ mihi valde arridet.

Non audeo dicere, *Pomponium* scripsisse *Centumalus*, & *Coeco* attribuisse cognomen, quod alterius *Appii* fuit. Nam *Valerius Max. VIII*, 2, 1, memoratur *Claudius Centumalus*, cui cognomen *Tito* fuit, uti patet ex *Cic. Offic. III*, 16, & malo emendationi tuæ acquiescere, donec aliquis meliora ex loco tam declamato expiscari possit. Atque hæc quidem reponere epistolæ tuæ doctissimæ & acceptissimæ uolui. De *Fabretto*, & Consulibus, qui in Inscriptionibus, ab eodem editis, memorantur, postea videbo. Nunc ad eruditos litteris, quæ mihi plurimæ & exquisitæ venerunt, scribendis occupatus plane sum. Sed nihilo minus facere non possum, quin te rogem, ut me docere velis, an *Tiberius* in *Pandectis* a quodam ICto vocetur *Divus*, uti putat sese legisse *Dodwellus p. 322 Prælect. in Script. histor. Aug.*

Præterea quare *equum Troianum* appellet *equum Dianæ Schefferus p. 298 de re vehic.* id quod non memini me alibi legisse, & potius *Palladis* possit appellari, cuius diuina arte fuit aedificatus, uti canit *Virgilius*. An unquam *Cybele*, vel mater Deorum, fuit vocata *Μητραγύρτης, ὁ τελεστής*?

Digitized by Google

Vbi *Margini* in Italia fuerint? Memoratur urbs vel locus ille in Lite Vrbiniana apud *Quintilianum Lib. VII cap. 2 p. 522 Institut. tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse, atque ibi agnosci.* Ego illos nullibi gentium reperio, & religio mihi, absque MSS. quid mutare, aut inde facere *Marrucinos*, aut *Marrubios*. Consule, quæso, editiones tuas, & vide, num ex illis aliqua lux mihi affulgeat.

An alibi legisti, quam apud *Dion. Lib. XL p. 143*, senatum ante Cæsarum, vel Augustorum, tempora conuenisse ἐς τὸ παλάτιον? & doce me insuper, in quo loco, vel in quo templo, in monte Palatino senatus habitus fuerit; neque enim dubito, quin de monte loquatur Auctor ille diligentissimus. An erit *Iouis Statoris* templum, quod fuit in radicibus illius montis, teste *Cicerone* in *Orat. pro Sexto Roscio?* Nam, in eo templo senatum habitum fuisse, constat. *Gyraldus* in *Dialogo de Poetarum historia Lib. II p. 226* notat, *Ouidium* duas tragœdias scripsisse *Medeas;* unam memorari *Fabio* & *Tacito*, vel *Auctori Dial. de Orat.* alteram ex *Virgilio* expressam, de qua ita loquitur *Tertullianus: Denique Ouidius etiam Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime expressit.* *Nicol. Faber ad Seneca Suasoriam III* unam tantum illi tribuit, &, quia *Tertullianus* libro *de Præscript.* ita loquitur, inde apparere putat, *Virgilii opera ad nos integra non peruenisse.* Sed ego credo, unam tantum *Medeam Ouidio* esse tribuendam, & inde

nullo

nullo modo inferri posse, *Virgilii* opera ad nos integra non peruenisse. Nam illud, *ex Virgilio plenissime expressit*, ego interpretor, verba, phrases, versus, & quicquid amplius huius generis est, eum ex *Virgilio* sumsisse, non autem *Virgilium* eius argumenti composuisse tragoediam, vel carmen, cuius etiam nec *Donatus* in *Vita Virgilii*, nec aliquis veterum, ullam facit mentionem. Huc pertinet, *Q. Octauium Auitum* octo volumina edidisse *ὁμοιοτελεύτων*, *qui continebant versus, quos aliunde transtulerat Virgilius*, uti patet ex eius vita; & eodem modo ex *Virgilio Medeam* suam sumere potuit *Ouidius*; quomodo postea & *Centones Homerici* conscripti sunt vel ab *Eudocia*, *Theodosii* iunioris uxore, vel a *Pelagio*, vel a *Patricio*, presbytero; & ita *Ausonius* ex *Virgilio* composuit *Centonem nuptialem*; quin & nescio, an *Ouidius Naso* apud *Tertullianum* sit intelligendus; cum in editione *Rigaltii cap. 39 Præscript. hæret.* scribatur *Hosidius Geta*; id quod etiam amplectitur *Vossius*, & ex loco illo *Tertulliani* clarissime patet, vera esse, quæ dixi, nempe *Medeam* illam ex *Virgilianis* versibus confectam esse. Memorantur & ibi *Homerocentones*, *qui de carminibus Homeri propria opera more centenario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus.*

Sed quo prouehor! Ecce tibi lancem saturam, sed insipidis fructibus refertam. Et quid agam? Non semper colloqui possumus de rebus reconditis & abstrusis; leuidenses etiam quæsti-

uncu-

Digitized by Google

unculæ amicis propónendæ ſunt, quia illæ ſæpe nos manu ad grauiores ducunt. Tuum nunc erit, me docere, quid de minutiis hiſce tibi videatur, id quod te facere velle, etiam atque etiam te rogo. Vale plurimum. Dauentr. 9 Dec. 1704.

EPISTOLA XV.

Arg. *Viros quosdam eruditos, a quibus litteras acceperit, nominatim indicat.*

Quicquid obliuioné peccatum eſt, eluerunt haleces fumo durati, & munus tuum a meis cum alacritate & hilaritate conſumtum eſt; quod ut aliquo penſent modo, & ita tibi vicem reddant, en tibi fructuum, qui in urbe noſtra naſcuntur, ſpecimen, quod tibi non fore ingratum, equidem perſuaſus ſum.

Litterarum, quas ad me mittunt illuſtres viri, numerus indies augetur. Accepi nouas a Barone *de Neſſelrode* cum variis Inſcriptionibus, quas *Begerus*, & alius vir eruditus, illuſtrauit, egoque etiam a ſymbolis fui; a *Burmanno*, & iuuene, qui ab eius ore pendet, *Drakenburgio*, *Iacobo de Bary*, *Huetio*, *Gallando*, *Nicolao Bon*, *Aſtório*, Icto Veneto, *Bacbinio*, aliis, unde facili coniectura aſſequi poteris, me horis ſubciſiuis, & a curia atque amicis uacuum, ſatis equidem occupatum eſſe. Vale plurimum. Dauentr. 3 Febr. 1705.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

Arg. *In variis Inscriptionibus antiquis unum tantum Consulem nominari, docet. In Fastis Consularibus augendis, aut emendandis, multum operæ ponit. Quæstiones varias amico suo proponit.*

Lætor, binas ultimas litteras meas pergratas tibi uenisse, & nonnulla earum capita a te approbari.

Inscriptionem veterem, de qua tunc egi, recte a te digeri credo; sed qui fit, ut aliquot vicibus unus tantum Consul nominetur? Neque enim alterius nomen additum videtur, quando ita ex.gr. scribitur: *Imp. Vespasiano V. Cos.* cum nemo Augusto præpositus sit unquam. Quare autem hoc sit factum, iuxta cum ignarissimis scio, &, nisi *breuitas* causa huius moris sit, ego ἐπέχω. Vide *Fabrettum Inscript. cap. 7 p. 506.* Inuenio autem eundem Consulem in Inscriptione apud *Sponium p. 278 Miscell.* a te etiam laudata, quæque etiam adducta est ab *Oibenarto p. 77 Notitiæ Vasconiæ: Dat. Non. Octubris Callagori Imp. Cæs. Traiano Hadriano Aug. III. Cos.*

In lapide apud *Chorierum p. 41* libri, quem inscripsit *Recherches des Antiquitez de Vienne*, legitur *V. K. Novembris Felice. V. C. C.* Vir egregie doctus illum Consulem facit anni 430; sed tu illum melius alliges anno 428, nec mirum, tunc temporis unum tantum Consulem nominari, cum unus esset Occidentis, ut *Felix*, alter Orientis, & alterius nomen sæpe esset, vel illi, vel huic, imperii Romani parti ignotum.

Digitized by Google

Pag. 44 iunguntur in Græca Inscriptione *Valentinianus V* & *Anatalius.* Hic aliis dicitur *Anatolius*; & ambo Consules fuerunt A. 440. Sed observatione inprimis dignum, ambo *δεσπότας* nominari: ΤΗΝ ΥΠΑΤΙΑΝ ΤΩΝ ΔΕΣΠΟΤΩΝ ΗΜΩΝ ΒΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΥ ΤΟ ΠΕΜΠΤΟΝ ΚΑΙ ΑΝΑΤΑΛΙΟΥ ΤΟΥ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ.

Pag. 57 *C. Calpurnius Piso*, *M. Vettius Bolanus*, memorantur. Hosce enumeras A. V. C. 862, vocasque *L. Calpurnium Pisonem*, & *Vettium Rusticum Bolanum*; & tuum erit, constituere, an Fasti tui inde debeant emendari. Inscriptio ita sese habet:

ANNO
C. CALPVRNII PISONIS
M. VETTII BOLANI
COS
PONTIF. EX STIPE.

Pag. 324 occurrit *Faustus*:

---- TRANSIIT SVB DIE
---- OBRIS FAVSTO VIRO C
CONSS.

quem recte Consulem, & quidem solum, facis A. D. N. I. Chr. 483.

Tuum illud *ex vasis pressoriis* mihi magis placet, quem meum *pro*; potueruntque ex illis vasis vinum, far, et alia, sumere, quæ Libero & Liberæ offerrent *quam sanctissime castissimeque*; sed

Digitized by Google

fed tamen & tecum dubito, an noſtra hæc procedant; & nihilo minus quis ignarus vivit ineptiarum & ſuperſtitionum gentilium?

An unquam vidiſti *Antiquitates Græcas & Latinas Roberti Conſtantini*, laudatas *Huetio pag. 528 Originum Cadomi*, quas Gallicas edidit A. 1702? Ego a nemine eas alio laudari, vel memorari in catalogis librorum, memini.

An *Sponius* recte vertit Inſcriptionem Græcam, ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ *poſt meorum*, & an non reddi Græca debent, *cum meis*, vel *cum domeſticis?* & an non *p. 346* ΕΣΤ ΕΑΥΤΩ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΘΕΟΝ, interpretandum eſt, *ſit illi contra Deum*, potius, quam *ſit illi penes Deum*; ita ut dicat *Aurelius*, eum, qui violauerit legem ſepulchro poſitam, facturum contra Deum, eumque hunc violatorem puniturum; *hy ſal met Godt te doen hebben*, off *hy ſal het teghens Godt doen.*

Conſules aſſignas A. V. C. 762 *P. Cornelium Dolabellam*, & *C. Iunium Silanum*; ſed primi prænomen eſt *Quintus* in Inſcriptione, quam publicauit *Montfauconius p. 148 Diarii Italici*, Sed credo, diligentiſſimum uirum non ſatis diligenter inſpexiſſe ipſum marmor, cum apud *Gruterum* in eodem *2, CLXXVI*, ſcribatur *P. Cornelius*.

Apud eundem *Montfauconium p. 74* legitur: ΛΟΥΚΙΩ ΕΠΙΔΙΩ ΤΙΤΙΩ ΑΚΥΛΕΙΝΩ ΥΠΑ-

ΤΟΙΣ,

ΤΟΙΣ. Hos Consules ego plane ignoro, unde sequitur, vel fuisse suffectos, vel duumviros, siue strategos urbis, in qua hoc monumentum erectum fuit, etiam Υ'πάτυς, siue *Consules*, fuisse appellatos. Hanc urbem puto esse *Hierapytnam* Cretæ. Legitur enim paullo ante: ΕΠΡΑΧΘΗ ΕΝ ΙΕΡΑ ΠΥΓΝΗ, quod procul dubio vel male sculptum est, vel exceptum, emendandumque ΠΥ'ΤΝΗ. Nam, quod vir eruditionis præclaræ, hic *sacram pugnam* sese, putat, inuenisse, error sane est, qui aliis eius præclaris virtutibus est donandus. Neque enim de *pugna* vel verbulum in tota hac Inscriptione occurrit; quam si haberemus integram, esset certe nobis præclarum veteris æui monumentum.

Disputari autem, num Duumviri subinde *Consules*, vel ὕπατοι, appellati fuerint, nosti; & ego ea de re ago in *Monum. antiqu.* una cum *Harpocrat.* editis, *p. 223*, pluribusque agam in editione noua, si quando illa in dias luminis auras prodibit. Adde his, quæ notauit *Philippus a Turre p. 240* & *360 Monum. vet. Antii*, & *Fabrettus ad num. 439 cap. 10 Inscriptionum*.

Tu nunc etiam atque etiam vale, & hisce, si modo digna sunt, fruere. Dau. 12 Aug. 1705.

Alteras, quas vides, litteras legere, & ad *Antonium* nostrum curare, ut velis, vehementer rogo.

EPI-

EPISTOLA XVII.

Arg. *Ad Fastos Romanorum Consulares eruditæ animadversiones exhibentur. Caracallum chlamyde usum semialba & semipurpurea, notatur.*

Non est vero absimile, *Sabellium* apud *Iustinianum* mutari commode posse in *Suillium*; nec de coniectura illa dubitarem, si alterius, qui cum *Suillio* Consulatum gessit, nomen adderetur, & pro *Asterio Scapula* scriptum foret *Antistio Vetere*. Fieri posset, ut *Suillius* ordinarius, *Asterius* fuerit suffectus; sed quid? si dicamus, ambos, & *Sabellium* & *Asterium*, fuisse suffectos? Verum & tunc exempla desiderarem, unde pateret, SCtis Consulum suffectorum nomina adscripta esse; id quod certe secus se habet in SCto *Traiani* tempore facto, cuius mentio in *Tit. D. de Fideicommiss.* quanquam mihi non constet, tunc suffectos fuisse, & an non primo anni tempore hoc SCtum factum sit.

Capitolinus scribit, *Catilium Severum* binos gessisse Consulatus, cumque apud *Gruterum* nullus addatur numerus, crediderim, eum tunc primum fuisse Consulem cum *T. Aurelio Fulvo*. Ita enim in lapide apud *Gruterum* legitur, & non *L. Aur.*; uti non modo editum est in *Fastis* tuis, verum etiam scribitur in tua epistola; cumque *Catilii* illius nomen in Fastis non amplius appareat, crediderim, secundum Consulatum fuisse suffectum; id quod factum esse, vix dubito, cum &

& *Claudius* Imperator *nouo circa principem exemplo in locum demortui fuerit suffectus*, teste *Sueton. Cap. 14.*

Recte notas, *Cuspinianum* & *Cataneum* scribere, apud *Iustinianum* legi, *Hadrianum ad Statilium Severum rescripsisse*; sed primo non invenio apud eos vocem *Cos.*; deinde, ambos errare, puto, nec dubito, quin ante oculos habuerint *Traianum*, qui *Lib. II Instit. Tit. 11 §. 1* dicitur *Catilio Severo ita rescripsisse;* nec puto, eum tum temporis Consulem, sed Præsidem potius fuisse alicuius provinciæ, quia in rescripto illo agitur *de testamentis militum.*

Institutiones autem evolvens, vel persaltans potius, edoctus sum, suffectorum Consulum nomina SCtis fuisse adscripta; uti *Lib. II Cap. 23 §. 4, & Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo & Anneo Seneca Coss. SCtum factum est;* quos non fuisse ordinarios, ipse doces ad ann. 814.

Ti. Catium & *P. Celerem*, quorum nomina tesseris gladiatoriis inscripta sunt, fuisse ordinarios, satis patet ex *Calendis Ianuariis*, &, si ratio temporum in illis observatur, necesse est, ut Consulatum gesserint inter annum 750, quo Coss. fuerunt L. *Lentulus* & *Messalla*, & annum 757, quo eundem magistratum gesserunt *Aelius Catus* & *Sentius Saturninus*; atque hoc exemplum nos docet, Fastos valde corruptos, &, si scri-

Digitized by Google

ſcriptura marmoris recte ſe habet, in eos irrepſiſſe ſuffectos Coſſ. pro ordinariis.

C. IVL. ASPER, cuius mentio apud *Fabrettum p. 51*, poteſt fuiſſe Conſul ſuffectus, & inde nomen eius in Faſtis non apparere. Eadem *pagina* legitur P. IVLIO. LVPI. COS. LIB. Facis ad ann. 985 *Iulium Lupum* Conſulem, ſed prænomen omittis, quod forte *Publius* fuit, vel certe *Marcus*, aut *Manius*, quia apud *Gruterum* ſcribitur M. LVP. ET MAXIMO. COS. niſi M. debeat eſſe IVL.

Nullus dubito, quin recte emendes *Servium* & *Ciceronem*; tibique de tam bellis & veris reſtitutionibus in integrum multum gratulor; niſi tamen *Servius* diſtinctione ſanari debeat, ut ſit *prima, viridis, praceps*, quanquam locus ille de temporibus tuam opinionem firmet mirifice; & ita *atates* melius ſequi videantur.

Ut tamen etiam quæſtiunculam unam, aut alteram, ponam, ſic habe, me apud *Gruterum* 10, CCCXXI, hæc invenire:

IMP. NERVA TRAIANO. CAE. AVG. GERM. III.
VICERIO. ALARIANO. ET. L. MARCIO.
POSTVMO. COS.

Hoſce inter ſuffectos numeras, ſed nulli anno aſſignas, *pag. 11 ſecunda Partis Faſtorum.* An non adſcribendi ſunt anno 851, quo tertium Conſulatum geſſit *Traianus* una cum *M. Cornelio Frontone?* Neque enim numerus ternarius ad ali-

aliquid aliud poteſt referri, niſi me plane fallo, quam ad *Conſulatum*; & hic etiam exemplum habebis, Imperatorem ex ordinariis ſolum nominari, illique addi binos ſuffectos, ad ſimul deſignandum melius anni tempus; & doce me, quæſo, an vera canam, & an alibi eiuſcemodi exemplum inveneris. Conſules ordinarios & ſuffectos monumentis inſcriptos fuiſſe, patet ex *Grutero 1, 607*: III. NOEMB. ANTIO POLLIONE ET OPIMIANO. KOS. ORDINARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS. Primos crederem fuiſſe ordinarios, alteros binos ſuffectos; quia vox ORDINARIS ſequitur ſtatim KOS., quomodo & loqui ſolebant; nec dividere illas voces, id quod neceſſario faciendum eſt, ſi *Severus* & *Sabinianus* fuerunt ordinarii, id quod tamen cum ſtatuas *pag. 89*, credo, tibi aliunde conſtare, rem ita ſeſe habere, & certe in aliis Faſtis eorum nomina leguntur; niſi & hic ſuffecti occupaverint locum ordinariorum Conſulum.

Gentianum & *Baſſum* Conſules facis anni 963, & quidem recte; memoranturque etiam in Inſcriptione apud *Spon. pag. 18 Arar. ignot. Deorum.* Sed qui Faſti ſunt correctiores, in quibus alius nominatur, uti *pag. 75 Aegidius Lacarry* putat? Ego credo, virum doctum humani aliquid pati, & male diſtinguere *Q. Epid. Rufum Collianum Gentianum* a *Q. Epid. Rufo Colliano.*

Apud *Dionem pag. 890* invenio, *Caracallam* uſum fuiſſe ſæpe chlamyde ſemialba & ſemipurpurea: Χλαμύδα δὲ τοτὲ μὲν ὁλοπόρφυρον,

τοτὲ

τότε δὲ μεσόλευκον, ἔςι δὲ τότε καὶ μεσοπόρφυρον ὥσπερ καὶ ἐρυθρὸν ἐφόρει. *Chlamydem aliquando totam purpuream, aliquando semialbam, aliquando semipurpuream, sicut & rubram gestabat.* Aliud est igitur μεσοπόρφυρος, & inde sequitur, illam chlamydem fuisse ex purpura, sed albo distinctam; hanc vero forte ex albo, vel alio, colore, & purpura distinctam. *Rubenius* in *Lib. I Cap. 2* de lato clavo hac de materia agit; sed, quod miror summopere, in illo nec huius *Dionis* loci, nec alterius *p. 36*, ubi memoratur χιτὼν μεσόλευκος, facit mentionem, nec puto, eum satis clare hasce voces distinxisse, quanquam ceteroquin optime & eruditissime hanc materiam illustrauerit. Sed satis, & tempus est, ut dicam: *Claudite iam rivos.*

Celeberrimos Collegas tuos, *Meierum* & *Westenbergios*, verbis meis amantissimis, quæso, saluta. Servabo semper dulcium colloquiorum, quibus Harderovici recreatus fui, memoriam; & spero, vos omnes diu promoturos, ut facitis utique, terminos reipublicæ literariæ.

Pro pisciculis, nidore & fumo affatis, gratias ago, & filiæ meæ tibi eo nomine debent plurimum.

Scribis, tandem te a *Koolio* (qui me nuper invisit hanc per urbem ex Germania redux, & Lares petens,) in breve tempus mutuas accepisse *Inscriptiones Fabretti.* Si eas iterum consulere

 cupis,

Digitized by Google

cupis, eas tibi per quindecim (an plures?) dies mittam utendas. Vale. Dav. 26 Nov. 1705.

Sacris *Osiridis* nosti fuisse acclamatum, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Id & sibi deposcunt Consules *Lib. III Instit. Iustiniani* laudati. In Notis, quæ in editione *Corporis* Lugduno-Batava inveniuntur, video annotari, *Velleius Rufus* & *P. Hosterius Scapula*; nec dubito, quin fuerint Consules suffecti *Claudianis* temporibus anni 798. Ipse mihi hanc in rem dux es. Nam eius anni ordinarios facis *P. Val. Asiaticum* & *M. Iunium Silanum*; iisdemque ex Cal. Iuniis substituis *P. Sullium Rufum*, *P. Ostorium Scapulam*, addisque, *Lydiatum* scribere *Velleius*, quod quamvis in editione tua referatur ad *Scapulam*, credo tamen substitui debere ex viri docti sententia in locum *Sullii*. Et certe *l. 1 §. 1 D. de Assignat.* hi memorantur: *SCto, quod factum est Claudianis temporibus, Velleio Rufo & Ostorio Scapula Coss.*; &, quia ibi de eadem re agitur, quæ in Institutionibus tractatur, sequitur utique, eos ibi esse restituendos. Eosdem sufficit *C. Valerio Asiatico* (in tuis Fastis *Publius* appellatur) & *M. Messalla*, quem & ipse notas alios recensere loco *M. Iunii Silani*. Atque etiam ex hoc loco exemplum habes, Consulum suffectorum nomina SCtis fuisse adscripta. Vale iterum.

VIII.

Digitized by Google

VIII.

ADDENDA
AD
CHRISTOPHORI SAXII STRICTVRARVM IN NVPERVM FRANCI CVIVSDAM DE INCERTO HISTORIÆ ROMANORVM ANTIQVISSIMAE LIBELLVM SECTIONEM TERTIAM,

QVAE LEGITVR IN MISCELLANEORVM NOV. LIPS. VOL. III PARTE II PAG. 235 seq.

Ad *p. 307* post *lin. 26:* Καὶ συναγαγεῖν εἰς ταυτὸ τὰ γένη ταῖς μεγίϛαις ἀνάγκαις διανοηθέντας: item *Dionysio l. c. p. 100:* οἱ δὲ τὰ πιθανώτατα γράφοντες, οἷς κἀγὼ συγκατεθέμην, εἰς τὸ συνάψαι φιλότητα πρὸς τὰς πλησιοχώρους πόλεις ἀναγκαίαν, quoniam, eodem *Dionysio* teste *l. c. p. 99:* ὥσπερ ἐδόκει τοῖς παλαιοῖς εἶναι τρόπος βεβαιότατος τῶν συναπτόντων φιλίας. Hinc rectissime *Plutarchus p. m. 39:* Κάλλιϛον ἔργον καὶ πολιτικώτατον vocat. Causam suam factis praetendit. Augere volebat

(*) Hæc ipsa, quæ iam cum Lectore communicamus, legi debebant in *Partis II* huius *Miscellaneorum Voluminis pag. 307 lin. 26;* sed operarum turpi quadam negligentia factum est, ut plagula, quam hæc ipsa implebant, prelo iam fervente sit dispersdita. Ne igitur, mutila & inutilia sibi tradita, conquerendi causam habeat Lector, lacunam illam hoc in loco supplendi, consilium, forcasse non malum, cepimus. MENCK.

Digitized by Google

civitatem. Etruscos tentare & lacessere non debebat. Erat enim gens eo tempore florentissima, verum a Sabinorum gente sibi non valde metuebat, quoniam res Romana adeo iam erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esse videretur. * Iure ergo Sabini a Romanis rapiebantur, cum quoniam iniquum, & contra ius gentium, erat, connubia negare, tum quod institutum Spartanorum, ex quibus orti erant Sabini, id poscebat. Audiamus hic Cel. *Iul. Pontederam*, in *Antiquit. Latin. Graecar. Enarrationibus & Emendat. Epist. XLIX pag.* 418 & 419 ita praeclare disserentem: *Si Plutarchum, de Lycurgi legibus & Lacedamoniorum institutis scribentem, legeris, videbis, consuevisse Spartanos non pactis nuptiis virgines impuberes in matrimonium collocare, sed adultas & maturas concedere rapiendas. Quid igitur mirum, eam consuetudinem fuisse Sabinis, qui Lacedamonio sanguine orti erant, & Spartana colonia habebantur? Quod iudicium etiam prabet vox Thalassium, in nuptiis ab illo aevo retenta, qua virginem ad lanificium, h. e. ad matris familiae officium, adduci indicabant. Inde factum, (dicam Plinii verbis,) ut nubentes virgines comitaretur colus comta & fusus cum stamine. Quapropter, si quis Spartanos mores, & Sabinos quoque, intuebitur, minus iniuriosum in parentes Sabinarum raptum ha-*

* Rem acu tetigit *Frid. Gladovius* (*in der Lebens-Beschreibung des ersten Roemischen Koenigs Romuli, Halle, 1718, 8, Cap. 12,*) ineptus ceteroquin *Romuli* laudator, & Pyrgopolinices politicus, quo eum nomine *Georg. Christ. Gebauerus*, V. C. in *Romulo observationibus varii generis illustrato* appellavit.

Digitized by Google

habebit, cum illorum instituta imitati Romani, qui & finitimi erant, & Græco sanguine creati, tum etiam eorum multi Peloponnesii, quos Evander ex Arcadia in ea loca incolas adduxerat, connubia ea ratione, qua lex Sabina iubebat, adepti sint, quamvis inter cives id tantum licuisse sinamus. Neque censendum est, *Romuli* & patrum causa hunc raptum fuisse institutum. Nam, quod *Romulus Hersiliam*, ut nonnulli autumant, in matrimonium duxit, nec minus quasdam virgines forma excellentes, primoribus patrum destinatas, homines ex plebe domum deferebant, non *actu primo*, ut Dialectici aiunt, sed *actu secundo*, evenisse arbitror, ut exemplo etiam suo vulgus doceret, se rem iustam, nec indignam sua persona, ausos esse. Interim videtur in deligendis fœminis ad genus, divitias, formam, respexisse, ne tali connubio sibi maculam adspergerent. Proinde, *Hersiliam* ex proceribus Sabinorum unam fuisse, reor.

Pag. 182: Conviennent ils en aucune façon sur cette femme &c.) Quasi plures simul *Hersiliæ* una in civitate esse nequeant. Primo enim virginem *Hersiliam*, quam *Dionysius Lib III p. 136* ἑρσιλίαν θυγατέρα nominat, a Romanis raptam, & *Hosto*, seu *Hostilio*, (nam utroque nomine apud scriptores occurrit; *Dionysius* ὅστιλλον *Lib. III p. 163*, *Plutarchus* ὅστιλίον *p. 28*, *Livius Hostum Hostilium* & *Hostum Lib. I Cap. 12*, *Macrobius Lib. I Saturn. Cap. 6 Hostum*, vocat,) uxorem datam mater *Hersilia* sectabatur, quæ cum sua sponte propter filiam, quam habuit unicam, Romæ maneret, ipsi deinde *Romulo* nupsisse videtur. Ex illa *Ho-*

Digitized by Google

ſtus quidam virtute conſpicuus, vel, ut a *Plutarcho p. 26* vocatur, *ἀνὴρ Ῥωμαίων ἐπιφανέςατος*, procreavit *Hoſtum Hoſtilium*, patrem *Tulli Hoſtilii*, quem *Romulus* bulla aurea & prætextæ inſignibus honoravit, teſte *Macrobio Saturnal. l. c.* Altera forte *Herſilia* mater poſt mariti ſui obitum ſecundas nuptias cum *Romulo* celebravit, eique filiam *Primam* & *Aollum*, ſeu *Abilſum*, peperit: niſi hæc malis inter eas narrationes *Zenodoti* referre, quæ *πολλὰς ἔχει τὰς ἀντιλέγοντας*, teſte *Plutarcho p. 26.* Hinc etiam tempus fuit aliquando, cum ſuſpicarer, apud *Livium*, ubi *Herſiliæ*, coniugis *Romuli*, mentio fit *Lib. I Cap. 11*, pro *Herſilia coniunx* legendum eſſe *Herſilii coniunx*, quaſi denuo viro nubere recuſaverit, quanquam de hac re nihil apud quemquam veterum invenimus. Id enim tantum traditur, *ἑκοῦσαν ὑπομεῖναι* (*Dionyſ. Lib. II, p. 110*). Quare falſum eſt crimen repugnantiæ, quod *Dionyſio* temere affingis *p. 183*, *que cette Herſile étoit reſtée à Rome ſans s'y marier.*

Pag. 183: Une choſe, qui paroit étrange &c. Eodem pacto *Clericus* ad *Liv. Lib. I Cap. 22*, *mirum eſt*, inquit, *Albanum regnum poſt Numitoris a nepotibus reſtituti mortem ad Romulum devolutum non eſſe, cum eius familiæ hæreditario iure antea fuiſſet. Si cauſam eius rei norant Hiſtorici, digna erat, quæ paucis diceretur. Sed, rei tam antiquæ memoriam iam diu intercidiſſe, putarim.* Atqui vero ſcriptores & norant cauſam, & explicarunt. Vid. *Plutarchum* in *Romulo p. 34*: *ἐπεὶ δὲ τοῦ πάππου Νομήτορος*

ἐν

Digitized by Google

ἐν Ἄλβῃ τελευτήσαντος, αὐτῷ βασιλεύειν προσῆκον, εἰς μέσον ἔθηκε τὴν πολιτείαν δημαγωγῶν, καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἀπεδείκνυεν ἄρχοντα τοῖς Σαβίνοις, vel Ἀλβανοῖς. Vid. *Histoire de l'Acad. des belles lettres T. IV p. 200.* Etiamsi enim *Licinius* apud *Dionysium Lib. V p. 337* (ne quid dissimulare videar,) memoriæ prodat ἐκ λειπούσης τῆς βασιλικῆς συγγενείας ἐνιαυσίους ἄρχοντας ἀποδεῖξαι, nunquam tamen suo iuri in terras Albanas renuntiavit *Romulus*, sed id solum dedit operam, ut & metueretur ab omnibus, & diligeretur.

Pag. 182 : Selon Tite, Live ce nombre étoit encore &c.) Immo, patrum quoque numerum crevisse, dicit *Livius*, his verbis, *Lib. I Cap. 13 : ita geminata urbe.* Cuius rei veritatem sequentia eius dicta, agnoscunt, cum *Lib. II Cap. 1*, velut compensatione ἀπὸ τοῦ κοινοῦ scriberet: *Cadibus regis deminutum Patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit.*

Ibid. *On a lieu d'être surpris, que Plutarque* &c.) Est haud dubie in illo *Plutarchi* loco mendum aliquod, quod *Xylander* etiam animadvertit in *Annotat.* ad *Num. T. I p. 7, Equidem non video*, inquiens, *ut hoc verum sit*, *utque consentiat cum eo, quod in Romulo dictum est - - - quod & hic malim. Non enim CL, sed CC, fuerunt etiam ex Plutarchi, ut diximus, sententia.*

Cap III p. 187 : Tite Live est plutôt d'accord avec Plutarque &c.) Nodum in scirpo quæris. Nihil enim clarius est, quam *Livium* cum *Dionysio* conveni-

venire. *Dionysius p. 119 Lib. II* unicuique Decuriæ Senatorum quinquaginta dies attribuit; *Livius* prodit, decem imperitasse, hoc est, singulis in singulam decuriam creatis, qui summæ rerum præessent, potestatem consociasse, quorum unus per quinque dies cum insignibus imperii & lictoribus erat, *quinque dierum spatio* (quod ad unum illum pertinet,) *finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat.* Quod autem *Livius* & *Vopiscus* in Vita *Taciti Cap. 1*, interregnum penes C patres fuisse, tradunt, id propterea factum est, quasi nescierint, sub *Romulo* geminatam urbem esse, aut quia forte Sabinos istos pro genuinis habere nolebant. Propterea *Boxbornius* in Disput. II *de Numæ principatu p. 153* (vid. eius *Emblemata & Diss. polit.*) recte, *at Livii*, inquit, (quin & *Dionysii*) *narratio rationi magis convenit, ac iccirco verior nobis habetur. Maior quippe auctoritas esse potuit, qui per dies quinque praeerant, quam istorum, qui sex* (immo duodecim) horarum imperium adepti, iis elapsis, privatorum loco habebantur. Et *Crevierius* ad *Lib. I, 17, p. 25, Ceterum*, ait, *Dionysii* (neque minus *Livii*, quem a *Dionysio* nullo modo discrepare puto,) *fides potior habenda esse hac in re videtur, cum postea, quam diu interregis imperium & nomen in republica fuit, semper quilibet interrex ad quinque dies potestatem habuerit.* Nec ab re erit, de his veterum Auctorum pugnis videre *Georg. Christ. Gebaueri*, V. C. *Numam Pompilium, observationibus varii generis illustratum, Cap. 22 p. 12, 13.* Vulgarem *Vopisci* lectionem emendavit *Salmasius* legendo: *Quare factum est, ut plus*

anno

anno interregnum iniretur, quam utique verum esse, arbitror. Etsi enim *Livius*, annuum fuisse regni intervallum, scribit; id tamen late accipiendum esse reor, redundantibus quibusdam mensibus, quos *Livius* prætereundos esse duxit. Hinc *Dionysius* & *Plutarchus* illius μεσοβασιλείας tempus plane non definiverunt. Ceterum *Salmasii* opinionem non probo, qui in *Notis* ad eund. locum *Vopisci p. 414* ed. Parif. 1620, fol. contendit, *non solum*, inquiens, *omnes senatores, quotquot fuere, semel orbem suum confecisse, & ordine suo regnasse, necesse est, sed etiam, multis vicibus orbem illum regnatorium ad singulos redisse, verissimum est. Idque aperte vociferat Livius, cum scribit: Quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibant.* Etenim id quoque in orbem ire potest, quod semel fit, modo ad ultimum a primo devolvatur. Interim *Vopiscus* hic in censum venire non debet, utpote qui, ipso *Salmasio* iudice, *non hic tantum, sed in aliis locis non paucis, res breviter & incuriose narrando, ei se vitio maxime fatetur affinem, quod in Trebellio Pollione reprehensum a Tiberiano fuisse, supra scribit.*

Pag. 189: Mais selon Denis d'Halicarnasse &c.) Perfunctorie legisti *Livium*. *Dionysii* enim verbis (*p. 119 seq.*) ὁ μὴν ἔγε δῆμος ἐφ' ἑαυτῷ τὴν αἵρεσιν ἐποίησεν, ἀλλ' ἀπέδωκε τοῖς βυλευταῖς τὴν διάγνωσιν, ὡς ἀγαπήσων ὁποτέραν ἂν ἐκεῖναι δοκιμάσωσι τῶν πολιτειῶν, *Livii* oratio ex asse convenit *Lib. I Cap. 17: Adeo id gratum plebi fuit, ut, ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent, iuberentque*, ut Senatus decerneret, *qui Romæ regnaret.* Si enim *Plutarchi* opinione Senatus plenum ius Regem creandi habuisset, verendum utique non fuisset, ne ὑπονοίαις καὶ θορύβοις περιέπιπτον, ὡς μεθιςάντες εἰς ὀλιγαρχίαν τὰ πράγματα καὶ διαπαιδαγογῦντες ἐν σφίσιν αὐτοῖς τὴν πολιτείαν, βασιλεύεσθαι δὲ ὐκ ἐθέλοιεν. Vid. *p. 61* in *Numa.*

* * *

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE VOLVMINIS TERTII PARTE QVARTA CONTINENTVR:

I. GOTTLOB FRIDERICI OVDII de Christo, & discipulis eius, decori studiosis, Commentatio philosophico-historica. Pag. 563-575.

II. CAROLI HENRICI ZEIBICHII, Artium Mag. S. S. Theol. Candid. Ord. Philos. Wittenb. Assessoris, de Porticu Salomonis, ad *Io. X*, 23, *Actor. III*, 11, *V*, 12, Diss. historico-philologica. Pag. 576-615.

III. PETRI ZORNII Diss. de Superstitiosa plagarum coeli antiquitus apud varias gentes observatione in sepeliendis mortuis. Pag. 616-649.

IV. I. C. H. Emendationes in Iulii Caesaris Libris criticae, iterum continuatae. Pag. 650-669.

V. I. C. S. Explicatio verborum Nepotis: *T. Pomponius Atticus ab ultima origine stirpis Romanae generatus* &c. Adduntur nonnulla ad *Caesaris Germanici Arat. Vers.* 38. Pag. 669-673.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinae, quae in vulgaribus Latinae linguae Lexicis frustra quaeruntur, ex priscis Auctoribus collectae. *Sectio II*, sextum continuata, & finita. Pag. 673-689

VII. GISBERTI CVPERI ad *Theodorum Ianssonium ad Almeloveen* Epistolae, iterum continuatae. Pag. 689-742.

VIII. CHRISTOPHORI SAXII Addenda ad Stricturarum in Franci cuiusdam nuperum de Incerto historiae Romanorum antiquissimae libellum Sectionem III, quae legitur in *Miscellaneorum Nov. Lips. Vol. III Parte II p.* 235 *seq.* Pag. 743-749.

Digitized by Google

INDEX I.

DICTORVM SCRIPTVRAE SACRAE, IN HOC VOLVMINE TERTIO EXPLICATORVM, AVT ILLVSTRATORVM:

Gen. VI, 4. 436
XX, 11. 23
XX, 621
XXXI, 31. 23
XXXVII, 33. 210
XLIX, 17. 211
27. 214
Exod. VIII, 17. 201. 202
20. 21 212
24. ibid.
27. 213
31. 204. 205
IX, 31. 32. 213
X, 12. ibid.
15. ibid.
17. 215
XIV, 15. 24
XX, 5. 376
XXIII, 17. 30
XXXIV, 23. ibid.
Num. XI, 16. 608
25. 183
XVI, 19. 608
XXIII, 24. 211
XXXIII, 55. 187
Deut. XVI, 16. 30
XXVIII, 26. 36
XXXIII, 2. 191
Jos. II, 21. 35
XXIV, 19. 376
Iudic. XIV, 14. 216
XV, 2. 23
Ruth IV, 1. 608
1 Sam. IV, 3. 3
XVII, 7. 33
2 Sam. III, 15. 3
V, 8. ibid.
XIII, 16. 1. 3
XIV, 22. 4
30. ibid.
XVI, 12. 3
XVIII, 3. 4
13. 3
XX, 5. 4
XXI, 19. 33
1 Reg. VI, 3. 594
VII, 15 seq. 596
19. 597
21. ibid.
41 seq. 596
X, 28. 35
XII, 33. 3
XIII, 28. 210
XIV, 11. ibid.

1 Reg.

1 Reg.	XVI, 4.	210
	16.	29
	18.	ibid.
	23.	ibid.
	XVIII, 10.	ibid.
	XIX, 9.	ibid.
	XXI, 23.	210
2 Reg.	IX, 10.	210
	36.	ibid.
	XIV, 13.	597
	XXI, 16.	23
2 Par.	I, 16.	35
	III.	595
	17.	596
	IV.	595
	V, 12, 13.	25
Esr.	VIII, 27.	598
Neh.	III, 1.	582
	3.	197
	XII, 39.	197
	XIII, 16.	ibid.
Esth.	IV, 12.	24
Iob.	I, 21.	19
	II, 9.	189
	V, 3.	6
	5.	216
	VI, 4.	190
	VII, 5.	189
	13.	23
	XV, 19.	186
	XVI, 10.	192
	XX, 15.	191
Iob.	XXX, 9.	25
	XXXI.	192
	26.	646
	35.	466
	XXXII.	192
	7.	23
	XXXIII, 9-12.	192
	XXXIV, 5.	ibid.
	8.	ibid.
	XXXV, 2.	ibid.
	XXXVIII, 5.	35
	XLI, 6.	191
Ps.	III, 3.	32
	8.	28. 32
	IV, 3.	17. 19. 20
	VII, 4.	16
	IX, 17.	18. 21. 26
	XIX, 15.	24. 27
	XXIII, 10.	28. 32
	XXXIII, 2.	25
	XXXIV, 2.	19
	XXXV, 28.	22
	XXXVII, 20.	ibid.
	30.	ibid.
	XLII, 2. 3.	21
	4. 5.	20
	XLIII, 4.	25
	XLIV, 13.	ibid.
	XLV, 8.	28
	11.	ibid.
	XLIX, 14.	18. 19. 20
	L, 12.	183

Digitized by Google

Ps. LII, 4. 5. 20
LIII, 6. 390. 391
LVI, 1. 669
LVII, 9. 10. 25
LXV, 6. 669
LXVIII, 6. 18
14. 669
LXIX, 13. 25
LXXI, 24. 22
LXXV, 4. 17
LXXVIII, 45. 201. 205. 212
LXXX. 467
9. 10. 6
LXXXII, 2. 18. 20
LXXXVIII, 8. 19
LXXXIX, 46. ibid.
49. ibid.
XCII, 4. 25
CIII, 36. 32
CV, 3. 201
32. 212
47. 32
CVI, 48. ibid.
CXIII, 15. 22
CXXX, 7. 641. 642
CXL, 2. 3. 21
4. 20. 21
CXLVII, 9. 32
CL, 6. ibid.
Prov. VII, 16. 36
VIII, 7. 22
XXVI, 6 191
XXX, 17. 211
Eccles. X, 12. 25
Cohel. II, 4-6. 588
Es. VII, 18. 210. 211
VIII, 4. 232
XIV, 24. 24
XIX, 9. 36
XXIII, 6. 1. 5
XXXI, 4. 21
XXXVIII, 12. 37
14. 21
XL, 6. 26
LIX, 3. 22
5. 34. 36
6. 36
13. 22
Jer. V, 6. 214. 215. 216
XV, 3. 210
LII, 17. 597
Thren. III, 14. 25
62. 63. ibid.
Ezech. IX. 468
4. 461. 463. 464. 465
XVII, 7. 36
XXVI, 5-14. 197
Amos V, 3. 25
Habac. I, 8. 207. 211. 214. 217
III, 3. 32. 214. 215. 217

Habac. III, 11. 28
Sophon. I, 20. 197
III, 3. 207
Agg. II, 9. 588
Zach. XIV, 4. 641
Sap. XI, 15. 203
Macc. IV, 52-59. 600
Matth. I, 6. 378
VI. 5. 200
25. 422
IX, 3. 24
X, 3. 375
4. 376
9. 10. 572
32. 33. 427
XIII, 2-4. 377
55. 377. 381
XVI, 3. 600
XXI, 8. 8
12. 609
XXIV, 1 seq. 603
8. 419
27. 649
48. 24
XXV, 12. 571
XXVI, 58. 378. 379
61. 379
Marc. II, 14. 581
III, 18. 376
VI, 3. 377. 381
8. 9. 572
XI, 8. 8
15. 609
Marc. XI, 25. 200
XIII, 1 seq. 603
XV, 1. 380
40. 378. 380
47. 380
Luc. I, 35. 449
IV, 22. 25
VI, 15. 376
16. 377
VII, 39. 24
43 seq. 570
XII, 18. 24
XIV, 7-10. 570
XVI, 3. 24
XVIII, 10. 200
XIX, 45. 609
XXI, 4 seq. 603
XXIV, 10. 380
Jo. V, 2. 581
VI, 27. 464
VIII, 44. 189
X. 603
22. 569. 599
23. 576. 599. 605
XII, 13. 8
XVIII, 38. 709
XIX, 25. 377. 378. 379. 380
Act. I, 13. 375. 376. 377
II, 1. 231
5 seq. 31
III, 1 seq. 614
2. 610
10. ibid.

Act.

Digitized by Google

Act. III, 11. 576
V, 12. 234.576.606
VIII, 10. 419
13. 425
IX, 37. 617
XX, 36. 199
XXI, 5. 193.197
XXII. 672
XXIII, 5. 573
XXVI, 2. 3. 572
11. 429
25. 572
XXVII, 27. 600
Rom. I, 22. 417
26. 401
II, 12. 234
III, 25. 183
V, 12. 189
VII, 18. 189
VIII, 32. 183
XI, 36. 33
XII, 2. 574
XIV, 17. 575
1 Cor. II, 14. 422
IV, 13. 184
VIII, 1-3. 409
IX, 5. 381
21. 234
22. 572
X, 26. 183
XI, 5-15. 574
XII, 1. 429
XV, 44. 423
1 Cor. XI, 23-29. 193
XII, 7. 183
Gal. I, 5. 33
III, 5. 183
VI, 17. 184
Ephes. III, 21. 33
V, 19. 24
Phil. II, 17. 184
27. ibid.
Col. III, 16. 24
IV, 6. 25
1 Tim. III, 2. 573
IV, 3. 4. 396
2 Tim. IV, 18. 33
1 Petr. III, 22. 449
2 Petr. I, 14. 383
II, 10. 450
1 Jo. II, 19. 459
20. 442
27. ibid.
IV, 1-3. 432
5, 6. 442
Hebr. II, 14, 15. 189
XIII, 21. 33
Jac. I, 17. 457
Jud. 373 seq.
Apoc. II, 6. 426
8. 428
V, 8, 9. 25
VII. 468
3. 461.465.467
IX, 4. 461
XV, 2, 3. 25

INDEX II
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Actorum diurnorum apud Romanos ratio quæ? 237
Aegypti quarta plaga quæ fuerit? 202 seq.
Ære ferrum permutandi, aquarum Neosoliensium singularis vis descripta. 469 seq.
ΑΛ. in statua Aegyptia quid notet? 703. 714
Alberti (Io.) de porta porticus Salomoneæ sententia sub judicium vocata. 611 seq.
Alexander Severus cur Christi imaginem in larario suo asservaverit? 73 seq.
Ad Almelovenii de Poculis veterum Dissertationem varias animadversiones. 695 seq.
Angelis creatio mundi & commercia cum feminis venerea a sectatoribus Philosophiæ orientalis attributa. 434 seq.
a Gnosticis iniuria illata. 460
Apuleji loca varia emendata, aut explicata. 487 seq. 491. 495. 502. 507. 509
Aquarum Neosoliensium æratarum singularis ratio descripta. 469 seq.
Arobh, quarta plaga Aegypti, quomodo explicanda? 202 seq.
Atestino-Welficorum Principum historia, Ducum Brunsuico-Luneburgensium originem illustrans. 88 seq.

B.

Brunsuico-Luneburgensium Ducum origo ex Principum Atestino-Welficorum historia derivanda. 88 seq.

C.

Cæsaris (Iulii) loca nonnulla emendata, aut explicata. 329 seq. 650 seq.
Carolum M. artem scribendi ignorasse, an ex loco Eginharti probari possit? 124 seq.
Catomidiare, vocis, verus sensus investigatus. 717 seq.
Centemmanus an recte Pomponio Appius Claudius dicatur? 728

Chri-

Digitized by Google

Christi imago in larario Alexandri Severi pluribus illustrata. 49 seq.
Christus cum discipulis suis decori studiosissimus fuit. 563 seq.
Ciceronis loca explicata. 148 seq. 350 seq.
Conopeum quid fuerit antiquis? 693
Consulem non nisi unum variæ Inscriptiones nominant. 738
Criticæ sacræ prudenter adhibitæ novum specimen. 1 seq.

D.

Decori studiosissimus fuit Christus cum discipulis suis. 563 seq.
Dia in veteri Inscriptione Iunonem notat. 719

E.

Eginharti locus emendatus & explicatus. 124 seq.

F.

Fasti Consulares illustrati & emendati. 720 seq. 734 seq. 737 seq. 742
Ferrum ære permutandi vis aquarum Neosoliensium. 469 seq.
Frontini locus explicatus. 505 seq.
Fulgurita vestis in sacris quæ olim fuerit? 698 seq.

G.

Gallandi adversus Harduinum Dissertatio laudata. 179
Galliæ veteris geographia illustrata. 664 seq.
Germanici (Cæsaris) versus emendatus. 672
Gespenste, nominis Germanici, etymologia. 533
Gruteri (Iani) Suspicionum criticarum Liber decimus nunc primum editus. 480 seq.

H.

Hedingerus (Io. Reinh.) Caveo a Menckenio commendatus. 370
Historiæ Romanæ monumentorum veritas vindicata. 235 seq.
Historicorum Romanorum veterum notitia. 276 seq.
Hochstæterus (Ad. Andr.) Caveo a Menckenio commendatus. 369

I.

Inscriptiones antiquæ explicatæ. 719 seq. 734 seq.
Iudæ, Apostoli, genus & vita exposita. 375 seq.

Digitized by Google

Iira an quædam in Sodalium Notæ existant? 178
Iustini Martyris loca nonnulla explicata, aut emendata. 222 seq.
Iynges quid sint in Philosophia orientali, explicatum. 405 seq.

L.

Lampridii de imagine Christi locus explicatus. 44 seq.
notitia literaria. 46
de Nonis Piis locus explicatus. 180
Lapathus, ignotum Fabro vocabulum. 147
Lararia veterum illustrata. 52 seq.
Latiar vox explicata. 147
Latria, Cassiodoro usurpata vox. 150
In Lectis apertis veteres recubasse, demonstratur. 690
Legionarius, vox, inter Substantiva numeranda. 150
Legumlator, in Livio obvium vocabulum. 152
Levigare idem, quod leve facere 152
Libertinus, adiectivum nomen. 152
Literula recte singulari numero dicitur. 153
Ad Litora precandi mos Ebræorum illustratus. 194 seq.
Livii loca nonnulla explicata. 360
Livius in scribendis historiis veritatis studiosus, 238 seq. 273 seq.
Longiturnitas, Cassiodoro usurpatum vocabulum. 154
Lubricitas, pro lubrico usurpatum Cassiodoro. ibid.
Lupi natura explicata. 216 seq.
Luporum frequentia in Aegypto. 219 seq.
quarta plaga Aegypti. 213 seq.

M.

Magorum potentia in spiritus a Iuda, Apostolo, destructa. 387 seq.
Mala, singulari numero Horatio usurpatum vocabulum. 155
Margiti qualis fuerint populus? 730
Mastiche idem, quod mastix. 155
Medeas an Ovidius scripserit duas? 730 seq.
Medii Fidii antiquitates illustratæ. 715
Medioxumis in antiqua Inscriptione quid notet? 718
Mercenarius, nomen Substantivum. 156
Meretricabilis & Meretricarius, Cassiodoriana vocabula. 157

Meu

Meu idem, quod Mae, planta. 158.
Milichus Deus, Silio cognitus. ibid.
Mimus, adiectivum nomen. ibid.
Moereo, inter Deponentia numerandum. 159
Multicavatus, Varronianum vocabulum. 160
Multicavus, Ovidio uſurpatum vocabulum. ibid.
Muſcae caninae an fuerint quarta plaga Aegypti? 207 ſeq.

N.

Nemoricultrix, vox Phaedro uſurpata. 161
Neoſolienſium aquarum ceratarum ſingularis ratio deſcripta. 469 ſeq.
Nepotis locus explicatus & emendatus. 669
Nigrum, nomen Subſtantivum. 161
Nonae Piae in loco Lampridii explicatae. 180
Nullusdum, vox Fabro incognita. 162
Numi, fabulam Parcarum illuſtrantes. 38 ſeq.
Nuptialia quid ſint in loco Valerii Maximi? 163.
Nutritura, Caſſiodori vocabulum. ibid.

O.

Octophoros, Adiectivis aggregandum nomen. 164
Omniperitus, vox Albinovano uſurpata. 165
Oneraria, vocabulum Subſtantivis aggregandum. 166
Opium, Fabro haud notatum vocabulum. 168
Opopanaces, vox Scribonio Largo uſurpata. 169
Oppalliare, Caſſiodorianum vocabulum. ibid.
Ovidii locus explicatus. 539 ſeq.
Ovidius an duas ſcripſerit Tragoedias, Medea dictas? 730 ſeq.

P.

Palaeſtricus notat hominem, qui artem palaeſtricam docet. 346
Palmarum hiſtoria naturalis illuſtrata. 11 ſeq.
Panchreſtus, nomen adiectivum. 348
Parcarum fabula ex antiquitatibus orientalibus & numis illuſtrata. 37 ſeq.
Paſchii (Io.) de notione vocis Selah ſententia refutata. 15 ſeq.
Pedicularius, vox adiectiva. 349
Pellectio, vox Ciceroni uſurpata. 350 ſeq.

Perdives, Fabro ignotum vocabulum. 352
Perfrequento, verbum apud Auctorem Argumentorum Fabularum Ovidii obvium. 353
Perturbativus, Cassiodorianum vocabulum. 354
Philippeus, Substantivi vim habens nomen. ibid.
Philosophia orientalis cur se olim in coetum Christianorum insinuaverit? 424 seq.
Pigmentarius, apud Scribonium vim adiectivi habet. 355
Pictoris (Fabii) in Historia Romana auctoritas vindicata. 265 seq.
Pflaume Germanis prunum aeque ac plumam notat. 534
Plagarum coeli superstitiosa olim in sepeliendis mortuis observatio illustrata. 616 seq.
Plauti loca varia explicata & emendata. 482 seq.
De Poculis veterum variae animadversiones. 695 seq.
Polentatus, vox apud Auctorem antiquum obvia. 355
Pollutor, Cassiadoro usurpata vox. 356
Polygonium, Scribonio pro polygonum usurpatum. ibid.
Pomponii de Origine Iuris loca duo explicata. 725 seq.
Pontificum Romanorum Annales a falsitate vindicati. 248 seq.
Porticus Salomonis ex antiquitate Hebraica illustrata. 576 seq.
Praefectus urbi an olim fuerit perpetuus? 726 seq.
Praenuntius apud Valerium Max. Substantivi vim habet. 357
Praestigia & Praestigium, voces Auctoribus antiquis usurpatae. 358
Preces Ebraeorum litorales illustratae. 194 seq.
Proflagro, verbum antiquum. 358
Profligatio, vox in Consolatione Tulliana obvia. 359
Propiunt apud Livium quid notet? 360
Pullum pro pulla veste Livio usurpatum. 360 seq.

Q.

Quamplurimum, Adverbium Fabro incognitum. 364
Quatham, vocula Livio usurpata. 365
Quintilianus cur hodie in paucorum sit manibus? 181
Quolibet, Adverbium Fabro ignotum. 365

Re-

Digitized by Google

R.

Recompensare, verbum non satis Latinum. 366
Recompensatio, vox apud Cassiodorum obvia. 367
Reseriatio, vox Cassiodoro usurpata. ibid.
Redivivatio, Cassiodorianum vocabulum. ibid.
Retentus, Adiectivum Ovidianum. 367 seq.
De Romæ conditæ epocha discrepantes veterum sententiæ. 299 seq.
Romanæ historiæ monumentorum veritas vindicata. 235 seq.
urbis origo in dubium vocata. 269 seq.
Rurigena, vox Fabro incognita. 536

S.

Sacerdos, vox adiectivi naturam habens. 537
Salomonis porticus ex antiquitate illustrata. 577 seq.
Satisdato, vox non inter Substantiva, sed Adverbia, referenda. 538
Saxatilis, piscium genus, Ovidio nuncupatum. 539
Scitus, Substantivum Fabro incognitum. 543
Scorpius, vocis, variæ significationes notatæ. 711
Scribonii Largi loca emendata. 354 seq. 685
Scutatus, Substantivis annumerandum nomen. 545
De Selah, vocis Davidicæ, origine & significatu conjectura nova. 18 seq.
In Sepeliendis mortuis superstitiosa plagarum coeli observatio illustrata. 616 seq.
Septenarius, apud Tullium Substantivum nomen. 547
Septentrio apud Tullium naturam adiectivi habet. 547
Servii locus explicatus. 698 seq.
Sesquilibra, vox a Fabro prætermissa. 548
Sesquimodius, neglectum Fabro nomen. 549
Severi (Corn.) locus emendatus. 688
Sigillum Dei in frontibus fidelium explicatum. 461 seq.
Simonis Magi blasphemiæ variæ enarratæ. 11 seq.
Simulatorie & Simulatorius Cassiodoro usurpata vocabula. 549. 550
Snabelii obitus & laudes. 180
Spodiacus Scribonio quid notet? 550
Stacton, Collyrii genus apud Scribonium. 550 seq.

Sti-

Digitized by Google

Stipendiarius, vox Substantivi naturam habens. 552
Suavifico apud Cassiodorum obvium. 553
Subsidiarius, nomen Substantivis aggregandum. ibid.
Summoto adscendere, incedere, formulae explicatae. 553 seq.
Superficialiter diligere, quid sit Cassiodoro? 560
Superinstrepo, vox Silio usurpata. 561
Superspero, verbum, apud Cassiodorum obvium. ibid.

T.

Taciti locus explicatus. 517 seq.
Tarquinii, Regis Romani, stemma genealogicum. 315
Templi Hierosolymitani posterioris structura descripta. 589 seq.
Tragacanthum, vox antiquis Medicis usurpata. 673
Tranquillum, vox Substantivis aggreganda. 675
Transmaritimus, vox nihili. 679
Triangulum, nomen Tullio usurpatum. 680
Tribuum antiquarum ratio adhuc satis obscura. 311 seq.
Triennia, Bacchi sacra ita dicta. 681
Trietericus & Trieteris, ex Graecia in Latium translatae voces. 681. 683
Troglodytis myrrha Scribonio quae? 685
Tryphera inter compositiones medicas a Scribonio refertur. 684

V.

Vegetii de Mulomedicina loca emendata. 551. 686
Velleii locus vexatissimus emendatus & explicatus. 521 seq.
Veritas an ab antiquis ut Dea culta? 703 seq.
Vestis fulgurita in sacris quae olim fuerit? 698 seq.
Vicanus, Substantivum nomen. 686
Victoria an in nummis victori coronam imponat? 702
Violatrix, vox apud Auctorem antiquum obvia. 687
Virgilii loca nonnulla emendata & vindicata. 169 seq.
Umbratice diligere quid sit Cassiodoro? 687
Utrimsecus, adverbium in Aetna Severi obvium. 687 seq.

W.

Wagnerus (Christian.) quo mortis genere obierit? 371

Wel-

Digitized by Google

Welficorum Principum historia, Ducum Brunsuico-Luneburgensium originem illustrans. 93 seq.

X.

Xylocinnamum, vox Scribonio usurpata. 689

ERRORES NONNVLLI OPERARVM,

QVI IN VOLVMEN II ET III HORVM MISCELLANEORVM IRREPSERVNT, ITA SVNT EMENDANDI:

T. II P. II p. 305 lin. 6 lege *ipse*, *ut in editis est*, *statim*; *lin. 19* pro *assumit* l. *assumsit*.
p. 315 lin. 3 pro *Glossarium* l. *Goslarium*.
p. 316 lin. 31 pro *in se* l. *inde*.
T. II P. IV p. 624 lin. 12, 13, pro *mediocriter retinuit* leg *ferebat*.
p. 625 lin. 6 pro *in Bruti* leg. in *Orator. ad Brutum*.
p. 634 lin. 12 post *c. 7* insere *apud*.
p. 639 lin. 24 pro *29* leg. *24*.
p. 641 lin. 13 add. *n. III*.
p. 643 lin. 1 pro *fueritt* leg. *fuerit*; *lin. 2* pro *faci* leg. *facit*.
p. 644 lin. 5 pro *auroque carius* leg. *auroque non carius*.
p. 647 lin. 11 pro *33* l. *32*.
p. 650 lin. 24 pro *p. 796* l. *696*.
p. 653 lin. 16 pro *Valerias* l. *Valerius*; *lin. 36* pro *231* l. *213*.
p. 654 lin. 27 pro *plus* l. *pus*.
p. 657 lin. 11 post *indigitamentis* expunge punctum.
p. 659 lin. 2 pro *exemplaria* l. *exempla*; *lin. 25* pro *officina* l. *officina*.
p. 660 lin. 4 pro *Beauforte* l. *Belleforte*; *lin. 27* pro *Beauforte* l. *Belleforte*.
p. 674 lin. 8 pro ἄδεται l. ᾄδεται.
p. 675 lin. 15 pro *1698* leg. *1696*.
p. 678 lin. 22 pro *Varro* l. *M. Varro*.
p. 679 lin. 30 pro *dedicatam* l. *dedicatu*.
p. 680 lin. 31 pro *La* l. *Le*.
p. 681 lin. 3 pro *VI* l. *XVI*.
p. 682 lin. 10 pro καλυμμίνη l. καλυμμένην.

p. 684

p. 684 lin. ult. pro *οἷς* l. *αἷς.*

p. 686 lin. 19 pro *πεξὰς* l. *πεζὰς.*

p. 686 in Not. * *lin. 4* pro *cumperti* l. *comperti.*

p. 687 lin. 23 pro *pag. 27* leg. *p. 2715* *lin. 25* pro *γυναίκα* l. *γυναῖκα.*

p. 688 lin. ult. pro *vd.* l. *vid.*

p. 689 lin. 3 pro *493* l. *494.*

p. 697 lin. 7 pro *Decora* l. *Decora.*

p. 706 lin. 1 post *narrationem* insere *alicui.*

p. 708 lin. 4 pro *Horum* l. *Hoc* & pro *relatos* l. *relatas.*

T. III P. I pag. 3 lin. 23 pro ז leg. ו.

p. 22 lin. 6 pro עדיק leg. צדיק.

p. 35 lin. 9 pro *filium* l. *filum.*

p. 56 lin. 21 pro *ilud* l. *illud.*

p. 89 lin. 5 pro *Henningerus* l. *Henningesius.*

pag. 94 omittuntur hæc in Notis, infra positis: a) *Chron. Weingart. c. 3 p. 782 T. I Leibn. Historia de Guelfis ad A. 1191 p. 798, Sandhemius pag. 881 T. I Leibn.* b) *Chron. Weingart. c. 7. pag. 784, Sandhemius p. 802 T. I Leibn.*

ead. pag. lin. 23 pro *exposuerunt* l. *exploserunt.*

p. 95 lin. 6 pro *Wel* l. *Welf.*

p. 96 lin. 7 pro *dominis* l. *dominis, Comitem, &c.*

p. 97 lin. 2 pro *ille Azonum* l. *ille, qui Azonum.*

p. 104 lin. 9 pro *cognita, matrem* l. *cognita. Matrem* &c.

p. 106 lin. 8, 9, lege ita: *Eslinga, Andolfinga, in Alsatia Colmaria & Lagenicio.*

p. 107 lin. 9 pro *eiusque* l. *eisque.*

p. 110 lin. 22 pro *quæ* l. *quod.*

p. 111 lin. 1 pro *descripsit* l. *rescripsit.*

p. 112 lin. 11 pro *Imperator* l. *Imperatori.*

p. 114 lin. 4 pro *ex quo* l. *qui ex ea.*

p. 120 lin. 25 pro *dictioni* l. *ditioni.*

ead. pag. Notæ *b* & *c* sunt inter se permutatæ.

p. 121 lin. 3 pro *felicibus* l. *felici.*

ead. pag. lin. 13 pro *filius* l. *filius Conradus.*

p. 122 lin. 20 pro *qua* l. *qua is.*

P. II

Digitized by Google

P. II p. 196 lin. 11 pro προσευγὰς l. προσευχὰς.
p. 244 lin. 17 pro Δατίνων l. Λατίνων.
lin. 18 pro Δατίνων scribe Λατίνων.
p. 245 lin. 3 pro *explicationis* l. *explicationem*.
p. 246 lin. 30 pro *cap.* 34 l. *cap.* 14.
p. 248 lin. 25 pro *eruditum* l. *ridiculum*; lin. 30 pro ; scribe ,
p. 252 lin. 4 pro *rent* l. *sent*.
p. 254 lin. 15 pro *aliquod* l. *aliquot*.
p. 255 lin. 10 pro *utem* l. *autem*.
p. 256 lin. 2 pro *Thm.* l. *Thom.*
p. 258 lin. 13 pro *Aelianum* l. *Aurelianum*; lin. 27 pro *exemplaria* l. *exempla*.
p. 262 lin. 13 pro *Valliantium* l. *Valentem*; lin. 28 pro 66 l. 96.
p. 265 lin. 1 pro *conversatione* l. *contubernio*; lin. 16 pro *complectamur* l. *complectamur*.
p. 271 lin. 19 pro *Satirici* l. *satirica*.
p. 281 lin. 2 post *c.* 20 adde *p.*; lin. 13 pro 430 l. 438; lin. 26 pro 273 l. 237.
p. 283 lin. 27 pro *a. V. C.* 665 l. 660.
p. 284 lin. 21 expunge *Vid.*
p. 285 lin. 18 pro *colligit* l. *collegit*.
p. 287 lin. 2 pro *Lib. I* l. *Lib. II*; lin. 19 pro *Myrsilius* l. *Myrsilus*.
p. 289 lin. 10 pro 31 l. 81.
p. 292 lin. 12 pro 31 l. 13; lin. 18 pro *Aristinico* l. *Aristonico*.
p. 294 lin. 27 pro *III* l. *IV*.
p. 297 lin. 2 pro *erogable* l. *croyable*.
p. 298 lin. 16 pro *Graec.* l. *Graev.*; lin. 29 pro ἄλλα l. ἄλλα; lin. 30 pro ευπρεπείας l. εὐπρεπείας.
p. 302 in *Not.* ** pro *Calovianas* l. *Catonianas*. In *Not. lin. ult.* add. *Libr. IX Cap. LV p. 66 ed. Antw. 1703 fol.*
p. 303 lin. 20 pro *verum* l. *vero*. In *Not. lin. ult.* pro 157 l. 557.
p. 304 lin. 9 pro *Baylius* l. *Baelius*; lin. 20 pro *fastum* l. *festum*.

p. 307

Digitized by Google

p. 507 *lin.* 26 post συμμίξαι *magna pars harum observationum philologicarum operarum incuria omissa est; quare hic locus Plutarchi temere commixtus cum verbis* δὲ καὶ ἐθέλομεν *loci alterius, qui post quatuor plagulas sequi debuerat.*

p. 312 *lin.* 3 pro *Mois* l. *Mais.*

p. 314 *lin.* 29 pro *Quia* l. *Quum; lin. ult.* pro *Tarquinii* l. *Tarquiniani.*

p. 317 *lin.* 20 pro 60 l. 6.

p. 323 *lin.* 7 pro *T. II* l. *T. I; lin.* 23 pro *repetat* l. *repetiis.*

p. 324 *lin.* 5 pro *Plutarchus* l. *Plutarch.; lin.* 26 pro πατρίθος l. πατρίδος.

p. 325 *lin.* 20 pro προήσασθαι l. ποιήσασθαι.

lin. 27 pro συνενώσαμεν l. συνεστώσαμεν.

p. 326 *lin.* 23 pro πολλοῖς l. πολλαῖς. *lin.* 24 pro μάχοις l. μάχαις. it. pro ἀθλητοὶ l. ἀθληταὶ.

p. 332 *lin.* 26 pro *Suecorum* l. *Suevorum.*

p. 333 *lin.* 9 pro *inviots* l. *invitos.*

p. 336 *lin.* 24 pro *trans Mosam* l. *trans Mosam peregre abiisse.*

p. 348 *lin.* 29 dele *hu-*

p. 350 *lin.* 23 pro *suscipium* l. *suscipiam.*

p. 360 *lin.* 24 pro *satus* l. *satius.*

p. 369 *lin.* 15 pro *Hottingerum* l. *Hochstaterum.*

P. III p. 461 *lin.* 23 pro *die* l. *Dei.*

p. 539 *lin.* 27 pro *teragum* l. *teragus.*

p. 540 *lin.* 9 pro *teragis* l. *teragus.*

p. 545 *lin.* 3 pro *secundæ* l. *quartæ.*

p. 560 *lin.* 27 pro *elegentiarum* l. *elegantiarum.*

p. 561 *lin.* 25 pro *veterum* l. *veterem.*

P. IV pag. 688 *lin.* 17 pro *Captie* l. *Capite.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google